

# ENCHIRIDION THEOLOGIAE DOGMATICAE GENERALIS



SCRIPSIT  
DR. FRANCISCUS EGGER  
EPISCOPUS BRIXINENSIS ET PRINCEPS.



EDITIO SEXTA



BRIXINAE  
TYPIS ET SUMPTIBUS WEGERIANIS  
1932.

**Nihil obstat.**

Brixinae, d. d. 1. Iunii 1932.

**Dr. Fr. Hilber,**  
Censor.

N. 834.

**Imprimatur.**

Ex Curia ep. li Brixinensi, die 2. Iunii 1932.

**Mang**  
Vic. Gen.

(L. S.)

## Praefatio editionis sextae.

**Enchiridion Theologiae Dogmaticae Generalis**, ab episcopo Francisco Egger conscriptum, quia brevitatem et perspicuitatem styli, solidam doctrinam et scholasticam definiendi, probandi, disputandi ratione a primordiis suis excelluit, in sat multis Seminariis episcopalibus scholisque theologicis Religiosorum ex multis annis receptum fuerit. Iamvero cum celsissimus auctor die 17. Maii 1918 e vivis sublatus esset et a typographo nova editio urgeretur, mihi tamquam mediato in cathedra dogmatica successori mandatum honorificum ad hoc opus perficiendum commissum est. Quo in negotio pietas, qua erga clarissimum auctorem affectus sum, postulavit, ne quid mutarem vel adderem, nisi necessitas suaderet, scilicet cum aut sensus obscurus esset aut lacuna supplenda. Ne autem unitas styli detrimentum caperet, has mutationes vel additiones, quas duxi necessarias, non ipsi textui inserui, sed plerumque in notas ablegavi.

Excipitur solummodo tractatus de s. Scriptura, qui plenior et accuratior immutationem expostulare videbatur. Quod negotium subiit collega meus optimus et carissimus Dr. Franciscus Hilber, professor scientiae biblicae in hoc nostro Seminario optime meritis, qui hunc tractatum retentis sanae doctrinae principiis ad formam concinnioram et magis modernam revocavit; pro quo adiutorio ei gratias debitas libente animo persolvo.

Ceterum etiam hoc mei muneris esse duxi, ut ante singula capita aliquot alios libros assignarem, quibus eadem res copiosius tractatur, et ut menda typographica quantum fieri potuit expungerem. Denique sperare liceat futurum, ut haec sexta quoque editio tam pro scholis quam pro studio privato haud inutiliter inserviat.

Brixinae, die 11. Aprilis 1932.

**Dr. Alphonsus Mayer,**  
Editor.

# INTRODUCTIO.

## De Theologia generatim spectata.

### I.

#### Theologiae nomen et definitio.

*Nomen* Theologiae etymologice sermonem seu *doctrinam de Deo* significat. Deus autem tam in semetipso, quam in suis operibus considerari potest. Hinc sensu *stricto* Theologia est doctrina de ipso Deo uno et trino; sensu *latiore* vero Theologia doctrinam de Deo divinisque operibus in ordine naturae et gratiae seu totam scientiam, quam nunc Dogmaticam appellamus, complectitur. Praeter Dogmaticam vero habentur etiam aliae scientiae, quarum obiectum immediatum non quidem est ipse Deus, quae vero cum doctrina de Deo intime cohaerent. Tales sunt prae primis disciplina moralis, scientia biblica, historia ecclesiastica, ius canonicum ac ceterae disciplinae auxiliares. Quae proinde omnes aliquo modo ad Theologiam pertinent. Quare sensu generico Theologia breviter definiri potest *doctrina sacra*.<sup>1)</sup> — Apud Patres duae priores significationes in usu erant; unde Theologiam dividere solebant in *Theologiam* (simpliciter) et *Oeconomiam*, quatenus vel ipse Deus in se vel eius operatio ad extra, praesertim incarnatio Verbi et reparatio generis humani, consideratur. Apud recentiores ultima Theologiae notio est usitatissima.

*Definitionem* Theologiae pulchre adumbravit s. Augustinus inquiens:<sup>2)</sup> «Huic enim scientiae tribuitur id, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.» Breviter ergo Theologia definiri potest et a praestantissimis Theologis<sup>3)</sup> definitur: *scientia fidei*. In hac definitione

<sup>1)</sup> Cf. s. Thom., Sum. theol. p. 1 q. 1 per totum.

<sup>2)</sup> De Trinit. l. 14 c. 1.

<sup>3)</sup> Cf. Kleutgen, Institutiones theologiae, introd. n. 1 (Ratisbonae 1881).

vox *scientia* exprimit id, quod Theologia cum Philosophia commune habet (genus proximum); vox *fidei* vero denotat id, quo illa ab hac distinguitur (differentiam specificam). Sicut enim Philosophia veritates rationis pro obiecto habet easque ex principiis rationis demonstrat, ita Theologia (sensu strictiore accepta) id quod credendum est, ex fontibus revelationis eruit, vindicat, illustrat et ordinat novasque conclusiones ex iis deducit. Huiusmodi operatio autem profecto *scientifica* est, et systema veritatum inde resultans nomen *scientiae* ex communi usu loquendi meretur. Sicut ergo Philosophia est *scientia rationis*, ita Theologia recte *scientia fidei* definitur.

Haec interim ad declarandam notionem Theologiae sufficient. Quaestiones subtiliores suo loco (479 sqq) tractabimus. Notamus vero, tam fidem quam Theologiam *subiective* et *obiective* sumi. Sensu obiectivo nomine fidei intelliguntur veritates revelatae, et haec est *fides, quae* creditur; sensu subiectivo fides est virtus supernaturalis, qua veritates revelatae suscipiuntur, et haec est *fides, qua* creditur. Similiter Theologia obiective designat veritates revelatas earumque conclusiones in ordinem scientificum redactas; subiective denotat cognitionem scientificam earundem. Theologia ergo est scientia, *quae* scitur et *qua* scitur.

## II.

### Subiectum et obiectum Theologiae.

- 3 Obiectum scientiae generatim dicitur id, quod scientia considerandum sibi et tractandum assumit. Plura autem sunt, quae sub considerationem cadunt: res, veritates, ac maxime ratio, propter quam tales veritates de tali re enuntiantur. Res, de qua scientia agit, eius *subiectum* dicitur; veritates, quas scientia pertractat, *obiectum materiale* dicuntur; ratio, sub qua res et veritates considerantur, *obiectum formale* nuncupatur.<sup>1)</sup> Subiectum e. g. Psychologiae est anima hu-

<sup>1)</sup> Veteres subiectum appellabant *obiectum de quo*; obiectum materiale vocabant *obiectum quod*; obiectum formale denique nuncupabant *obiectum propter quod* seu *obiectum quo*.

mana; obiectum materiale est spiritualitas, immortalitas et reliquae proprietates animae; obiectum formale sunt principia rationis et experientia, ex quibus natura animae declaratur. Hinc vides, scientias non per subiectum aut per obiectum materiale distingui, sed per obiectum formale. De homine e. g. Psychologia, Medicina, Theologia aliaeque scientiae agunt, et quasdam etiam conclusiones communes habent, spiritualitatem e. g. et immortalitatem animae tam Theologia quam Psychologia demonstrant; et tamen praedictae scientiae sunt diversae. Cur? Quia ex diversis principiis procedunt; Theologia enim ex revelatione, Psychologia ex principiis evidentibus rationis spiritualitatem animae aliasque veritates demonstrat. — His praemissis:

1. *Subiectum Theologiae est Deus.* Hoc patet tum ex ipso nomine huius scientiae, quippe quae *Theologia* i. e. doctrina de Deo appelletur; tum ex iis, quae in hac scientia tractantur. Quamvis enim praeter Deum etiam eius opera, angeli, homines totusque mundus in Theologia considerentur, tamen

a. Deus est eius subiectum longe princeps; denominatio autem fit a potiore.

b. Praeterea omnia alia nonnisi in ordine ad Deum considerantur: «Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem; unde sequitur, quod Deus sit vere subiectum huius scientiae.»<sup>1)</sup> — Vides ergo, minus recte a quibusdam recentioribus *Christum* aut *regnum Dei* vel *religionem christianam* ut subiectum Theologiae exhiberi; eo quod Christus et salus nostra neque primum subiectum sunt, neque per se, sed nonnisi in ordine ad Deum unum et trinum, auctorem et consummatorem omnium, tractantur (I. Cor. 3, 23).<sup>2)</sup>

2. *Obiectum materiale* Theologiae constituunt imprimis

<sup>1)</sup> Thom. Sum. theol. p. 1 qu. 1 a. 7.

<sup>2)</sup> S. Bonaventura (cf. in I sent. q. 1 prooem., et Scholion editor. Quaracch. pg. 7). Deum dicit subiectum Theologiae *principale*; Christum subiectum *integrale*, eo quod «comprehendit naturam divinam et humanam sive creatum et increatum.» Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit, 2. Aufl. (Münster 1872) Bd 5 S. 305 ff.

omnia *dogmata*, i. e. omnes veritates revelatae et ab Ecclesia ut tales propositae, quia Theologia est scientia fidei, fides autem est de dogmatibus. Praeter dogmata autem multae aliae sunt veritates, *quae cum deposito fidei necessario cohaerent*; sive quia in revelatione continentur, licet ab Ecclesia non sint definitae; sive quia tamquam conclusiones necessariae ex dogmatibus deducuntur; sive quia, licet revelatae non sint, tamen ad depositum fidei custodiendum necessariae sunt. Haec omnia, ut suo loco (464 sq. 481) demonstrabimus, intra ambitum Theologiae cadunt.

- 6      3. *Obiectum formale Theologiae est revelatio* seu in concreto id, quod et *quatenus* ex revelatione constat.<sup>1)</sup> Ex dictis enim *obiectum formale est ratio, sub qua* subiectum et obiectum materiale a cognoscente attingitur, et per quam una scientia ab alia distinguitur. Atqui Theologia, quae est scientia fidei, suum subiectum attingit in lumine fidei seu per revelationem. Ergo revelatio vere est obiectum formale Theologiae; sicut lux est obiectum formale oculorum, quia quidquid videmus, in luce et per lucem videmus. Licet ergo Theologia naturalis (Theodicea) etiam de Deo rebusque divinis agat, non tamen pertinet ad Theologiam (simpliciter seu supernaturalem), sed ad Philosophiam; quippe quae ex principiis rationis, non ex revelatione suas conclusiones hauriat.

### III.

## Principia Theologiae.

- 7      Omnis scientia sua principia habet, a quibus procedit. Sunt autem scientiarum principia diversi generis.

a. Primum est *principium, a quo* cognitio elicitur; et hoc est lumen rationis in scientiis naturalibus, et *ratio fide illustrata* in Theologia (*principium subiectivum*).

b. Alterum est *principium, ex quo* scientia fluit, scilicet fontes, e quibus cognitiones hauriuntur. Fontes scientiae

---

<sup>1)</sup> Per se intelligitur, sermonem esse de revelatione *catholica*, non de revelatione *privata*, quae nec fidei catholicae nec Theologiae obiectum est.

naturalis sunt intelligentia, experientia et auctoritas;<sup>1)</sup> fons ultimus scientiae supernaturalis i. e. Theologiae est scientia divina, proximus revelatio divina, quae per s. Scripturam, Traditionem et Ecclesiam nobis communicatur. Haec omnia igitur vero aliquo sensu principia Theologiae dici possunt; cum ex iisdem scientia theologica, diverso licet modo, ad nos derivetur (principia *obiectiva*).

c. Denique principiorum nomine inde ab Aristotele veniunt etiam *veritates primae et principales*, a quibus omnes conclusiones scientificae dependent. Et haec iterum duplicis generis sunt: *formalia*, quae se habent ut criterium, quo veritas et certitudo conclusionum determinatur; et *materialia*, quae totam scientiam quasi in semine continent. Porro in scientiis naturalibus principia formalia sunt veritates immediate evidentes, praesertim principium contradictionis, in quod omnis propositio certa saltem indirecte resolvi debet. In Theologia vero supremum principium formale est: *quidquid Deus revelat, verum certumque est*. Principia materialia in scientiis naturalibus sunt varia pro natura scientiarum; e. g. est primum principium Anthropologiae: homo est animal rationale, ex qua definitione omnes conclusiones psychologicae vel probantur vel certe melius intelliguntur. In Theologia vero *idea Dei* ut supremum principium materiale statui potest. Hoc autem:  $\alpha$ ) non est intelligendum eo sensu, ac si omnia a priore ex idea Dei demonstrarentur et cognoscantur, ut Pantheistae vel Ontologistae somniantur; sed  $\beta$ ) eo sensu, quatenus *objective* «in esse divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere»;<sup>2)</sup> et  $\gamma$ ) quatenus *subjective* ex idea Dei, quam ex verbo Dei scripto et tradito haurimus, tota Theologia (Theologia stricte sumpta et Oeconomia) melius intelligitur.<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Cf. Egger, Propaedeutica philosophica-theologica ed. 7 Brinxiae 1912) n. 168 et 73 sq.

<sup>2)</sup> Thom. p. 2, 2 q. 1 a. 7.

<sup>3)</sup> Ita Kleutgen, Instit. theol. n. 51, et Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 260 f; cf. Egger, Propaed. n. 73.

## IV.

**De locis theologicis.**

8

*Fontes seu loci theologici* dicuntur illa promptuaria ac veluti armamentaria, ex quibus theologus argumenta ad probandam veritatem catholicam et tela spiritualia (*gladium spiritus* Eph. 6, 17) ad confodiendos errores depromere debet.<sup>1)</sup> Tota porro doctrina fidei iuxta conc. *Trident.* (Sess. IV. decret. de canon. Script.)<sup>2)</sup> in verbo Dei scripto et tradito continetur; custos autem verbi Dei eiusque interpretres authentica est Ecclesia. Unde tres sunt loci praecipui Theologiae, scilicet s. *Scriptura, Traditio* et *Ecclesia*; ex quibus tota doctrina catholica, diverso licet modo, petenda est. Quoniam vero Theologia est *scientia* fidei, scientia autem ex conclusionibus textitur, hinc etiam *ratio*, quae ex principiis fidei conclusiones deducit, merito inter locos theologicos recensetur; eoque magis, quia ratio, licet per se sola non constituat argumentationem demonstrativam in negotio fidei, bene vero suasivam et illustrativam efformare valet. Sunt igitur quatuor fontes revelationis generales, qui per *Concilia, Romanos Pontifices, sanctos Patres* et *Theologos* veluti per totidem *canales* ad nos derivantur.

Quapropter octo emergunt loci theologici: s. *Scriptura, Traditio, Ecclesia, ss. Patres, Concilia, R. Pontifices, Theologi, Ratio humana*. His *Melchior Canus* duos alios fontes, scilicet *auctoritatem philosophorum* et *historiam* adiungit, qui tamen merito ad locum ex ratione petitum revocari possunt. Idem de *archaeologia* aliisque scientiis profanis dici debet. Quamvis porro *tota* Theologia fundamentalis in eo sit, ut praefatorum locorum naturam et auctoritatem ostendat; eorum nihilominus brevem notitiam iam a limine delineare Theologiae candidato peropportunum ducimus. Itaque:

9

1. *S. Scriptura* est collectio librorum sacrorum et ca-

<sup>1)</sup> Melchior Canus primus celeberrimum tractatum titulo «De locis theologicis» edidit, Aristotelem imitatus, qui similem librum *τοπικά* inscriptum composuit, ubi loci (*τόποι*) ad invenienda argumenta in re philosophica proponuntur.

<sup>2)</sup> Denzinger 783.

nonicorum, qui, Spiritu sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. Proinde libri canonici non solum infallibilem veritatem, sed ipsum verbum Dei continent. Is autem pro vero sensu s. Scripturae habendus est, quem tenuit ac tenet Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione s. Scripturae; atque ideo nemini licet contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari. Libri porro canonici sunt sequentes: In vet. Testamento *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosuae, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaías, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetarum minores, i. e. Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus*. In novo Testamento: *quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, et Apocalypsis Ioannis*. Isti libri integri cum omnibus suis partibus prout in veteri *vulgata* latina editione habentur, pro *sacris* et *canonicis* sunt habendi; haec ipsa editio *vulgata* autem in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur. (Cf. conc. Trident. Sess. IV decret. de canon. Script., et conc. Vatic. Sess. III cap. 2 de revel.)<sup>1)</sup>

2. *Traditio* est secundus fons, ex quo revelatio divina 10 hauritur. Nomine Traditionis autem intelligitur tum ipsum medium a sacra Scriptura distinctum, per quod tota revelatio pure et incorrupte ad nos pervenit, scilicet magisterium

<sup>1)</sup> Denzinger 784, 1787 sq.

orale Apostolorum eorumque successorum; tum veritates, quae «ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt» (conc. Trident.).<sup>1)</sup> Primo modo dicitur *Traditio formalis*, secundo modo *materialis* seu potius *traditiones*.

- 11        3. *Ecclesia* definiri solet coetus Christifidelium, eiusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communione sub uno capite, Romano Pontifice, adunatus.<sup>2)</sup> Dividitur in *Ecclesiam docentem*, quam constituunt episcopi uniti cum R. Pontifice, et *audientem* vel *discentem*, quae consistit in universo coetu fidelium. Ecclesia docens infallibilis est in materia fidei et morum, ideoque certissimum locum theologicum constituit Ecclesia, «sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio nos doceat» (conc. *Vatic.* Sess. III cap. 3 de fide).<sup>3)</sup> Impossibile quoque est, ut totus coetus fidelium aliquando a fide deficiat. Consensus *ecclesiarum acatholicarum* locum stricte theologicum non constituit, utique vero argumentum *historico-philosophicum* pro divina traditione praebere potest.

- 12        4. *Concilium* ecclesiasticum vel synodus generatim est legitimus conventus pastorum Ecclesiae ad ordinandas res ecclesiasticas institutus. Distinguitur in *oecumenicum*, *generale* et *particulare*. Oecumenicum dicitur illud, ad quod episcopi ex tota Ecclesia conveniunt, quodque a R. Pontifice agnitum et confirmatum est. Dicitur simpliciter generale, si adfuit quidem conspicuus numerus episcoporum, desideratur vero ex integro vel ex parte approbatio R. Pontificis. Concilium particulare illud appellatur, quod non totam Ecclesiam, sed certum tantum regnum vel provinciam vel dioecesim repraesentat; ideoque in *nationale*, *provinciale*, *dioecesanum* dividitur. Ex regula catholica solum concilium oecumenicum infallibile est, reliqua minime; quamvis etiam concilia particularia magnam auctoritatem ut plurimum ha-

---

<sup>1)</sup> Denzinger 783.

<sup>2)</sup> Cf. Canisium, Sum. doctr. christ. t. I de symb. q. XVIII.

<sup>3)</sup> Denzinger 1792.

beant, atque ad cognoscendam traditionem haud parum iuvent.<sup>1)</sup>

5. *Romani Pontifices* (Sedes apostolica) i. e. successores legitimi s. Petri principis Apostolorum, praeprimis testes indubii sunt et custodes infallibiles divinae revelationis. Eadem quippe, ut docet conc. *Vatic.* (Sess. IV constit. de Eccl. cap. 4 apud Denzinger 1839), R. Pontifex ex cathedra loquens infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Definitiones pontificiae igitur in materia fidei et morum verum certumque locum theologicum constituunt; ea vero, quae hisce definitionibus ad demonstrationem atque illustrationem addita vel obiter inserta sunt, eandem certitudinem non habent. Multo vero minus ea, quae Papa ut privatus doctor scribit, infallibilitatis praerogativa gaudent.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Concilia oecumenica sunt sequentia:

- |                            |                              |
|----------------------------|------------------------------|
| 1. Nicaenum I. anno 325.   | 14. Lugdunense II. 1274.     |
| 2. Constantinop. I. 381.   | 15. Viennense 1311.          |
| 3. Ephesinum 431.          | 16. Constantiense 1414—18    |
| 4. Chalcedonense 451.      | (legitimum ex parte, in      |
| 5. Constantinop. II. 553.  | quantum approbatum fuit a    |
| 6. Constantinop. III. 680. | Martino V.)                  |
| 7. Nicaenum II. 787.       | 17. Florentinum 1439—45 (Ba- |
| 8. Constantinop. IV. 869.  | sileense 1431—43, in quan-   |
| 9. Lateranense I. 1123.    | tum approbatum).             |
| 10. Lateranense II. 1139.  | 18. Lateranense V. 1511—17.  |
| 11. Lateranense III. 1179. | 19. Tridentinum 1545—63.     |
| 12. Lateranense IV. 1215.  | 20. Vaticanum 1869—70.       |
| 13. Lugdunense I. 1245.    |                              |

<sup>2)</sup> Series chronologica RR. Pontificum:

(Cf. Brück, Lehrbuch der Kirchengeschichte 9. Aufl., Münster 1906.)

- |                                  |                       |
|----------------------------------|-----------------------|
| S. Petrus 42—67.                 | S. Anicetus † 165.    |
| „ Linus † 79?                    | „ Soter † 174?        |
| „ Cletus (Anencletus, Anacletus) | „ Eleutherus † 189?   |
| † 90?                            | „ Victor † 198?       |
| „ Clemens I. † 99?               | „ Zephyrinus † 217.   |
| „ Evaristus † 107?               | „ Callistus I. † 222. |
| „ Alexander I. † 116?            | „ Urbanus I. † 230.   |
| „ Xystus (Sixtus) I. 125?        | „ Pontianus † 235.    |
| „ Telesphorus † 136?             | „ Anterus 235—36.     |
| „ Hyginus † 140?                 | „ Fabianus 236—50.    |
| „ Pius I. † 154?                 | „ Cornelius 251—53.   |

- 14      6. *Sancti Patres* dicuntur illi scriptores ecclesiastici, qui propter antiquitatem, sanctitatem et doctrinam singularem, qua Ecclesiam aedificabant, ab eadem Patrum no-

S. Lucius I. 253—54.  
 „ Stephanus I. 254—57.  
 „ Xystus (Sixtus) II. † 258.  
 „ Dionysius 259—68.  
 „ Felix I. 269—74.  
 „ Eutychianus 275—83.  
 „ Caius 283—96.  
 „ Marcellinus 296—304.  
 „ Marcellus 307—309.  
 „ Eusebius † 309.  
 „ Miltiades (Melchiades) 310—14.  
 „ Sylvester I. 314—35.  
 „ Marcus † 336.  
 „ Iulius I. 337—52.  
 „ Liberius 352—66.  
 „ (Felix II. Antipapa 355—65.)  
 „ Damasus I. 366—84.  
 „ Siricius 384—99.  
 „ Anastasius I. 399—401.  
 „ Innocentius I. 401—17.  
 „ Zosimus 417—18.  
 „ Bonifatius I. 418—22.  
 „ Coelestinus I. 422—32.  
 „ Xystus (Sixtus) III. 432—40.  
 „ Leo I. magnus 440—61.  
 „ Hilarius 461—68.  
 „ Simplicius 468—83.  
 „ Felix II. (III.) 483—92.  
 „ Gelasius 492—96.  
 „ Anastasius II. 496—98.  
 „ Symmachus 498—514.  
 „ Hormisdas 514—23.  
 „ Ioannes I. 523—26.  
 „ Felix III. (IV.) 526—30.  
 Bonifatius II. 530—32.  
 Ioannes II. 533—35.  
 S. Agape us I. 535—36.  
 Silverius I. 536—540, expulsus 538.  
 Vigilius (537) 540—55.  
 Pelagius I. 555—61.  
 Ioannes III. 561—74.  
 Benedictus I. 575—79.  
 Pelagius II. 579—90.  
 S. Gregorius I. magnus 590—604.  
 Sabinianus 604—606.  
 Bonifatius III. † 607.

S. Bonifatius IV. 608—15.  
 „ Deusdedit 615—18.  
 Bonifatius V. 619—25.  
 Honorius I. 625—38.  
 Severinus † 640.  
 Ioannes IV. 640—42.  
 Theodorus I. 642—49.  
 S. Martinus I. 649—55.  
 Eugenius I. 655—57.  
 Vitalianus 657—72.  
 Adeodatus 672—76.  
 Donus 676—78.  
 S. Agatho 678—81.  
 „ Leo II. 682—83.  
 „ Benedictus II. 684—85.  
 Ioannes V. 685—86.  
 Conon 686—87.  
 S. Sergius I. 687—701.  
 Ioannes VI. 701—705.  
 Ioannes VII. 705—707.  
 Sisinnius † 708.  
 Constantinus I. 708—15.  
 S. Gregorius II. 715—31.  
 „ Gregorius III. 731—41.  
 „ Zacharias 741—52.  
 Stephanus (obiit post 3 dies) † 752.  
 Stephanus II. 752—57.  
 S. Paulus I. 757—67.  
 Stephanus III. 768—72.  
 Hadrianus I. 772—95.  
 S. Leo III. 795—816.  
 Stephanus IV. 816—17.  
 S. Paschalis I. 817—24.  
 Eugenius II. 824—27.  
 Valentinus II. † 827.  
 Gregorius IV. 827—44.  
 Sergius II. 844—47.  
 S. Leo IV. 847—55.  
 Benedictus III. 855—58.  
 S. Nicolaus I. 858—67.  
 Hadrianus II. 867—72.  
 Ioannes VIII. 872—82.  
 Marinus I. 882—84.  
 Hadrianus III. † 885.  
 Stephanus V. 885—91.  
 Formosus 891—96.  
 Bonifatius VI. † 896 (regnavit 15 dies).

mine insigniti sunt. Aetas Patrum usque ad s. *Bernardum* computari solet, qui novissimus Patrum appellatur; ii qui adhuc tempore Apostolorum vel immediate post vixerunt, Patres *apostolici* vocantur.<sup>1)</sup> Sensu latiore etiam illi scrip-

Stephanus VI. † 897.  
 Romanus † 897.  
 Theodorus II. † 897 (regnavit 20 dies).  
 Ioannes IX. 898—900.  
 Benedictus IV. 900—903.  
 Leo V. † 903.  
 Christophorus † 904.  
 Sergius III. 904—11.  
 Anastasius III. 911—13.  
 Lando † 914.  
 Ioannes X. 914—28.  
 Leo VI. † 929.  
 Stephanus VII. 929—31.  
 Ioannes XI. 931—36.  
 Leo VII. 936—39.  
 Stephanus VIII. 939—42.  
 Marinus II. 943—46.  
 Agapetus II. 946—55.  
 Ioannes XII. 955—64.  
 (Leo VIII. Antipapa 963—65)  
 Benedictus V. 964, † 965.  
 Ioannes XIII. 965—72.  
 Benedictus VI. 973—74.  
 (Bonifatius (Franco) VII., expulsus 974 illegit.)  
 Benedictus VII. 974—83.  
 Ioannes XIV. 983—84.  
 Ioannes XV. 985—96.  
 Gregorius V. 996—99.  
 (Ioannes XVI. Antipapa 997—98).  
 Sylvester II. 999—1003.  
 Ioannes XVII. † 1003.  
 Ioannes XVIII. 1003—9.  
 Sergius IV. 1009—12.  
 Benedictus VIII. 1012—24.  
 Ioannes XIX. 1024—32.  
 Benedictus IX. 1033—45.  
 Gregorius VI. 1045—46.  
 Clemens II. 1046—47.  
 Damasus II. † 1048 (regn. 23 dies).  
 S. Leo IX. 1049—54.

Victor II. 1054—57.  
 Stephanus IX. 1057—58.  
 (Benedictus X., Papa illegit.)  
 Nicolaus II. 1058—61.  
 Alexander II. 1061—73.  
 S. Gregorius VII. 1073—85.  
 Victor III. 1086—87.  
 Urbanus II. 1088—99.  
 Paschalis II. 1099—1118.  
 Gelasius II. 1118—19.  
 Calixtus II. 1119—24.  
 Honorius II. 1124—30.  
 Innocentius II. 1130—43.  
 Coelestinus II. 1143—44.  
 Lucius II. 1144—45.  
 Eugenius III. 1145—53.  
 Anastasius IV. 1153—54.  
 Hadrianus IV. 1154—59.  
 Alexander III. 1159—81.  
 Lucius III. 1181—85.  
 Urbanus III. 1185—87.  
 Gregorius VIII. † 1187.  
 Clemens III. 1187—91.  
 Coelestinus III. 1191—98.  
 Innocentius III. 1198—1216.  
 Honorius III. 1216—27.  
 Gregorius IX. 1227—41.  
 Coelestinus IV. † 1241.  
 Innocentius IV. 1243—54.  
 Alexander IV. 1254—61.  
 Urbanus IV. 1261—64.  
 Clemens IV. 1265—68.  
 S. Gregorius X. 1271—76.  
 Innocentius V. † 1276.  
 Hadrianus V. † 1276 (regn. 39 dies).  
 Ioannes XXI. 1276—77.  
 Nicolaus III. 1277—80.  
 Martinus IV. 1281—85.  
 Honorius IV. 1285—87.  
 Nicolaus IV. 1288—92.  
 S. Coelestinus V. 1294, resignavit († 1296).

<sup>1)</sup> Alii Patrum orientalium novissimum dicunt s. *Ioannem Damascenum* († c. 754), occidentalium vero *Isidorum a Sevilla* († 636) habent ut ultimum. Cf. Bardenhewer, *Patrologie* 3. Aufl. S. 4 (Freiburg 1910).

tores antiqui, qui aliquando Ecclesiam insignibus scriptis illustrarunt, hoc nomine decorantur; licet sanctitate non floruerint vel etiam ab Ecclesia penitus defecerint, ut *Tertullianus*. Plures scriptores ecclesiastici propter eminentem suam doctrinam et sanctitatem nomine *Doctorum* Ecclesiae condecorati sunt.<sup>1)</sup>

Bonifatius VIII. 1294—1303.  
 Benedictus XI. 1303—4.  
 Clemens V. 1305—14.  
 Ioannes XXII. 1316—34.  
 Benedictus XII. 1334—42.  
 Clemens VI. 1342—52.  
 Innocentius VI. 1352—62.  
 Urbanus V. 1362—70.  
 Gregorius XI. 1370—78.  
 Urbanus VI. 1378—89.  
 Bonifatius IX. 1389—1404.  
 Innocentius VII. 1404—6.  
 Gregorius XII. 1406, resign.  
 1415.  
 (Alexander V. 1409—10, et  
 Ioannes XXIII. 1410—15 illegit.)  
 Martinus V. 1417—31.  
 Eugenius IV. 1431—47.  
 Nicolaus V. 1447—55.  
 Calixtus III. 1455—58.  
 Pius II. 1458—64.  
 Paulus II. 1464—71.  
 Sixtus IV. 1471—84.  
 Innocentius VIII. 1484—92.  
 Alexander VI. 1492—1503.  
 Pius III. † 1503.  
 Iulius II. 1503—13.  
 Leo X. 1513—21.  
 Hadrianus VI. 1522—23.  
 Clemens VII. 1523—34.  
 Paulus III. 1534—49.  
 Iulius III. 1550—55.  
 Marcellus II. † 1555 (regn.  
 21 dies).  
 Paulus IV. 1555—59.  
 Pius IV. 1559—65.  
 S. Pius V. 1566—72.

Gregorius XIII. 1572—85.  
 Sixtus V. 1585—90.  
 Urbanus VII. † 1590 (regn.  
 13 dies).  
 Gregorius XIV. † 1591 (regn.  
 10 menses et 10 dies).  
 Innocentius IX. † 1591 (regn.  
 2 mens.).  
 Clemens VIII. 1592—1605.  
 Leo XI. † 1605 (regn. 13 dies).  
 Paulus V. 1605—21.  
 Gregorius XV. 1621—23.  
 Urbanus VIII. 1623—44.  
 Innocentius X. 1644—55.  
 Alexander VII. 1655—67.  
 Clemens IX. 1667—69.  
 Clemens X. 1670—76.  
 Innocentius XI. 1676—89.  
 Alexander VIII. 1689—91.  
 Innocentius XII. 1691—1700.  
 Clemens XI. 1700—21.  
 Innocentius XIII. 1721—24.  
 Benedictus XIII. 1724—30.  
 Clemens XII. 1730—40.  
 Benedictus XIV. 1740—58.  
 Clemens XIII. 1758—69.  
 Clemens XIV. 1769—74.  
 Pius VI. 1775—99.  
 Pius VII. 1800—23.  
 Leo XII. 1823—29.  
 Pius VIII. 1829—30.  
 Gregorius XVI. 1830—46.  
 Pius IX. 1846—78.  
 Leo XIII. 1878—1903.  
 Pius X. 1903—14.  
 Benedictus XV. 1914—22.  
 Pius XI. 6. Febr. 1922.

<sup>1)</sup> Praecipui sancti *Patres* fuerunt: Saec. 1.: Barnabas, Clemens Romanus, (vulgatus) Dionysius Areopagita, Hermas, Papias.

Saec. 2.: Ignatius Mart. († 107), Polycarpus (156), Iustinus Mart. (c. 165), Irenaeus (c. 202).

Saec. 3.: Hippolytus (c. 236), Cyprianus (258), Dionysius Alexandrinus (c. 264), Gregorius Thaumaturgus (c. 270).

Quoties Patres doctrinam aliquam unanimi consensu tamquam revelatam proponunt, eorum auctoritas ineluctabilem locum theologicum constituit; quoties vero de consensu non constat, vel de rebus fidei et morum aut cum his connexis non agitur, Patrum testimonium auctoritatem humanam non superat. Ad contestandum vero consensum unanimem necesse non est, ut omnes Patres de aliqua veritate testimonium dederint, sed huiusmodi conspiratio persaepe etiam ex paucorum testimoniis, dummodo debitis vestiantur circumstantiis, merito colligitur.<sup>1)</sup>

Saec. 4.: Methodius (312), Eusebius Vercellensis (ep. factus 340), Athanasius (373), Hilarius Pictaviensis (368), Cyrillus Hierosolymitanus (386), Basilius (379), Gregorius Nazianzenus (391), Gregorius Nyssenus (c. 395), Ephraem Syrus (c. 379), Ambrosius (397), Pacianus (390), Optatus Milevitanus (post 384).

Saec. 5.: Epiphanius (403), Ioannes Chrysostomus (407), Hieronymus (420), Augustinus (430), Cyrillus Alexandrinus. (444), Leo M. (461), Prosper (c. 463), Vincentius Lirinensis (450), Petrus Chrysologus (451).

Saec. 6.: Fulgentius (533), Caesarius Arelatensis (543), Gregorius Turonensis (593 vel 94).

Saec. 7.: Gregorius M. (604), Isidorus Hispalensis (636), Sophronius (638), Maximus Conf. (662), Ildefonsus Toletanus (667).

Saec. 8.: Anastasius Sinaita (post 700), Beda Venerabilis (735), Ioannes Damascenus (c. 760).

Saec. 11. et 12.: Petrus Damianus (1072), Anselmus (1109), Bernardus (1153).

Inter insignes *Scriptores ecclesiasticos* eminent: Saec. 2.: Tatianus, Athenagoras, s. Theophilus Antiochenus, Quadratus, s. Melito; saec. 3.: Caius, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus, *Tertullianus*, *Origenes*; saec. 4.: Arnobius, *Lactantius*, Eusebius Caesareensis; saec. 5.: Rufinus, Theodoretus, Sozomenus, Socrates; saec. 6.: Boëtius, Venantius, Dionysius exiguus; saec. 8.: Alcuinus; saec. 9.: Isidorus Mercator, Theodorus Studita, Rabanus Maurus, Paschasius Radbertus, Hincmarus, Walafrius Strabo; saec. 10.: Simeon Metaphrastes, Odo Cluniacensis, Gerbertus seu Sylvester II.; saec. 11.: Lanfrancus, Odilo Cluniacensis, Theophilactus, Bruno Cartusianus; saec. 12.: Rupertus Tuitiensis, Hugo et Richardus a s. Victore, Petrus Lombardus etc. Vide Fessler-Iungmann, *Institutiones Patrologiae* ed. 2 t. 1 Oeniponte 1890).

<sup>1)</sup> *Doctores Ecclesiae* sunt: SS. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius M. (hi etiam dicuntur *magni Doctores Ecclesiae occidentalis*), Athanasius, Basilius, Gregorius Naz., Chrysostomus (hi sunt quatuor *magni Doctores Ecclesiae orientalis*). Ephraem Syr., Leo M., Petrus Chrysologus, Isidorus Hispal., Petrus Dam.,

- 15      7. *Theologi* sensu stricto, prouti locum theologicum constituunt, vocantur magistri scholae catholicae, qui laude sanae doctrinae et eximiae scientiae prae ceteris floruerunt. Propter hanc auctoritatem doctrinalem, qua semper in Ecclesia gaudebant, eorum consensus in rebus fidei et morum indubium argumentum doctrinae ipsius Ecclesiae praebet, ideoque absque haeresi vel saltem absque temeritatis nota repudiari non potest.<sup>1)</sup>

8. Cur *ratio humana* et quo sensu inter locos theologicos computetur, iam innuimus; multiplex vero eius munus in negotio fidei et praesertim in Theologia in fine libri ex professo declarabimus.

## V.

### Theologiae divisio.

- 16      Theologia ex dictis (4 sq) unum obiectum formale habet scilicet *revelationem*, unumque subiectum attributionis i. e. *Deum*. Cum igitur scientiarum unitas ab obiecto formali et subiecto attributionis desumatur, Theologia est et dicitur scientia *simpliciter una*, atque ut talis a principibus Scholasticorum, *Petro Lombardo, Alexandro Alensi, Thoma, Bo-*

---

Anselmus, Bernardus, Thomas Aquinas, Bonaventura, Hilarius Pictav., Alphonsus Liguorius, Franciscus Salesius, Ioannes Damasc., Cyrillus Alex. et Hieros., Beda Venerab., Petrus Canisius et Ioannes a Cruce.

<sup>1)</sup> Praecipui Theologi Scholastici fuerunt: Petrus Lombardus (1164), Alexander Alensis (1245), Albertus M. (1280), Thomas *Doctor Angelicus* (1274), Bonaventura *Doctor Seraphicus* (1274). Eodem tempore (saec. 13. et 14.) floruerunt: Aegidius Romanus, Henricus Gandavensis, Alanus, Rogerius Baco, Raymundus de Pennafort, Duns Scotus (1308), Petrus Aureolus, Gulielmus Occam, Durandus a s. Porciano, Paludanus; saec. 15.: Ioannes Gerson, s. Antoninus, Dionysius Cartusianus; saec. 16.: Eckius, Card. Caietanus, Catharinus, Dominicus et Petrus Soto, Melchior Canus, Navarrus, Bannesius, Maldonatus, Toletus, Molina, Gregorius a Valentia, Lessius, Bellarminus, Baronius, Estius, Vasquez, Suarez *Doctor eximius* (1607); saec. 17.: Franciscus Salesius, Thomas Sanchez, Cornelius a Lapide, Menochius, Becanus, Petavius, Lugo, Diana, Pallavicinus etc. Cf. Bellarm., De scriptor. eccles.; Hurter, Nomenclator literar. ed. 3 (Oeniponte 1905 sqq).

*naventura, Scoto*, etc. tractabatur.<sup>1)</sup> Hoc tamen non impedit, quominus Theologia sub diverso respectu rationabiliter et utiliter in plures disciplinas dividatur. Sane omissa Theologia naturali, quae ad Philosophiam pertinet, Theologia, quae est scientia fidei, dividitur:

1. In *stricte talem* et *disciplinas subsidiarias*. Theologia stricte talis ipsam doctrinam revelatam pro obiecto habet, disciplinae subsidiariae vero media considerant, quae ad illam comparandam conducunt. Harum praecipuae sunt: *α)* *Scientiae biblicae*, scilicet *Introductio in s. Scripturam*, *Hermeneutica*, *Archaeologia* et *Exegesis*, quarum prima valorem Bibliorum, secunda regulas interpretationis, tertia antiquitates sacras, quarta ipsam interpretationem s. Scripturae pro obiecto habet. *β)* *Historia ecclesiastica*, cuius velut rami sunt *Patrologia*, *historia dogmatum*, *haeresium* et *conciliorum*. A Patrologia, quae generatim de recto usu ss. Patrum in Theologia agit, recentiores distinguunt *Patristicam*, quae ex scriptis Patrum eruit, quae ad fidem, mores et disciplinam spectant, eaque in iustum ordinem redigit.<sup>2)</sup>

2. Theologia *stricte talis* subdividitur in *theoreticam* et *practicam*, quatenus versatur solum in contemplanda veritate aut veritates credendas etiam ad actiones vitae applicat. 17

3. Theologia practica subdividitur in *Moralem*, quae doctrinam morum tradit; in *Pastoralem*, quae curam animarum modumque illam rite peragendi considerat; in *Asceticam*, quae modum ac media comparandae sanctitatis christianae docet; in *Mysticam*, quae de contemplatione et de unione sublimiore cum Deo agit; et in *Ius canonicum*, in quo leges ecclesiasticae traduntur. Ad Theologiam pastorem revocatur *Catechetica*, *Homiletica*, *Paedagogica*, et *Liturgica*, quarum munus ex ipsis nominibus intelligitur.

4. Theologia theoretica etiam *Dogmatica* appellatur. Tota equidem Theologia proprie loquendo dogmatica est, cum non solum theoretica dogmata sed etiam practica existant. Verum ex usu communi haec vox ad partem theoreticam restringitur.

5. Theologia dogmatica iterum dividitur tam ratione 18

<sup>1)</sup> Cf. s. Thom. p. 1 q. 1 a. 3.

<sup>2)</sup> Cf. Fessler-Jungmann, l. c. § 1.

*materiae* quam ratione *muneris*. Ratione *materiae* in *generalem* et *specialem* dispescitur; illa de revelatione generatim, haec de singulis dogmatibus agit. Quemadmodum enim Philosophia non solum veritates rationales, sed etiam valorem ipsius rationis in Critica examinat; ita merito in Theologia non tantum dogmata, quae ex revelatione hauriuntur, sed revelatio ipsa in ultimo suo fonte, ex quo fluit, et in canalibus, per quos ad nos derivatur, examinari, demonstrari ac defendi debet. Cum igitur haec pars Theologiae ipsa fundamenta religionis christianae-catholicae defendat, non inepte Theologia generalis etiam *fundamentalis* aut *apologetica* appellatur.<sup>1)</sup>

Ratione *muneris* Dogmatica in *positivam*, *polemicam* (*apologeticam*), et *scholasticam* seu *speculativam* dividitur.

Triplex siquidem munus Theologiae incumbit, scilicet **a.** doctrinam sacram ex fontibus revelationis eruere ac probare, et hoc praestat Theologia positiva; **b.** eam illustrare eiusque intelligentiam promovere, quod ad Theologiam scholasticam spectat;<sup>2)</sup> **c.** eam contra adversarios defendere, quod polemica praestat. Haec divisio autem non est partitio

---

<sup>1)</sup> Cave tamen, ne *Theologiam* seu *Dogmaticam apologeticam* confundas cum *Apologetica philosophica* seu cum *Philosophia religionis*. Illa quippe est pars Dogmaticae ideoque primario ex fontibus revelationis sua argumenta depromit, ex ratione nonnisi secundario. E contrario *Philosophia religionis* argumentis philosophicis et historicis religionem defendit; quare non est pars, sed praëmbula seu propaedeutica Theologiae. Hoc posteriore sensu auctores recentiores passim *Apologeticam* accipiunt, licet in ipsa tractatione argumenta philosophica et theologica promiscue adhibere soleant. (Vide, quae hac de re in praefatione editionis tertiae diximus.) — Recentiores distinguunt etiam inter *Apologiam* et *Apologeticam*, etsi in explicanda distinctione non omnino conveniunt. Communius *Apologeticam* appellant scientiam, quae totam religionem eiusque fundamenta demonstrat ac defendit; dissertationes vero, quibus singula religionis capita sive contra paganos sive contra haereticos defenduntur, *Apologiarum* nomine insigniunt. — Cf. Pesch, *Theologische Zeitfragen* Bd 1 S. 70 ff: „Alte und neue Apologetik“ (Freiburg 1900). Cl. auctor perbene querelas et obiectiones recentiorum contra methodum, qua hucusque scientia *Apologetica* in Ecclesia catholica tractabatur, expendit atque ad trutinam revocat.

<sup>2)</sup> Cf. s. Thom., *Quodlib.* 4 a. 18; Scheeben, *Handbuch der kath. Dogmatik* Bd 1 S. 3 f (Freiburg 1873).

*totius in partes integrales*, quae separatae tractentur; sed est divisio totius logici, quippe cum omnis scientia dogmatica simul positiva, scholastica et polemica esse debeat, ut suo muneri satisfaciat. Concedimus tamen, triplicem hunc characterem non aequaliter omnibus tractatibus dogmaticis neque aequaliter omnibus temporibus competere, sed temporum exigentiis accommodari. Hinc factum est, ut Theologia positiva, apologetica et polemica maxime post sic dictam reformationem saeculi 16., quae non iam contra unum alterumve dogma, sed contra ipsam Ecclesiam totumque ordinem supernaturalem bellum inauguravit, a doctoribus catholicis coli coeperit.

*Scholion.* Recentiores Theologiam, quam nos scholasticam diximus, plerumque *speculativam* vocant; scholasticam vero aliqui eam esse putant, quae methodo syllogistica maxime utitur, atque Philosophiam Aristotelicam Theologiae immiscens «artificiose magis quam theologice de divinis disserit, et nimia curiositate quaestiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit, cuius non velit rationem reddere.»<sup>1)</sup> At haec explicatio Theologiae scholasticae falsa est et iniuriosa non solum Theologis scholasticis, sed ipsi Ecclesiae. Nam, ut merito observat cl. *Kleutgen*:<sup>2)</sup> «licet haec scholasticae descriptio in opera non pauca, quae nominatim saec. 15. et rursum a medio saec. 17 prodire, conveniat; non est disciplina quaelibet ex vitiis definienda, in quae cultores eius inciderunt, sed ex virtutibus, ad quas natura sua tendit. Quae quidem virtutes in scholasticis doctoribus non paucis tam admirabiles exstiterunt, ut iis supremorum quoque hierarcharum<sup>3)</sup> cumulatissimas laudes, totiusque orbis venerationem conciliarent.» Certe absque

<sup>1)</sup> Ita Liebermann, *Instit. theol. proleg.* 1 § 4; auctor ceteroquin catholicus et probatus.

<sup>2)</sup> *Instit. theol.* n. 40.

<sup>3)</sup> Sic inter alios Sixtus V. (Bulla, qua s. Bonav. Doctor Ecclesiae declaratur) ait: «Quanto magis illi (haeretici) hanc munitissimam scholasticae Theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decere, hoc invictum fidei propugnaculum defendere et haereditatem patrum nostrorum conservare ac tueri.» — Cf. *Kleutgen*, *Theol. d. Vorzeit* Bd 4 n. 4—64.

magna temeritate damnari non potest illa methodus scientiae theologiae, quae pluribus saeculis fere unice adhibebatur in Ecclesia atque ab ipsis Pontificibus tot laudibus celebrata fuit. Atqui haec fuit methodus Theologiae scholasticae. Hinc merito a *Pio IX.* proscripta est sententia: «Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt» (Syllabus prop. 13).<sup>1)</sup> Equidem haec damnatio non eo tendit, ut simpliciter redintegretur methodus scholastica, nullo respectu habito necessitatum huius temporis: quae profecto exigunt, ut singula dogmata immo totus ordo supernaturalis maiore diligentia nunc demonstrantur, ac priscis temporibus, quibus fides florebat, id fieret. At si magis quam olim colenda est Theologia positiva, apologetica et polemica; tamen negligenda non est Theologia scholastica, quae si ad normam Angelici Doctoris aliorumque magistrorum veneratorum colatur, temporum nostrorum necessitatibus, docente et inculcante *Leone XIII.* (Encycl. «Aeterni Patris» dd. 4. Aug. 1879)<sup>2)</sup> quam quod maxime congruit. Methodus igitur tractandae Theologiae nostris temporibus accommodatissima certe positiva-scholastica est; neque eius pretio quidquam deperit, si qui viri eruditi nostri temporis, contra placitum Ecclesiae, methodum scholasticam velut «inferiorem» sugillant.

## VI.

### Dispositiones animi ad studium theologicum.

20 Sunt potissime sequentes: a. *pietas* et *humilitas* iuxta monitum Apostoli: *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. 12, 3; cf. Eccli. 3, 25). Concordat conc. *Vatican.* (cap. 4 de fid. et rat.)<sup>3)</sup>: «ratio

<sup>1)</sup> Denzinger 1713.

<sup>2)</sup> Cf. etiam C. I. C. can. 1366 § 2: «Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.»

<sup>3)</sup> Denzinger 1796.

fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur.» — **b.** *Morum integritas*; scriptum est enim: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. 1, 4). Pulchre s. *Gregorius Naz.*:<sup>1)</sup> «Per vitae probitatem ascende; per purificationem eum, qui purus est, adipiscere. Vis theologus fieri ac divinitate dignus? Serva mandata; per Dei praecepta accede, actio enim gradus est ad contemplationem.» — **c.** *Assidua diligentia*, ut ex natura profundum huius et amplius studii ultro patet: «Generosos animos labor nutrit; laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri, timere sudorem.»<sup>2)</sup> — **d.** *Frequens oratio*, monente s. Iacobo (1, 5): «*Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter;*» idque ex propria experientia confirmat Sapiens: «*Optavi et datus est mihi sensus, et invocavi et venit in me spiritus sapientiae*» (Sap. 7, 7). — **e.** His dispositionibus addi potest recta *intentio*, quam s. *Bernardus* pulchre describit:<sup>3)</sup> «Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; sunt etiam qui scire volunt ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent, et caritas est; et item qui scire volunt ut aedificentur, et prudentia est. Horum omnium solum ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.» — Quae omnia exemplo patroni scholarum theologiarum, Doctoris Angelici, confirmantur.

---

<sup>1)</sup> Orat. 29.

<sup>2)</sup> Seneca ep. 13.

<sup>3)</sup> Serm. 36 in Cantic.

---

# THEOLOGIA GENERALIS SEU FUNDAMENTALIS.

## DIVISIONIS ET TRACTATIONIS RATIO.

- 21 Theologia generalis iuxta dicta ipsam revelationem generatim, ex qua deinde Theologia specialis sua dogmata haurit, tractandam sibi assumit. Quaeritur ergo ante omnia: *an revelatio sit*; an videlicet Deus revera revelationem dederit, cui homines credere teneantur. In primo igitur tractatu revelationis *existentiam* demonstrabimus; quae tractatio, cum praecipue contra incredulos dirigitur, *demonstratio* vel *apologia christiana* per eminentiam appellatur.

Deus autem non immediate se omnibus revelat, sed olim loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio (cf. Hebr. 1, 1 sq), qui iterum Apostolos misit in mundum ad praedicandum evangelium universae creaturae. Secundo igitur loco de medio seu de *fontibus* agemus, per quos revelatio divina integra et incorrupta ad nos usque manavit. Hic fons iuxta protestantes est s. Scriptura, iuxta catholicos autem s. *Scriptura* et *Traditio*. Praeter fontes autem, qui revelationem continent, aliud insuper medium seu organon requiritur, quo nobis revelatio certe et infallibiliter applicetur. Fieri enim profecto potest, ut circa ipsum sensum s. Scripturae aliorumque documentorum fidei dubitatio aliqua oriatur. Quemadmodum igitur in civitate saeculari praeter codicem legis iudex requiritur, qui eundem authentice interpretetur atque applicet: ita etiam in societate religiosa iudex praesto esse debet, qui exortas fidei controversias authentice dirimat. Hic iudex ex catholicorum sententia est *Ecclesia*; iuxta protestantes ipsa s. Scriptura seu potius spiritus privatus. Cum enim s. Scriptura non sit magister explicans sed liber explicandus, spreto magisterio Ecclesiae

nil aliud relinquitur nisi spiritus privatus singulorum. Post fontes fidei igitur demonstranda erit Ecclesia, quae unacum Traditione praecipuum punctum differentiae inter catholicos et novatores saeculi 16. constituit: unde haec pars *demonstratio catholica* nuncupatur. Inquirendum denique restat, quomodo ad revelationem divinam homo se habere debeat; et quidem sub duplici respectu, qua simplex *fidelis* et qua *theologus*. Quare ultimo loco de *fide* et de *intellectu fidei* (γνώσις) agemus.

Theologiam fundamentalem igitur quinque tractatibus absolvemus, qui sunt: 1. *Revelatio*, 2. *Traditio*, 3. *Scriptura*, 4. *Ecclesia*, 5. *Fides et intellectus fidei*. — Scriptura et Traditio a nonnullis theologis appellantur *principia constitutiva*, Ecclesia vero *principium directivum*; eo quod Scriptura et Traditio ipsam revelationem, cui fides et Theologia innitur, continent, Ecclesia vero in usu horum fontium nos dirigit.

Si iam *ratio quaeritur, qua tractanda est Theologia fundamen-* 22  
*talis*, ex ipsa eius descriptione (18) manifesto consequitur, praecipue quidem theologicis, partim vero etiam philosophicis argumentis utendum esse. *Praecipue theologicis*, inquam; siquidem Theologia fundamentalis est pars Theologiae supernaturalis, quae est scientia fidei, demonstranda ex revelatione divina. Annon totidem articuli fidei sunt ipsa revelatio, Scriptura, Traditio, Ecclesia et alia obiecta, quae in Theologia fundamentali tractantur?<sup>1)</sup> Atqui articuli fidei ex revelatione hauriuntur. Nihilominus *philosophicis* etiam saepe argumentis uti debemus. Theologia namque fundamentalis, ut dictum est, ipsa fundamenta fidei inquirat et contra incredulos defendit; increduli autem argumentis ab ipsa fide petitis convinci et redargui non possunt. Quapropter Theologia fundamentalis, quatenus *apologetica* est, argumentis ex ratione petitis procedit.

<sup>1)</sup> Cf. Professionem fidei Tridentinae: «Et in Spiritum Sanctum, . . . qui locutus est per prophetas». «Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam *Ecclesiam*.» «Apostolicas et ecclesiasticas *traditiones* . . . firmissime admitto et amplector. Item *sacram Scripturam* iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia . . . admitto.» Denzinger 994 sq.

Aliis verbis: Theologia fundamentalis duplicem scopum habet. Primus et praecipuus est, ut *fideles* instruantur, confirmentur aptique reddantur ad rationem fidei suae reddendam omni poscenti (I. Petr. 3, 15). Alter scopus est, ut ipsa revelatio contra *incredulos* defendatur. Iamvero ad duplicem hunc scopum obtinendum manifesto tam theologicis quam philosophicis argumentis uti oportet.

Sed obiiciet quispiam, revelationem ex revelatione citra circulum vitiosum probari non posse; atque ideo ab argumentis theologicis in demonstratione fundamentorum fidei prorsus abstinendum esse. — Ut huic difficultati satisfiat, exemplum ex ipsa Philosophia afferre placet. Notum est, philosophos in ea parte, quae *Critica* appellatur, fundamenta cognitionis rationalis ipsamque possibilitatem cognoscendae veritatis disquirere et defendere. Hoc vero non ita praestant, ut contra scepticum universalem aptitudinem rationis ad cognoscendam veritatem, principium contradictionis aliasque veritates fundamentales *logice* demonstrent, quod utique sine circulo fieri non posset; sed *ontologice* haec fundamenta examinant, eorumque veritatem pro homine sana ratione utente ostendunt, illustrant ac vindicant. Hoc est testimonium rationis pro seipsa, sicut sol proprio lumine se commonstrat homini videnti nec oculos consulto claudenti.

Simili modo Theologia sibi ipsi testimonium reddit ac propria luce se signat argumentis theologicis; non quidem contra incredulum, qui est veluti scepticus universalis in ordine supernaturali, sed pro fideli, qui homini sana ratione utenti ordinis naturalis aequiparatur. Contra incredulum vero argumentis philosophicis ostenditur, quam irrationalis sit infidelitas; sicut philosophus contra hominem scepticum ostendit, quam irrationalis sit scepticismus.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Cf. s. Thomi p. 1 q. 1 a. 8; Egger, Propaed. n. 164. 166.

# TRACTATUS I.

## DE REVELATIONE.

---

Antequam ipsam revelationem supernaturalem auspica- 23  
mur, quaestionem de religione naturali praemittimus, idque  
ex triplici ratione. *Primo* quia religio est *praeambulum* re-  
velationis, non quidem historice, quasi religio pure naturalis  
unquam exstiterit; sed realiter et logice, quia revelatio  
superaddita est religioni naturali.<sup>1)</sup> «*Religio*» se habet ut  
genus, «*naturalis et supernaturalis*» sunt veluti differentiae  
specificae. *Secundo* quia moderni increduli eo iam progredi-  
untur, ut nedum revelationem, sed omnem religionem pro-  
terve impetant. Quare fundamentum revelationis, quod est  
religio naturalis, primo in tuto collocandum est. *Tertio* quia  
plures in hac materia occurrunt quaestiones, quarum demon-  
stratio non solum ex lumine rationis, sed etiam ex fontibus  
*fidei* petitur; quae proinde, licet suapte natura ad Philoso-  
phiam spectent religionis, tamen in Theologia quoque locum  
habent.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Sic etiam s. Thomas in Sum. theol. plures quaestiones phi-  
losophicas, tamquam praeambula fidei tractavit; cf. e. g. p. 1 q. 2  
a. 2 et alibi passim.

<sup>2)</sup> Nonnulli auctores recentiores ante religionis tractationem  
alias iterum quaestiones praevias de Deo, de fine mundi, de ani-  
mae humanae simplicitate, spiritualitate et immortalitate etc. prae-  
mittunt. Cf. Hettinger, Lehrbuch d. Fundam.-Theol. Bd 1 § 3  
(2. Aufl. Freiburg 1888). At istae quaestiones, prout theologicae  
sunt, ad Dogmaticam specialem pertinent suisque in locis tractari  
debent; prout mere philosophicae sunt, contra incredulos efficaciter  
probari et defendi nequeunt, quin materia Theologiae fundamentalis  
ita excrescat, ut id tum a scientia theologica tum a scopo nostris  
scholis theologicis praefixo nimium quantum distet. Profecto! non  
debemus intellectum candidati Theologiae in materia religionis ut

## SECTIO I.

### De religione generatim.

#### Religionis etymon et definitio.

- 24 Etymon vocis *religio* ab aliis aliter explicatur. *Tullius* illud a *relegere* derivat inquires:<sup>1)</sup> «Qui omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, et tanquam *relegerent*, sunt dicti *religiosi* ex relegendo.» *Lactantius* vocis radicem in verbo *religare* deprehendit:<sup>2)</sup> «Hac, ait, conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc solum sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti, Deo *religati* sumus; unde ipsa *religio* nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, a religendo.» Pulchrius quam verius *Augustinus* etymon *religio* a *religere* derivat:<sup>3)</sup> «Hunc eligentes vel potius *religentes* (amiseramus enim negligentes), hunc ergo religentes, unde et *religio* dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus.» — Quaecumque autem sit vocis etymologia, in usu communi, «quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi,»<sup>4)</sup> *religio* semper *relationem* ad *Deum* significat, ita ut sine Deo eius notio ne concipi quidem possit.<sup>5)</sup>

tabulam rasam considerare, in qua nihil scriptum sit; aut modo agendi Georgium *Hermes* imitari, qui auditoribus suis commendabat, ut ab absoluto dubio religioso studium theologicum auspicarent (Introduct. positiv. ad theol. pg. 30). — Haec tamen, ut per se patet, dicta non sunt contra libros unice vel saltem primario apologeticos, qui existentiam Dei, immortalitatem animae, libertatem humanam aliasque veritates cardinales religionis contra incredulos nostri temporis defendunt. Cf. e. g. Lehrbuch d. Apologetik, auctore Gutberlet, qui inter apologetas nostrates eminet (3. Aufl. Münster 1903). Consule de hac re etiam Pesch, Theolog. Zeitfragen I. c. S. 73.

<sup>1)</sup> De natura deor. I. 2 c. 28 n. 71.

<sup>2)</sup> Divin. instit. I. 4 c. 28; cf. Hieron. in Amos. 9, 6; Isidor., Etymol. I. 8 c. 2.

<sup>3)</sup> De civit. Dei I. 10 c. 3; alibi tamen scribit: «*Religat* nos *religio* omnipotenti Deo, unde *religio* dicta creditur.»

<sup>4)</sup> Horat. ep. ad Pison.

<sup>5)</sup> Thom. p. 2, 2 q. 81 a. 1: «*Religio* proprie importat *ordinem ad Deum*; ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assi-

Duplex autem est hominis ad Deum relatio: *ontologica*, 25 qua omnia entia etiam irrationalia secundum totum suum esse a Deo dependent; et *moralis*, qua entia rationalia et libera hanc suam dependentiam agnoscunt, Deumque ut creatorem atque ultimum finem theoretice et practice colunt. Relatio ontologica est quidem *fundamentum*, non vero *ratio formalis* religionis; alioquin etiam entia irrationalia religionem haberent. Ratio formalis potius in agnitione theoretica et practica absolutae dependentiae a Deo collocanda est. Liquet etiam, *subiectum* huius relationis non esse Deum, sed hominem; quia non Deus religionem habet, sed homo erga Deum. Igitur Deus est *terminus* huius relationis, non subiectum.

Agnitio, reverentia et honor Deo ut absoluto Domino exhibitus *cultus* appellari solet. Quare optime cum s. Thoma religio definiri potest: *Virtus, qua homines Deo debitum cultum et reverentiam exhibent.*<sup>1)</sup> Dupliciter autem Deus colitur: per actus peculiares, qui immediate et per se ad honorem Dei referuntur, et generatim per servitium, quod homo Deo praestat legem eius totumque ordinem ab ipso statutum observando. Unde etiam religio dupliciter sumitur, ut virtus *specialis*, quatenus homo per certos actus internos et externos Deo debitum honorem exhibet; et tamquam virtus *generalis*, qua homo se totum Deo subiicit atque omnia in gloriam Dei facit.<sup>2)</sup> In praesente tractatu non de virtute speciali religionis, sed de generali loquimur.

Religio primario et formaliter *subiective* accipitur, quia iuxta dicta religio virtus est, virtus autem in subiecto rationali reperitur. Nihilominus vox «religio» passim etiam *obiective* sumitur, videlicet pro complexu omnium eorum, quae ad cultum divinum pertinent. Unde nomine religionis obiective sumptae ipsam doctrinam de Deo theoreticam et practicam, praesertim revelationem cum omnibus mediis salutis intelligimus.<sup>3)</sup> Sub hoc respectu religio quandam re-due dirigi debet, sicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus et credendo et fidem protestando recuperare debemus.»

<sup>1)</sup> Sum. theol. 2, 2 qu. 81 a. 5.

<sup>2)</sup> Ib. a. 4 ad 2; cf. a. 7.

<sup>3)</sup> Sensu translato religio pro statu perfectionis sumitur: «Quam-

ciprocitatem inter Deum et hominem importat, scilicet tum ea quae Deus pro homine fecit, tum ea quae homo pro Deo facere tenetur.<sup>1)</sup>

Nolumus immorari in recensendis et refutandis definitionibus falsis; sunt enim innumerae. Neque mirum. Cum enim religionis notio ex relatione hominis ad Deum resultat, omnes philosophi, qui supremi numinis ideam pervertunt, consequenter etiam religionis ideam pervertant necesse est.<sup>2)</sup>

His praemissis agemus de religionis *origine, obligatione, natura, proprietatibus*; ac tandem brevi praemissa *historia* religionum antiquarum ostendemus, quomodo omnes inserviebant, ut humanum genus religioni christianae praepararetur.

## CAPUT I.

### De religionis origine, obligatione, natura et proprietatibus.

V. Cathrein, Die Einheit des sittlichen Bewußtseins der Menschheit 3 Bd., Freiburg 1914. Idem, Moralphilosophie, Freiburg 1904. C. Gutberlet, Ethik und Religion, Münster 1892. Ph. Kneib, Jenseitsmoral, Freiburg 1906. W. Schneider, Göttliche Weltordnung und religionslose Sittlichkeit, 2. Aufl., Paderborn 1909. J. Steffes, Religionsphilosophie, München 1925. K. Eschweiler, Die zwei Wege der neueren Theologie, Regensburg 1926.

## ARTICULUS I.

### De religionis origine et obligatione.

26 Duplex habetur quoad religionis originem opinio e diametro sibi opposita: una extreme *supernaturalistica*, altera vis enim *religiosi* dici possint omnes, qui Deum colunt, specialiter tamen *religiosi* dicuntur, qui totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis se abstrahentes; sicut etiam *contemplativi* dicuntur non omnes, qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam dedicant.» Thom. a. 1 ad 5.

<sup>1)</sup> Sic et non aliter tolerari potest definitio, religionem esse relationem *mutuam* inter Deum et hominem (Klee, Kath. Dogmatik, 2. Aufl. Mainz 1839, Bd 1 S. 13).

<sup>2)</sup> Vide, si placet, plurimas huiusmodi definitiones ap. Hettinger, Fundam.-Theol. Bd 1 § 4 S. 74 ff; et ap. Gutberlet, Lehrbuch d. Apologetik Bd 1 S. 8 ff.

extreme *naturalistica*. Illa religionem considerat ut rem supernaturalem, quae nonnisi ex positiva revelatione divina ortum ducere potuit. Hanc opinionem tenent *Traditionalistae*, *Klee*, *Staudenmaier*, *Schmidt* aliique. Extremus naturalismus vero religionem ut phaenomenon mere naturale considerat, quod nequidem ex natura rationali, sed ex passionibus et vitiis naturalibus procedit. Sic iam antiqui increduli legislatorum et sacerdotum *fraudibus* et *metui* religionem tribuebant. Recentiores vero vel ex *ignorantia*, vel ex *phantasia*, vel ex *amore proprio* et *instinctu felicitatis* religionem derivant.<sup>1)</sup>

Praecipue commemorandus est *Modernismus*, cuius haec sunt placita:<sup>2)</sup> α) Obiectum rationis non sunt res in seipsis earumque natura (ut intellectualismus docuit, qui iam est systema ridendum et iamdiu emortuum); sed sunt sola phaenomena, res videlicet quae apparent eaque specie qua apparent. Omnis res ergo, quae et quatenus terminos phaenomeni praetergreditur, penitus ignoratur (Agnosticismus). Deus ergo, cum non sit phaenomenon, a ratione directe cognosci nequit. β) Cognoscitur autem indirecte. Homini enim inest quaedam indigentia divini seu impulsio ad Deum, quae corde sentitur. Hic sensus est primum germen religionis ideaeque divinae. Deus enim est, qui licet confuse sentitur. Religio ergo non a principio externo, sed a principio interno oritur estque aliquid homini immanens, sicut reliqui motus vitales (Immanentismus religiosus). γ) Porro sensus iste religiosus non statim advertitur, sed, ut aiunt, in subconscientia latet, ex qua paulatim in certis aptisque complexibus erumpit atque in conscientia apparet.

<sup>1)</sup> Hartmann (Das religiöse Bewußtsein S. 3 f), philosophus in Germania satis celebris, religionem ipsis prudentioribus animalibus domesticis adscribit: «Wir können nicht umhin, dem Verhältnisse, wie es zwischen den klügsten Haustieren und ihren Herrn besteht, nach Seiten des Tieres einen religiösen Charakter beizulegen... Es steigert sich der religiöse Charakter des Verhältnisses in dem Maße, als das Tier durchdrungen ist von der intellektuellen und moralischen Überlegenheit seines Herrn, als es denselben in jeder Hinsicht als höheres Wesen betrachtet.»

<sup>2)</sup> Encycl: Pii X. «Pascendi dominici gregis», dd. 8. Sept. 1907, edit. Friburg. pg. 10 sqq. Cf. Denzinger 2071 sqq.

Haec apparitio sensus religiosi in conscientia est prima revelatio, initium fidei, immo totius scientiae dogmaticae. Ratio enim in phaenomenon illud vitale sensus religiosi, cuius obiectum est ipsum absolutum i. e. Deus, se inflectit illudque sub aspectibus variis considerat, cogitat, elaborat ac novis semper formulis dogmaticis eloquitur.<sup>1)</sup>

Inter errores oppositos media via incedit veritas docens, religionem ab ipsa natura rationali hominis germinare, hominemque tum lege naturali tum divina ad religionem obligari. Quousque autem vires naturales in re religiosa pertingant, postea (469 sqq) declarabimus. — Sit itaque

- 27 **Thesis 1.** *Religio in ipsa natura humana fundatur, ita ut omnis homo naturaliter et absolute ad religionem obstrictus sit.*

Thesi adversantur praeter *atheos*, *pantheistas* fautoresque *indifferentismi* absoluti praesertim *Eudaimonistae*, qui solam utilitatem religionis ad vitam generis humani beatam concedunt, *Macchiavellistae*, qui necessitatem religionis non nisi ad coercendam plebem vel securitatem reipublicae defendendam inculcant, *Kantiani* denique, qui autonomiam rationis humanae praetendentes subiectionem sub lege Dei detrectant.

Propositio probatur ex ordine *metaphysico*, *moralis*, *iuridico*, *sociali* et *eudaimonologico*.

1. Ex ordine, inquam, *metaphysico*. Creatura enim essentialiter dependet a creatore tamquam a suo principio, domino absoluto, provisorio et fine ultimo. Atqui ex hac dependentia necessario resultat obligatio religionis, per quam debitus Deo cultus exhibeatur. Si enim ipsa ratione dictante parentibus, dominis, benefactoribus exhibendus est honor, obedientia et gratitudo: a fortiore Deo, in quo praedicti tituli infinite eminentius reperiuntur, summum obsequium

---

<sup>1)</sup> Denzinger 2077: «Habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem; sunt nempe illae religiosi sensus merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnibus parem; nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, vitalis processu immanentiae, non aliter, nata est».

et cultus debetur. Ergo homo naturaliter ad religionem obligatur.<sup>1)</sup>

2. Probatur ex ordine *moralis*. Notiones enim fundamentales, quibus ordo moralis innititur, scilicet *bonum* et *malum morale*, *virtus* et *vitium*, *officium*, *conscientia* et maxime *lex naturalis* sine religione plane fictitiae essent et aenigmatae.

a. Certe *moralitas* essentialiter postulat regulam quandam supremam, absolute sanctam et immutabilem, quam sequi bonum et officium est, quam transgredi malum et piaculum putatur. Huiusmodi autem regula extra Deum nulla est.

b. Blasphemia, periurium, maleficium, impietas (*ἀσέβεια* Gottlosigkeit) aliaque peccata irreligiositatis penes omnes gentes habentur ut res malae et detestandae. Atqui ubi nulla religio, neque est peccatum irreligiositatis. Immo si nulla est religio, neque est transgressio legis divinae; proinde neque proprie dictum *peccatum morale*, sed ad summum peccatum philosophicum haberetur. Nonne hoc experientia confirmat, dum homines irreligiosi peccata luxuriae ut innoxiam fragilitatem proclamant, fraudes, latrocinia aliaque scelera, dummodo formis civilibus teguntur, ut licita vel etiam laude digna declarant?

c. Praeterea negata religione etiam *lex naturalis* consequenter neganda esset. Immutabilitas enim, aeternitas et absoluta necessitas, qui sunt characteres huius legis, concipi et consistere nequeunt sine legislatore immutabili, aeterno et absolute necessario; omnis quippe lex suam vim habet a legislatore, sicut effectus a causa.<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Leo XIII. (Encycl. «*Libertas, praestantissimum*», dd. 20. Iun. 1888) scribit: «Ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur ab eoque profecti ad eum reverti debemus.»

<sup>2)</sup> Hunc nexum inter legem naturae et religionem pulcherrime describit Tullius (De legib. l. 2 c. 4; cf. De republ. l. 3): «Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam nec scitum aliquod esse populorum, sed

d. *Conscientia* pariter irrefragabile testimonium reddit religioni. Praecipit enim et vetat, approbat ac remordet, neque desinit protestari contra praetensam independentiam hominis irreligiosi.

e. Denique ordo moralis consistere nequit absque *sanc-tione*. Atqui nulla alia sanctio sufficiens esse potest, quam illa, quae in altera vita ab ipso supremo legislatore et iudice exspectatur.

3. Probatur ex ordine *iuridico* et *sociali*; quod ex priore puncto consequitur. *Ius* namque et *officium* sunt notiones correlatae, neque ullum ius salvum consistere posset, nisi aliis officium incumberet, illud religiose sancteque servandi. Cum ergo iuxta dicta omne officium ipsaque lex naturalis religioni superstruatur, liquido sequitur, totum ordinem iuridicum eidem religioni inniti. Cum insuper omnis societas humana mutuis civium officiis et iuribus veluti quodam glutine spirituali compaginetur, non minus certum est, totum etiam ordinem *socialem* in religione fundari. Merito proinde *Plato*<sup>1)</sup> affirmat: «Omnis humanae societatis fundamentum convellit, qui religionem convellit.» Et *Plutarchus*<sup>2)</sup> «facilius esse, ait, urbem in aëre aedificare, quam rem publicam sine cultu religionis fundare.» — Haec late exponit *Leo XIII.* (Encycl. *Immortale Dei* dd. 1. Nov. 1885), ubi loquens de commodis, quae religio societati affert, ita prosequitur: «Auctoritas principum sanctitudinem quandam induit humana maiorem, contineturque, ne declinet a iustitia, seu modum in imperando transiliat; obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis.»

---

aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei; ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata... Orta autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad iuvandum et ad vetandum, ratio est recta summi Iovis.»

<sup>1)</sup> De legib. l. 10.

<sup>2)</sup> Adv. Colot.

4. Tandem ordo quoque *eudaimonologicus* manifesto religionem supponit, atque demonstrat iuxta celeberrimum Augustini<sup>1)</sup> dictum: «inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te». Homo enim, eo quod bonum, verum et pulchrum universale cognoscit, non satiatur ullo particulari bono, vero et pulchro; sed necessario ipsam veritatis, bonitatis et pulchritudinis plenitudinem appetit. Haec autem nonnisi in Deo invenitur, qui est ipsa veritas, bonitas et pulchritudo. Ergo homo ex ipso innato desiderio felicitatis inducitur ad amandum Deum aliosque actus ponendos, quibus ad possessionem Dei perveniat.<sup>2)</sup> His actibus autem religio exercetur.

5. Thesis haud parum confirmatur ex *historia* et *consensu generis* humani. Semper enim, ubique terrarum, et penes omnes populos (ut suo loco probabimus), aliqua religio fuit. Atqui quod fuit semper, ubique et apud omnes, profecto erroneum esse nequit; «opinionum enim commenta delet dies, naturae autem iudicia confirmat.»<sup>3)</sup>

**Corollarium.** Ex dictis liquet, quam stulte increduli 28 religionem aut ab educationis praeiudiciis, aut a legislatorum et sacerdotum fraudibus, aut a metu et ignorantia, aut ex phantasia, aut ex amore proprio derivent.

Profecto concedendum est factum historicum, plerosque Dei cultores a *magistris educatos* ideam divini numinis concepisse et usum religionis didicisse itaque religionem reipsa propagatam esse. Hoc factum autem explicari non posset in hypothesi adversariorum, si scil. quidam progenitores ideam Dei vanam et imaginariam confinxissent. Quamvis enim magisterium humanum historia teste saepe gravissimos errores diffuderit, non valet tantum, ut in toto genere humano indelebilem et firmam et per tot saecula durantem persuasionem de existentia rei imaginariae producere possit, praesertim si haec persuasio frenos libidini iniiciat. Neve obtrudas magnam turbam eorum, qui se atheos profitentur; nam hic atheismus ex fontibus venenatis scaturit,

---

1) Conf. l. 1 c. 1.

2) Cf. s. Thom. p. 1, 2 q. 2 a. 8.

3) Cicero, De nat. deor. l. 2 c. 2 n. 5.

non caret formidine errandi et atheistis relative paucis opponuntur innumeri alii doctissimi, qui pro existentia Dei testanda sanguinem fundere non verebantur.<sup>1)</sup> — *Praeiudicia* crescente aetate, experientia, cultura, sapientia, virtute deponuntur; religio vero proficiente homine in bonum, proficit, non deficit. — *Legislatores* et *sacerdotes* religionem in populo supponunt, non faciunt, vel ad summum formam eius et cultum externum constituunt. Sane quomodo fieri potuisset, ut omnium populorum legislatores et sacerdotes in hanc fraudem conspirarent et tam felici successu conspirarent, si religio non esset naturalis, sed aliquid fictitium et violentum? Certe, vel veris vel falsis rationibus religionem suadebant. Si veris, ergo religio est homini naturalis; si falsis, ergo ponitur effectus sine causa proportionata. Error enim multiplex est, nec potest producere consensum universalem, perpetuum et constantem. — At fortasse *ignorantia* phaenomenorum et *metus* deos invexit et religionem, iuxta illud: «Primus in orbe deos fecit timor, ardua coelo fulmina quum caderent?» Sed contra. Non solum pueri, mulieres et homines meticulosi atque ignorantes religionem habent; sed sapientes quoque et viri fortes. Quis ignoret, philosophos optimae notae, physicorum peritissimos, belli duces invictos religionem publice professos esse? Denique si timor nos Deum colere et religiosos esse docet, ostendant increduli, hunc timorem irrationalem esse. Certe vilis timor hominem non facit religiosum, sed facit atheum et irreligiosum. Religio enim vitia damnat et Deum scelerum vindicem docet. Quem timent, stulte negant.<sup>2)</sup>

Refutationi *modernisticae* explicationis religionis eiusque originis supersedemus. Modernistarum enim argumentandi modus non est «philosophare, sed delirare», ut Encyclica observat.<sup>3)</sup> Pudenda nota, sed merita! Qui enim cognitionis humanae terminos vi Agnosticismi intra phaenomenorum terminos claudit, poterit utique circa phantasmata ludere, philosophare autem, id est veritatem et sapientiam

---

<sup>1)</sup> Cf. Lercher, Inst. theol. dogm. I, 5.

<sup>2)</sup> Cf. Gutberlet, Apologetik Bd 1 S. 57 ff.

<sup>3)</sup> Denzinger 2075.

quaerere et invenire, non poterit. Ceterum in decursu tractationis saepius singulares modernistarum assertiones ab Ecclesia damnatas proferemus ac refellemus.

**Thesis 2.** *Eadem veritas theologice demonstratur.*

Sane singulae ferme paginae s. Scripturae, singula pene 29 documenta et monumenta traditionis veritatem enuntiatam ingeminant, sive theoretice sive practice, sive explicite sive implicite.

1. Expresse namque Deus cultum religiosum ab homine postulat: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies* (Deut. 6, 13; cf. Matth. 4, 10); et: *Si pater ego sum, ubi est honor meus, et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* (Mal. 1, 6); iterum: *Pater tales quaerit, qui adorent eum* (Ioan. 4, 23); rursus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. (Deut. 6, 5).

2. Neque hoc solum ad Iudaeos dictum est, sed *omnis* homo vi luminis naturalis Deum cognoscere et glorificare debet. Ratio enim, cur Deus cultum exigit, est omnino universalis omnesque homines tangit, quia videlicet est *Deus, Dominus, Pater, Creator, benefactor* etc. Apostolus vero expresse obligationem Deum colendi eiusque legem observandi ad gentes extendit. Postquam enim ostendit, gentes naturaliter Deum cognoscere eiusque virtutem et divinitatem, subdit: *ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum* (Rom. 1, 20 sq.; cf. 2, 15 sq). Item Sapiens (13, 1 sq) sugillat omnes, qui Deum ex pulchritudine mundi non cognoscunt et agnoscunt, ac concludit: *Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas eius* (14, 9).

3. Immo cultus religiosus Deo exhibendus significatur ut finis, propter quem creatura rationalis creata est: *Om-nem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum* (Is. 43, 7; cf. Eccli. 17, 7; I. Reg. 2, 30).

4. Hinc neglectio religionis etiam causa est omnium flagitiorum ac totalis aberrationis a fine: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium et coluerunt et servierunt creaturae potius, quam Creatori, qui est benedictus in sae-*

*cula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae* (Rom. 1, 25 sq; cf. Ps. 13, 1 sq).

5. Praemia Deum colentibus, supplicia contemnentibus intentantur: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea* (Ex. 20, 5 sq.; cf. Rom. 2, 2 sq) et alibi passim.

6. Denique maxime huc faciunt ea omnia, quae Deus in vetere testamento per prophetas, in novo per Filium suum unigenitum molitus est ad conservandam et determinandam religionem, qua ipse ab hominibus coli voluit.

## ARTICULUS II.

### De religionis natura.

- 30 Demonstrata existentia religionis, eius *naturam* inquiremus; qua in re plurimi hallucinati sunt. Quidam enim e. g. Pantheistae religionem in solis actibus *intellectus* reposuerunt, alii religionem ad actus *intellectus* et *voluntatis* coarctarunt, ut Quietistae et quadantenus etiam Protestantes. Illi enim, neglectis operibus, perfectionem religiosam in contemplatione et puro amore, hi in sola fide reposuerunt.<sup>1)</sup> Alii totum negotium religionis in *affectu*, ut Pietistae (*Iacobi, Schleiermacher*), alii e contrario totum in externa *moralitate* seu *honestate* collocarunt. Huius erroris antesignanus fuit *Immanuel Kant*, qui postquam cognitionem theoreticam omnis veritatis metaphysicae et religiosae veneno criticismi sceptici infecerat, ad salvandam aliquammodo moralitatem, sic dictum «imperativum categoricum rationis practicae» substituit, qui praecipit bonum esse faciendum, malum fugiendum, et Deum, licet eius existentia certo cognosci nequeat, esse colendum. Etiam Rationalismus religioni vix aliud munus tribuit, quam ut plebem incultam in officio contineat. Denique quam plurimi, hisce praesertim temporibus, religionem ut rem *privatam* declarant, societatem qua

<sup>1)</sup> Ita Molinos prop. damn. 2. 5. 30. 35 etc. (Denzinger, 1222. 1225. 1250. 1255 et Confessio Augustana III, 29.

talem vero irreligiosam esse decernunt.<sup>1)</sup> — Contra hos errores statuitur

**Thesis 3.** *Subiectum religionis est totus homo, tam singuli quam societas; elementa essentialia religionis subiective spectatae sunt actus externi et interni, privati et publici; elementa religionis obiective spectatae sunt veritates theoreticae, praecepta moralia et cultus externus.* 31

Prob. 1. *theologice*: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum (Ioan. 17, 3); et: Sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. 11, 6); iterum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua (Luc. 10, 27); iterum: Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum (Deut. 5, 29); item: Beatus populus, cuius Dominus Deus eius (Ps. 143, 15). Denique Iacobus Apostolus ait (1, 27): Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.<sup>2)</sup> Ex his aliisque innumeris locis s. Scripturae, praesertim ex libro Levitici, in quo externus et publicus cultus a Deo ipso instituitur, manifesto patet, totum hominem cum omnibus viribus suis tam animae quam corporis, et omnes homines tum singulos tum integram societatem ad religionem obligari. Patet insuper, elementa religionis esse veritates theoreticas, praecepta moralia et cultum externum ex variis symbolis, caeremoniis, orationibus, maxime sacrificiis compositum.

2. *Philosophice*. a. Obligatio namque hominis ad cultum Deo praestandum iuxta dicta oritur ex essentiali eiusdem dependentia a Deo. Atqui haec dependentia afficit totum hominem quoad animam et corpus, afficit omnes facultates bonaque omnia, quae habemus, afficit ipsam etiam societatem qua talem. Ergo totus homo et omnes homines privatim et publice ad religionem obligantur. Sicut nulla est 32

<sup>1)</sup> Cf. Hettinger l. c. S. 78 ff.

<sup>2)</sup> «Religionis summa est, imitari quem colis.» Ita perbelle s. August. (De civit. Dei l. 8 c. 17).

vel fingi potest relatio vitae humanae a Deo independens, ita nihil est in vita humana a religione prorsus exemptum.

**b.** Homo intellectum habet ad Deum cognoscendum, libertatem ad eius mandata exequenda, cor ad eum amandum, multiplices denique vires animae et corporis, quibus Deo serviat. Atqui multiplex haec indoles et exigentia, quam auctor naturae humanae indidit, non potest esse frustra aut per accidens. Ergo homo ad religionem, per actus respondentes exercendam, naturaliter a Deo destinatus est.

**c.** Cultus externus sine cultu interno est hypocrisis, quia aliquid fingitur, quod non est; cultus internus sine externo est mancus et contra naturam, quia affectus interni naturaliter foras prorumpunt; cultus privatus sine publico est incertus et labilis, quia quod ab arbitrio singulorum dependet, diu stare non potest; cultus publicus sine privato iterum hypocrisis esset et imitatio augurum antiquorum, qui privatim ridebant, quod publice colebant. Religio denique sine moralitate esset pharisaica et Deo iniuriosa; moralitas sine religione esset falsa, quia nullus actus vere honestus existit, nisi conformis sit legi divinae atque ad Deum ut finem ultimum referatur; esset contradictoria, quia primum officium morale est cultus divinus; esset labilis, quia absque adiutorio Dei et sanctione alterius vitae homo passionem diu vincere nequit. Praeterea notiones primitivae *peccati, sacrificii, iureiurandi* etc. persuasionem omnibus gentibus communem involvunt, laesionem ordinis moralis simul offensionem esse divini numinis eiusque placationem exigere. Vera moralitas ergo sine religione ne cogitari quidem potest.<sup>1)</sup>

**d.** Ex his tandem sponte consequuntur tria enuntiata elementa religionis obiective spectatae. Sine certo dogmate enim non esset cultus rationalis, sine certis legibus moralibus non esset cultus honestus, sine certis symbolis non esset cultus externus et publicus, neque congruus naturae hominis, quae non pure intellectiva est, sed etiam sensitiva.

**Corollarium.** Exinde patet, quid sentiendum sit de *Socialistarum* axioma: *religio est res privata*. Sequitur enim ex hoc dicto:  $\alpha$ ) Religio non pertinet ad societatem

<sup>1)</sup> Cf. Gutberlet l. c. S. 32 ff.

qua talem, sed tantum ad singulos homines.  $\beta$ ) Quare auctoritas publica in res religiosas se ingerere non debet; sed singulorum arbitrio relinquendum est, an et quid credere, et quomodo vitam suam religiosam et moralem instituere velint.  $\gamma$ ) Impune quoque omnem cultum religiosum ipsumque Deum eiusque legem contemnere licebit. Atqui haec omnia non solum falsa et absurda sunt, sed ipsius societatis fundamenta subruunt viamque anarchismo sternunt; quod ipsa experientia in dies magis magisque confirmat.

### ARTICULUS III.

#### De proprietatibus religionis.

Praecipuae religionis proprietates sunt: *veritas, unitas, universalitas* et *necessitas*. Nomine *veritatis* intelligitur illa religionis proprietas, qua Deo vero verus cultus internus et externus exhibetur. *Unitas* est proprietas, qua non quidem plures formae plus minusve perfectae religionis verae, sed plures verae religiones contradictorie vel contrarie sibi oppositae excluduntur. Sic revelatio patriarchalis, mosaica et christiana non constituunt plures religiones, neque opponuntur unitati religionis; opponitur vero sic dictus *Indifferentismus* vel *Latitudinarismus*, iuxta quem omnes religiones, quantumvis oppositae, aequales sunt. *Universalitas* est proprietas, qua religio ad omnes homines totumque hominem pertinet, omnesque eius facultates ac relationes privatas et sociales afficit ac veluti pervadit. *Necessitas* denique est proprietas, vi cuius religio non est quid homini liberum, sed obligatorium et necessarium; necessitate videlicet medii et praecepti, pro singulis et pro societate ad consequendum finem proximum et ultimum.

#### Thesis 4. Religio debet esse vera.

1. Sane, religio falsa non est religio, sed impietas. Nonne impium est, falsa numina colere, attributa divina negare, imperfectiones vel etiam vitia Deo affingere, praecepta morum pervertere ac bonum malum et malum bonum dicere, cultui publico ritum superstitiosum vel etiam turpem admiscere? Atqui haec plus minusve in omnibus falsis religionibus fiunt.

2. Posito quod Deus certam aliquam religionem revelaverit certumque cultum praescripserit, haec religionis forma unice vera erit; quicumque enim alio modo Deum colere praesumit, ac Deus ipse vult, eum non colit sed offendit. Hoc sensu damnata est prop. 15 Syllabi: «Liberum cuique homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.»<sup>1)</sup>

3. Christo Domino testante «Deus quaerit *veros adoratores*, quia *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*» (Ioan. 4, 23 sq). Profecto! ad quid tanta molimina in antiquo foedere per prodigiosam separationem et gubernationem populi iudaici, nisi ad conservandam veram religionem? Ad quid Deus per prophetas et novissime locutus est nobis in Filio, nisi ad revelandam veram religionem?

35 **Obiectio 1.** Deo sufficit bona voluntas; quicumque ergo corde sincero Deum quaerit, acceptus est ei, etiamsi fortasse in modo quaerendi erret. Eo vel magis, quia omnis cultus humanus ex una parte naturaliter imperfectus est et insufficientis, ex altera vero parte cultus etiam perfectissimus nihil Deo conferre potest, cum sit Deus sibi sufficientissimus.

Resp. a. Retorqueo argumentum: Sufficit Deo bona voluntas; at bonam voluntatem non habet, cui tantundem valet religio vera ac falsa. Ergo unusquisque veram religionem quaerere debet, si eam nondum novit; amplecti, si novit sed nondum habet; firmiter tenere, si eam iam possidet. — b. Acceptus est Deo, qui eum colit, licet fortasse erret,<sup>2)</sup> *Dist.*: si involuntarie erret, C.; si voluntarie, N. — c. Omnis cultus est imperfectus, *D.*: est positive imperfectus i. e. falsus et malus, N.; imperfectus negative, quatenus nimirum maioris perfectionis capax esset, *Tr.*; licet accurate loquendo etiam hoc negari posset. Nam religio Christi obiective spectata est perfectissima Deoque exhibet honorem infinitum, praesertim per sacrificium crucis et missae. — d. Denique cultus noster non auget quidem gloriam Dei

<sup>1)</sup> Denzinger, 1715.

<sup>2)</sup> Litterae *D.* (*Dist.*) *C.* *N.* *SD.* *Tr.* sunt abbreviationes pro formulis scholasticis: *distingo, concedo, nego, subdistinguo, trans-eat*. Hoc semel pro semper notasse sufficiat.

intrinsecam, utique vero eius gloriam extrinsecam; et quamvis Deus hac gloria seu potius glorificatione nostra non indigeat, eam tamen praestare debemus propter multiplices relationes, quibus Deo obstricti sumus, ipseque Deus propter suam sanctitatem cultum verum et sanctum ab homine postulare debet.

**Obiectio 2.** Quomodo linguae diversarum gentium nequeunt dividi in veras et falsas, ita etiam distinctio religionis verae et falsae reprobanda est.<sup>1)</sup> *Neg. par.* Nam linguae constant vocabulis, quae a gentibus ad res significandas arbitrarie instituuntur; quae proinde significatio semper vera et apta est. Religiones econtra enuntiant iudicia de Deo eiusque modo colendi; quae iudicia saepe contradictoria necessario sunt aut vera aut falsa, non vero indifferentia.

**Thesis 5.** *Vera religio una tantum esse potest.*

36

Prob. 1. Tunc pluralitas religionum admitti posset, si non solum plures formae plus minusve perfectae unius religionis, sed plures verae religiones oppositae compossibiles essent. At talis hypothesis est evidenter absurda; supponit enim, doctrinas contradictorias posse simul veras esse et unum verum Deum actibus contrariis coli posse.

2. Paulo aliter. Sensu *obiectivo* religio est complexio omnium officiorum, quae ex dependentia hominis a Deo resultant. Aquo omnia officia reducuntur ad hoc unum, ut exhibeatur reverentia uni Deo secundum unam rationem, «in quantum scilicet est primum principium creationis et gubernationis.»<sup>2)</sup> *Subiective* vero religio est ipse habitus huius reverentiae. Ergo religio tam obiective quam subiective spectata necessario est una.

**Thesis 6.** *Religio de iure et de facto universalis est.*

37

Iam probavimus (32), religionem universalem esse *intensive*, eo videlicet sensu, ut totum hominem omnesque eius facultates respiciat. Probavimus etiam, religionem *extensive* universalem esse debere, ita ut nemo sit, qui ad religionem non obligetur. Sed contendimus insuper, eam de *facto* universalem esse; non quidem eo sensu, ac si penes

<sup>1)</sup> Ita indifferentistae, e. g. M. Müller (Einleitung in die vergleichende Religionswissenschaft p. 112).

<sup>2)</sup> Cf. s. Thom. p. 2, 2 q. 81 a. 3.

omnes *vera* religio, sed quod *aliqua* religio semper et ubique fuerit.

Hoc imprimis iam a priore praesumi debet. Impossibile enim est, ut homo sana ratione utens idea Dei, conscientia boni et mali aliisque ideis religiosis et moralibus prorsus careat. Historia autem hoc omnino confirmat: «Si enim, inquit *Plutarchus*,<sup>1)</sup> terram obeas, invenire possis urbes muris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes: urbem vero templis diisque destitutam, quae precibus, oraculis, iureiurando non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.» Similiter *Cicero*:<sup>2)</sup> «Sua cuique civitati religio est.» Idem recentiores viatores atque ethnographi testantur.

- 38 **Obiectio.** Multi, nostris praesertim temporibus, religioni omni valedixerunt; immo a viatoribus gentes integrae sine ulla religione repertae fuerunt. — Resp. a. Exceptio firmat regulam; neque aliud profecto ex paucis illis exceptionibus sequitur, quam id unum, quod videlicet universalitas non est metaphysica aut physica, sed *moralis*. — b. Irreligiositas, quam multi prae se ferunt, est potius practica quam theoretica, vitium voluntatis et non intellectus. Quis sibi persuadeat, omnes illos, qui Deo debitum cultum detrectant, reipsa omni religione i. e. cognitione Dei cultusque ipsi debiti carere? — c. Falsum est, gentes integras sine *omni* religione repertas fuisse.<sup>3)</sup> Licet enim aliquae gentes certo et determinato cultu religioso destituerentur, nulla tamen omnino athea est vel fuit. Si vero prima fronte ita videbatur, accuratiore examine instituto, semper deprehendeba-

<sup>1)</sup> Adv. Colot.

<sup>2)</sup> De legib. l. 10.

<sup>3)</sup> Cf. Gutberlet, l. c. S. 45 ff, 84 ff. qui ex testimoniis auctorum ethnographorum optimaе notae erudite ostendit, gentes etiam maxime barbaras aliquas, subobscuras licet, ideas religiosas habere. Sic unus ex celeberrimis exploratoribus Africae *Livingstone* (Missionsreisen II, 103) expresse testatur, «se nullum Africanum reperisse, in quo non fuerit fides alicuius numinis supremi.» Non desunt inter ipsos incredulos hodiernos, qui universalitatem religionis concedunt, e. g. M. Müller, Réville, Hellwald (Darwinista) etc. Reipsa semper pauciores fiunt, qui religionem universalem esse negant. Cf. Pesch, Gott und Götter, I (Freiburg 1890).

tur, penes huiusmodi gentes aliquam persuasionem et cultum, utut superstitiosum, numinum altiorum et invisibilium viguisse. Semper itaque verum est, quod *Cicero* ait:<sup>1)</sup> «Nulla gens tam fera est, quae non, etiamsi ignoret, qualem deum habere deceat, tamen habendum sciat.»

Ceterum non multum altercabimus cum incredulis. Si gentium ferarum societate adeo gaudent, habeant sibi, non invidemus. Quidni etiam belluarum societatem sibi vindicant? Nam, ut praeclare observat *Lactantius*,<sup>2)</sup> «religio est paene sola, quae *hominem discernit a brutis*.»

**Thesis 7.** *Religio est absolute necessaria, necessitate 39  
medii et praecepti, pro societate aequae ac pro singulis.*

α) Dicitur necessitas *absoluta*, quae ex ipsa natura et essentia rerum oritur, et pro quavis hypothese valet. β) Dicitur necessitas *praecepti*, quae nonnisi ex obligatione superioris oritur; sic ad vitam aeternam necessaria est observatio ieiunii ecclesiastici. γ) Dicitur necessitas *medii* ea, quae oritur ex relatione necessaria ad finem; sic cibus necessarius est ad vitam, remissio peccatorum necessaria ad salutem. — His positis:

1. Thesis sequitur ex dictis (27—33), ubi demonstravimus, religionem non solum stricte a Deo praecipi tam singulis quam societati, sed eam necessariam quoque esse ad conservationem ordinis moralis, socialis et eudaimonologici.

2. Probatur insuper explicite ex hominis fine, qui est *felicitas*; finis quidem singulorum est felicitas aeterna ac perfecta in consecutione summi veri, boni et pulchri; finis autem societatis est felicitas temporalis proveniens ex communi civium prosperitate morumque cultura. Atqui nec singuli nec tota societas absque religione hanc felicitatem adipisci valent. Felicitas quippe perfecta nonnisi in possessione Dei consistit, ad quam profecto homo irreligiosus et impius nunquam pertinet. Felicitati sociali autem pariter religio tam est necessaria, quam necessaria est *iustitia* fundamentum regnorum, *auctoritas* in principe, *obedientia* in subditis, *fidelitas* in promissis, *pietas* erga parentes, *humanitas* erga miseros, aliaeque virtutes sociales, quae sine re-

<sup>1)</sup> De nat. deor. l. 2.

<sup>2)</sup> De divin. instit. l. 7 c. 9.

ligione vel nullae vel fucatae sunt. Hoc norunt ipsi philosophi pagani: *Aristoteles, Plato, Plutarchus, Cicero* etc. (27, 3). Hinc merito scriptum est (Ps. 143, 15): *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*; et (Prov. 14, 34): *Iustitia elevat gentem; miseros autem facit populos peccatum*.

- 40 **Corollarium.** Ex unitate et necessitate verae religionis ultro consequitur falsitas illorum systematum, quae nominibus *Indifferentismi, tolerantiae, Latitudinarismi, libertatis cultus* veniunt. Si enim, ut in prioribus demonstravimus (27. 29. 34), homo obstrictus est ad religionem et quidem ad religionem veram, et si una tantum religio vera est: profecto liquido sequitur, integrum cuique non esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. Quid absurdius, quid magis impium ac perniciosum esse potest, quam homini potestatem tribuere, «ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat: quod non libertas, sed depravatio libertatis est, abiecti in peccatum animi servitus» (Leo XIII. *Encycl. Libertas, praestantissimum*). — Cum vero isti errores nostris temporibus late grassentur multosque patronos habeant, eos in tractatu de Ecclesia (347) tamquam in propria sede ex professo adhuc refutabimus.

## CAPUT II.

### De Paganismo eiusque relatione ad revelationem christianam.

Chr. Pesch, *Der Gottesbegriff in den heidnischen Religionen des Altertums*, Freiburg 1886. Idem, *Der Gottesbegriff in den heidnischen Religionen der Neuzeit*, Freiburg 1888. W. Schmidt, *Menscheitswege zum Gotterkennen*, München-Kempten 1923. Idem, *Die Uroffenbarung*, München-Kempten 1923. G. Wunderle, *Die Wurzeln der primitiven Religion*, Würzburg 1920. H. Völlmecke, *Die Gottesidee im Bewußtsein der Menschheit*, Hildesheim 1924. W. Koppers, *Die Anfänge des menschlichen Gemeinschaftslebens*, M. Gladbach 1921. P. Schebesta, *Der Urmensch und seine Religion* (in *Frankfurter zeitgemäße Broschüren* Bd 31). R. Pettazzoni, *Dio. Formazione e sviluppo del monoteismo nella storia delle religioni*, Rom 1922. E. Dorsch, *Der ursprüngliche Gottesbegriff in der Menschheit* (*Zeitschr. f. kath. Theol.* 1924, 337—373; 473—499). Th. Danzel, *Kultur und Religion der primitiven Menschen*, Stuttgart

1924. A. Anwander, Die Religionen der Menschheit, Freiburg 1927. H. Frick, Vergleichende Religionswissenschaft, Berlin 1928. E. Dennert, Das geistige Erwachen der Urmenschen, Weimar 1929.

Homo ex demonstratis ad religionem eamque veram natus est. Quaeritur ergo, quaenam inter tot religiones, quas genus hominum profitebatur et adhucdum profitetur, sit vera. Ante ostensionem veritatis iuvat praemittere *errores*, ut lux de tenebris oriens magis splendescat. Nolumus tamen singulas religiones recensere ac refutare; quod, cum infinitae propemodum sint, nimis operosum ac plane impossibile esset; sed generalem conspectum exhibebimus, ac relationem earundem ad religionem christianam inquiremus.

## ARTICULUS I.

### Conspectus Paganismi. Errores circa eius naturam et originem.

#### I.

#### Conspectus Paganismi.

Varie sub variis respectibus Paganismus dispescitur.<sup>1)</sup>

1. Ratione *culturae* distinguuntur religiones populorum *cultorum* et *barbarorum* (Natur-Culturreligionen). 41

2. Ratione *obiecti* distinguitur: a. *Atheismus*, qui tamen non est religio, sed religionis negatio. — b. *Fetischismus* (a voce portugisica feitico, factitius), qui certa obiecta materialia, aliquod saxum, concham, caudam leonis vel quid simile adorat.<sup>2)</sup> — c. *Totemismus*, quo homo certas species animalium ut sibi consanguineas colit eorumque tutelae se committit. — d. *Idololatria* et *Anthropomorphismus*, qui deos eorumque simulacra sub forma humana adorat. — e. *Schamanismus*, qui deos hominibus dissimiles remotosque ab illis et potentiae altioris sibi fingit, in quos tamen monachus schamanus per artem magicam influxum exserere po-

<sup>1)</sup> Cf. Gutberlet l. c. S. 68. 84; Schanz, Apologie des Christentums Bd 2, 3. Aufl. (Freiburg 1905) S. 18 ff; Hettinger, Lehrbuch d. Fundam.-Theol. Bd. 1 § 46.

<sup>2)</sup> Iuxta recentiores auctores haec obiecta materialia apud gentes primitivas non sunt terminus immediatus adorationis, sed potius ut habitacula vel signa numinis suprasensibilis concipiuntur.

test. — f. *Transcendentalismus*, qui deos supermundiales et auctores mundi colit.<sup>1)</sup>

3. Alii ratione *numeri* divinitatum, quae coluntur, religiones in *polytheisticas*, *dualisticas*, *monotheisticas* vel *henotheisticas* dividunt. Henotheismus unum *supremum* deum inter plures inferiores, Monotheismus unum *solum* Deum ponit.

4. Alii diversitatem religionum ex *psychologica* et *intellectuali* diversitate populorum desumunt. a. Homines enim omnino barbari, qui vix ullam operationem abstractivam ostendunt, nonnisi objecta sensibilia et concreta (fë-tisch) colunt.<sup>2)</sup> — b. Qui aliquantulum altius abstrahendo se elevant, non iam hoc vel illud objectum, sed certas classes e. g. animalium, arborum etc. venerantur. — c. Succedit cultus naturae mundi; sive partes praecipuae e. g. sol, luna mare, terra; sive vires naturae; sive tota natura (ἐν καὶ πᾶν) modo pantheistico loco divinitatis habeantur. — d. Denique gradum saltem secundum quid altiozem religionis illi populi tenuerunt, qui supra naturam sensibilem se elevantes vel duo principia, bonum et malum (Dualismus), vel inter multos deos unum supremum (Polytheismus permixtus cum Henotheismo) admittebant. Elementum Polytheismi est daemonolatria, cultus mortuorum et cultus heroum, qui haud raro in cultum regum degenerabat.

5. Multis denique arridet divisio in religiones *naturales* et *ethicas*, quatenus numina concipiuntur ut entia physica vel ut entia moralia.

6. S. Scriptura praesertim commemorat *Sabaeismum* seu cultum naturae (Sap. 13, 2 sq), *Idololatriam* scilicet cultum eorum, qui appellaverunt deos opera manuum hominum (ib. v. 10), cultum *heroum* seu *tyrannorum* (14, 17), et *Daemonolatriam* (Deut. 32, 17; Ps. 95, 5).

Hae sunt praecipuae classificationes religionum paga-

<sup>1)</sup> Haec distinctio simulque evolutio religionis statuitur a Darwinista John Lubbock, Die Entstehung der Zivilisation und der Urzustand des Menschengeschlechtes, 6. Aufl. 1902.

<sup>2)</sup> Sic reperiuntur gentes silvestres, quae tantum nomina pro animalibus particularibus e. g. pro equo, cane etc. habent, sed nomine ad designandum «animal» in genere carent. (Cf. Gutberlet l. c.)

narum, quae nec veritate et utilitate omnino carent, sed nec ex omni parte adaequatae et accuratae sunt; eo quod plurimae istiusmodi formae et divisiones non solum eodem tempore, sed in eodem populo permixtae erant.

## II.

Errores circa Paganism naturam et originem.

Duplex in hac re error notari debet, sibi omnino oppositus: eorum, qui Paganismum nimis *extollunt*; et eorum, qui illum, si ita loqui fas est, nimis *deprimunt*. 42

1. Ad primam classem pertinet ac speciali refutatione indiget sic dictus *Progressionismus* seu *Progressismus*. Hic generatim principii loco statuit, hominem «ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertinere posse et debere.»<sup>1)</sup> In specie quoad religionem progressistae docent, omnes religiones quantumvis diversas et oppositas, esse totidem legitimas et naturales formas conscientiae religiosae continuo se evolventis et progredientis. Paganismus ergo a Christianismo non essentialiter ut falsum a vero, sed gradu ut imperfectum a perfecto distingueretur. Quod vero de diversis religionibus, id etiam de earum fundatoribus dicendum esset. Unde homines impii non verentur, Christum Dominum et Deum nostrum *Zoroastro, Confucio, Buddhae, Socrati, Muhammedo* aliisque comparare; eo ad summum discrimine, ut Christum primum inter pares i. e. inter fundatores religionum dicant.

Error Progressismi nostris temporibus tam late grassatur, ut conc. *Vaticanum* illum proscribere necessarium duxerit (l. c.).<sup>2)</sup> «Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed *ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertinere posse et debere*, a. s.» Progressismus est etiam unus ex erroribus fundamentalibus Modernismi, cui «veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur» (Decr. «Lamentabili» prop. 58). Hinc modernistae

<sup>1)</sup> Cf. conc. Vatic. Sess. III de revel. can. 3.

<sup>2)</sup> Denzinger 1808.

consequenter ad suum principium de *immanentia religiosa*, «religiones omnes contendunt esse veras» (Encycl. «Pas-cendi»).<sup>1)</sup>

Radix Progressismi est multiplex: a. Prima radix est *Pantheismus*<sup>2)</sup> paesertim idealis, prout illum *Hegel* excoluit. Iuxta illum divinitas nil aliud est, quam idea entis transcendentalis et indeterminati, quod paulatim se determinat et evolvit. Stadia huius evolutionis sunt totidem stadia religionis.<sup>3)</sup> — b. Altera radix est *Materialismus*, iuxta quem omnes rerum species, non excepto homine sunt necessariae evolutiones materiae primigeniae viriumque materialium.<sup>4)</sup> In hoc systemate consequenter etiam religio et moralitas vel negantur, vel ut evolutiones necessariae et manifestationes phantasiae considerantur. — c. Tertia radix est *Deismus* et *Rationalismus*, qui cum absolutam rationis independentiam a Deo proclamet, rationemque quasi deificet, eo ipso solas vires naturales omni vero bonoque consequendo pares esse putabit. — d. Quarta radix est *Scepticismus* seu *Criticismus* sub nova quadam forma nostris temporibus satis pervulgatus. Veritas in hoc systemate non habet valorem

<sup>1)</sup> Denzinger 2058. 2074 sq. 2081.

<sup>2)</sup> «Haec opinio utique est ultimus et tristissimus foetus pantheismi. Progressionistae, cultu veri et vivi Dei relicto, addicti sunt cultui purae humanitatis; immo humanitatem ipsam pro divinitate vera et absoluta habent: et ideo contendunt, non posse fieri, quod homo ad cognitionem quandam supernaturalem Dei evehatur; sed hominem ipsum progressus infiniti esse capacem, et quidem non ex Deo, sed ex se.» Ita Vincentius Gasser Episcopus Brixinensis in relatione conc. Vatic. (Vide Coll. Lacens. t. 7 pg. 145, Friburgi 1890).

<sup>3)</sup> Cf. Hegel, Religionsphilosophie, ubi tres classes in progressu religioso distinguit, scilicet religionem *naturalem* (Naturreligion), *spiritualem* (Religion der geistigen Individualität) et *absolutam* (Christentum). Stadia primae classis sunt: a. religio magiae apud homines silvestres; b. religio phantasiae apud Indos; c. religio transitus apud Aegyptos et Persas. Stadia secundae classis sunt: a. religio sublimitatis apud Iudaeos; b. religio pulchritudinis apud Graecos; c. religio utilitatis apud Romanos. — Similiter *Schelling* dictitat, deorum mythologias, quae apud diversas gentes reperiuntur, esse totidem phases necessarias in evolutione entis absoluti (mundi-Dei), ita ut processus mythologicus sit simul processus theogonicus.

<sup>4)</sup> Vide si placet, meam Propaed. (501 sq), ubi variae materialistarum theoriae exponuntur.

obiectivum, immutabilem et necessarium, sed est tantummodo expressio opinionis, ut aiunt, publicae (öffentliche Meinung), quae in dies mutatur.<sup>1)</sup> Exinde profecto progressismus religiosus ultro sequitur. Parum differt sententia eorum, qui dicunt, hominis esse quaerere, Dei autem possidere veritatem.<sup>2)</sup>

Omnia porro praefata systemata in eo conveniunt, ut hominem primitivum quasi belluam et anthropophagum concipiant, qui post multa saecula propriis viribus ad vitam socialem et religiosam emergerit.<sup>3)</sup>

2. Progressismo e diametro, ad apparentiam saltem, 43  
opponitur error eorum, qui in paganis nihil nisi *errorem* et *vitium* fuisse contendunt. Huc pertinent: **a. Reformatores** saec. 16., secundum quos, saltem quoad res religiosas, lumen rationis per peccatum originale penitus extinctum, libertas omnino amissa est. — **b. Baiani** et **Iansenistae** docentes, homines sine Christo ex se non habere vires nisi ad aberrandum et peccandum, omnia proinde infidelium opera esse peccata.<sup>4)</sup> — **c. Traditionalistae** affirmantes, hominem sine positiva revelatione nec Dei existentiam nec ullam veritatem religiosam cognoscere posse. — His praestitutis utramque classem errorum refutabimus.

## ARTICULUS II.

### Refutatio Progressismi religiosi.

Ante omnia non negamus *omnem* progressum religio- 44

<sup>1)</sup> Ita Victor Cousin, Jouffroy, Saint Simon alique.

<sup>2)</sup> Ita Lessing, Nathan der Weise. Etiam Augustus Comte in sua «Philosophia positiva» Progressismum religiosum promovit (cf. Gruber, Comte der Begründer des Positivismus, S. 58 f, Freiburg 1889).

<sup>3)</sup> «Homines a principio silvestres erant, et tunc nemo scivit proprios liberos nec certas nuptias.» Hoc dictum Ciceronis (De invent. l. 1 n. 1) semper mirifice placuit rationalistis et veluti axioma invaluit. «Qui (les sauvages) ont servi de texte éternel à I. I. Rousseau ... il a constamment pris le sauvage pour l'homme primitif» (De Maistre, Soirées, Entret. 10). Optabi ius visum est hominibus superbis, ex simia propriis viribus provehi ad hominem culturae saeculi decimi noni, quam ex Adamo lapso per gratiam Christi sublimari ad consortium divinae naturae!

<sup>4)</sup> Cf. inter prop. damn. Baii prop. 25. 65 et Quesnelli 39. 41. 48 etc.: Denzinger, 1025. 1065. 1389. 1391. 1398.

sum. Absit! Progressa etenim est religio obiective spectata, per successivas revelationes inde a protoevangelio in paradiso usque ad Evangelium Christi; progressa est et adhuc dum progreditur religio subiective spectata, scilicet tam singulorum quam totius Ecclesiae intelligentia religiosa. (Cf. conc. Vatic. Sess. III cap. 4 de fid. et rat.)<sup>1)</sup> — At vehementer negamus Pseudoprogressum religiosum prius expositum, qui iuxta dicta duos gravissimos errores continet: **a.** omnes religiones pro suo tempore fuisse legitimas, licet non absolute perfectas formas religiosae conscientiae; **b.** hominem iugi progressu propriis viribus religionem absolute perfectam attigisse vel saltem attingere aliquando posse. — Hos errores duabus thesibus refutabimus.

45 **Thesis 8.** *Variae formae Paganismi non fuerunt totidem legitima stadia seu formae conscientiae religiosae, sed totidem gravissimi errores hominis lapsi.*

**A.** Assertio imprimis *theologice* probatur. Ipsa s. Scriptura, praesertim veteris foederis, omnibus ferme paginis vivissimis coloribus impuram originem, stultitiam et malitiam Paganismi depingit poenasque contra illum intonat.

1. Sane radix Paganismi teste Scriptura non fuit natura, sed *peccatum*, praesertim *superbia*. Nam *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum* (Rom. 1, 21 sqq). Superbiae coniungebatur *inordinatus amor* creaturarum, quarum specie delectati eas deos putaverunt, unde creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium (Sap. 13, 3; 14, 11; cf. Eph. 5, 5). Patres quoque, praesertim apologetae, impuros fontes Paganismi eiusque progressum non in bonum, sed in malum saepe describunt.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Denzinger 1796.

<sup>2)</sup> Inter alios s. Athanasius (l. 1 contr. gent.) scribit: «Est malitia praevia anteambulaque idololatriae.» Et deinde gradus recen-

2. Stultitia et vesania Paganismi elucet: a. ex erroribus circa *ideam Dei*. Multi enim ignem aut spiritum aut citatum aerem aut gyrum stellarum aut nimiam aquam aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt (Sap. 13, 2). Alii mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium (Rom. 1, 23). Alii cum labore vano deum fingunt de luto eumque adorant, nec erubescunt loqui cum illo, qui sine anima est, et pro sanitate quidem infirmum deprecantur, et pro vita rogant mortuum, et in adiutorium inutilem invocant, et pro itinere petunt ab eo, qui ambulare non potest, et de operando et de omnium rerum eventu petunt ab eo, qui in omnibus est inutilis (Sap. 15, 8; 13, 17 sq). Alii diis suis flagitia humana affinxerunt, ipsaque vitia ut divinitates colebant (Venus, Astarte, Bacchus etc.).<sup>1)</sup> Immo cultus deorum in ultima analysi ad cultum daemonum revocabatur, quoniam *omnes dii gentium daemonia* (Ps. 95, 5).

b. Ex erroribus circa *cultum Dei*. Nam filios suos sacrificabant aut obscura sacrificia faciebant aut insaniae plenas vigilias habebant (Sap. 14, 23). Maleficia quoque, incantationes et maxime fornicationes plerumque cum cultu

set: «Nuper enim quum resiliisset a Deo mens humana... primum caelo, soli, lunae reliquisque stellis divinos honores consecraverunt.... mox adhuc magis humi cum tenebricosis suis cogitationibus subsidentes, aethera et aerem eaque, quae in aere sunt, deos appellaverunt... Postmodum vero cogitationibus consiliisque deterioribus initis in lapides etiam et ligna, reptilia tum aquatici generis tum terrestres et in brutas ferasque belluas, divinum et supremum nomen transtulerunt... postea bruta rationabiliaque animalia permiscentes et in unam speciem contrahentes pro diis colebant. Qualis erat apud Aegyptios Cynocephali et Ophiocephali.... Alii adhuc magis sceleratam superstitionem amplificantes, ex vitiis suis occasione sumpta libidinem et cupidinem fecere deos atque venerati sunt, qualis est apud illos Amor et quae Paphi colitur Venus» etc.

<sup>1)</sup> Sic. Lactant. (Instit. l. 1. n. 10) enumeratis flagitiis deorum concludit: «Quid horum omnium pater Iuppiter, qui in solemnī precatione Optimus Maximus nominatur? nonne a prima sua pueritia impius ac paene parricida deprehenditur, cum patrem regno expulsi... reliquam suam vitam in stupris adulteriisque consumpsit... Parum videbatur, si in expugnanda feminarum pudicitia maculosus esset ac turpis, nisi etiam sexui suo iniuriam faceret.»

deorum coniuncta erant. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitae est (Sap. 14, 12; cf. Deut. 18, 11; Bar. 6, 10. 42 sq).

c. Ex erroribus ridiculis et fabulosis de *origine mundi* in genere et *hominis* in specie, de hominis natura et destinatione, de malo eiusque origine, de fato inexorabili, cui non solum homines, sed «dii omnes et ipse Iuppiter pareat.»<sup>1)</sup>

3. Cum *mores* religioni respondeant, facile coniici potest, in quam profundum barathrum vitiorum genus humanum corruerit. Vere abyssus abyssum invocavit (Ps. 41, 8). «Neque vitam, inquit Sapiens (14, 24 sq), neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat; et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae. *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est et initium et finis*» (Cf. Rom. 1, 26 sq).

4. Denique s. Scriptura plena est minis intentatis contra idololatrias et poenis a Deo iisdem inflictis. Legantur e. g. prophetae. Atqui in hypothesei adversariorum Deus nullam rationem habuisset irascendi et ulciscendi formas illas legitimas conscientiae religiosae. — Neque in eadem hypothesei locus superesset peccato originali vel revelationi vel redemptioni; ut per se liquet. Exinde facile intelligitur, cur increduli Progressismus avidissime amplectantur; quomodo vero homines, qui se christianos et catholicos dicunt, progressionistae esse possint, non intelligitur. Et tamen haud pauci inter sic dictos «cultos» tales reperiuntur.

46 **B. Philosophice** Progressismi falsitas ex argumentis allatis, quorum plurima non solum theologica, sed etiam philosophica sunt, colligitur et ulterius suadet. Videlicet Progressismus falsus est:

1. In *hypothesei*. Fundatur enim Progressismus iuxta superius dicta (42) in aliis erroribus; vel in evolutione pan-

<sup>1)</sup> Cf. Lactant. Instit. l. 1 n. 14.

theistica entis absoluti, vel in transformatione materialistica generum et specierum, vel in absoluta independentia hominis a Deo, vel demum in scepticismo aut aperto atheismo. Haec omnia autem falsa esse sana Philosophia demonstrat.<sup>1)</sup>

2. In *thesi* quoque Progressismus prorsus reiiciendus est, sive ille consideretur in seipso, sive respectu Dei, sive respectu societatis et singulorum hominum.

Sane a. in seipso Progressismus est evidenter *absurdus*. Absurdum namque dicitur, quod non solum assertiones falsas, sed inter se pugnantes continet et primis principiis rationis contradicit. Atqui religiones paganorum quam plurima evidenter ridicula, fabulosa, inter se pugnantia, plane abominanda et horrenda continent, quae omnia iuxta Progressismum sunt legitimae et naturales formae conscientiae. Quod autem legitimum atque naturale est, etiam verum est. Iuxta Progressismum ergo contrariae assertiones simul verae essent, quod certe non minus repugnat, ac si quis contraria systemata et oppositas assertiones auctorum historicorum vel physicorum simul vera et legitima esse contenderet.

b. Respectu Dei Progressismus quam quod maxime *iniuriosus* est. Quid enim Deo magis iniuriosum, quam eius gloriam mutare in similitudinem volucrum, quadrupedum et serpentium; aut de luto Deum fingere? Quid magis Deo iniuriosum, quam per sacrificia hominum et scelera nefanda eum colere? Has et multas alias iniurias pagani Deo vero intulerunt. Atqui haec omnia iuxta progressistas nedum toleranda et licita, sed legitima et naturalia erant.

c. Denique Progressismus *perniciosus* est contra societatem et unumquemque hominem. Recolantur, quae de connexionione religionis cum ordine morali, sociali, cum lege naturali et fine hominis diximus (27). Quaecunque enim ibi dicta sunt, profecto non de religionibus ethnicorum, sed de vera religione valent. Paganismus legem naturalem, mores bonos, felicitatem singulorum et societatis non promovet,

---

<sup>1)</sup> Aliqualiter eosdem errores etiam in Dogmatica speciali tangimus (Enchirid. theologiae dogmat. specialis n. 11. 14 sq. ed. 9).

sed pessumdat. Si progressistae omnes religiones approbant et defendunt, approbare quoque et defendere debent sacrificia humana diis oblata et multa alia, quae nulla amplius societas civilis tolerat aut tolerare potest.<sup>1)</sup>

47 **Thesis 9.** *In negotio religionis homo non fecit continuum progressum, sed regressum; ut non solum ex historia sacra, sed etiam profana constat.*

**A.** Argumentum ex *historia sacra* satis colligitur ex dictis (45). Vel ipse liber Genesis antiquissimus, in quo historia nascentis generis humani accurate describitur, praedicat monotheismum, scil. fidem protoparentum in unum verum Deum, qui solus fecit caelum et terram. Insuper testis. Scriptura Deus hominem in sanctitate et iustitia creavit (Eccle. 7, 30; Eph. 4, 23 sq.; Gen. 1, 27); Adam vero per peccatum se totamque stirpem perdidit. Corruptio semper crevit, ac tandem eo progressa est, ut Deus totum genus humanum, exceptis Noë eiusque familia, diluvio perderet. Post diluvium homines primo verum Deum colebant, sed post divisionem babelicam primum in Sabaeismum (cultum naturae), deinde in idololatriam (Sap. 13, 1 sq) prolapsi sunt. Ergo regressus, non progressus!

**B.** Porro ex *historia profana* constat, populos paganos primitus monotheistas fuisse ac paulatim in Polytheismum lapsos fuisse. Ipse etiam Polytheismus ferme ubique et maxime apud populos cultiores a paucis numinibus ad innumeros ferme deos deasque processit. Atqui ipsis adversariis fatentibus perfectior est Monotheismus, quam Polytheismus. Ergo Progressismus etiam historice falsus est. Propositio maior ex testimoniis celeberrimorum ethnographorum, *Müller, Windischmann, Simrock, Le Page Renouf, Peschel, Delitsch, Happel, Creuzer* etc. demonstratur.<sup>2)</sup> Percurramus breviter potiores populos.

<sup>1)</sup> Cf. Kortleitner, De polytheismo universo et quibusdam formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis (Oeniponte 1908).

<sup>2)</sup> Ap. Gutberlet, l. c. S. 68 ff; Schanz, Apologie, Bd 2 § 2 ff. Cf. etiam Schmidt, Die Uroffenbarung 1923; id. Menschheitswege zum Gotteserkennen 1923; id. Der Ursprung der Gottesidee 1929; Koppers, Die Anfänge des menschlichen Gemeinschaftslebens 1921; id. Unter Feuerland Indianern 1924; Schebesta, Der Urmensch und

1. Imprimis familia *indogermanica* certe ab exordio 48 unicum vel saltem supremum Deum colebat, ut ex communi etymo divinitatis elucet. Sanscritica namque vox *Dyaus-pitar* (pater caelestis a radice *dya*, lucere, unde deva,  $\text{ἑὸς}$ , et balticum *deivos* derivatur), apud omnes huius stirpis surculos reperitur: apud Graecos *Ζεὺς πατήρ*, apud Latinos *Iupiter*, *Diespiter*, apud Gotos *Tius* et apud Germanos *Tyr* vel *Zio*. Merito ergo concluditur, populos indogermanicos ante suam divisionem unicum vel saltem supremum deum habuisse. — In specie:

2. Apud *Indos* primus deus fuit *Dyaus-pitar*, post eum regnavit *Varuna*, creator omnium rerum; deinde successerunt *Brahma*, *Vishnu*, *Siva*, et innumeri alii. *Brahmanismus* certe non fuit progressus, sed regressus religiosus, quia divinitatem modo pantheistico concipiebat. *Buddhismus* (denominatus a fundatore *Buddha* saec. 5. ante Chr.) puriorem quidem exhibet doctrinam moralem, quam *Brahmanismus*, dogmaticam vero peiorem; cum *Buddhismi* systema plane atheisticum sit.<sup>1)</sup>

---

seine Religion 1922; *M. Gusinde*, P. M. Gusinde's vierte Reise zum Feuerlandstamm der Yagan in *Anthropos* 966—977; *Anwander*, Die Religionen der Menschheit 1927; *Schröder*, Wesen und Ursprung der Religion 1905.

<sup>1)</sup> *Buddhismus* etiam apud hodiernos incredulos degeneresque christianos nactus est fautores quamplurimos. Nec desunt puncta contactus. *Buddhismus* etenim a. cum religione christiana haud paucas quoad speciem praesefert similitudines. Profunda quippe conscientia peccati et miseriae humanae, desiderium salvationis, contemptus mundi, abnegatio suiipsius carnisque mortificatio, laus castitatis, benevolentia erga omnes homines aliaque capita doctrinae moralis buddhisticae analogiam saltem apparentem habent cum ethica christiana; cui plures aliae accedunt similitudines quoad disciplinam, ritus et symbola, institutiones monasticas, voluntariam paupertatem etc. Hanc consonantiam *Buddhismi* cum *Christianismo* nostri increduli agnoscunt, immo exaggerant; eam tamen non in laudem, sed in odium nostrae religionis convertunt, calumniantes, *Christianismum* non divinitus, sed a *Buddhismo* ortum duxisse. Praeterea ex magna diffusione *Buddhismi*, qui 300—400 milliones assecclas habere dicitur, ansam arripiunt, notam catholicitatis Ecclesiae impugnandi. (Iuxta alios et forte melius 100—200 tantum milliones buddhistae existunt.) Cf. Hardy, *Der Buddhismus nach ältern Pali-Werken*, (Münster 1890); Brunsmann, *Lehrbuch der Apologetik* ed. 2. I, pag.

3. Apud *Persas* primitus colebatur *Ahura Mazda* (seu *Ormuzd*, i. e. dominus sapientissimus), cui praedicata unius veri Dei adscribuntur, prout liber *Zend Avesta* et scripta antiquissima cuneis expressa testantur. Postea *Zoroaster* (circa 1300 a. Chr.) invexit vel saltem expolivit *Dualismum*, cui mox *Polytheismus* admiscebatur.

4. *Graeci*, *Romani* et *Germani* successu temporis innumeros deos deasque invexerunt, cum ab initio unus fuerit; apud Graecos *Uranos*, apud Latinos *Janus* (*Dianus*), apud Germanos *Tyr*.

5. Quemadmodum apud *Arios*, ita etiam apud *Semitas* ab exordio unicum deum fuisse, colligitur ex scientia comparativa linguarum. Nomen etenim divinitatis apud omnes illos populos communem radicem habuit; scilicet apud Hebraeos *El* (potens), apud Babylonios *Ilu*, apud Arabes

---

65; Anwander, Die Religionen der Menschheit 200—236. — b. Ex altera parte Buddhismus maiorem adhuc affinitatem habet cum *erroribus modernis* tam speculativis quam practicis. Tactus namque dolore miseriae humanae docuit Buddha, ipsam *vitam* esse originem omnis mali et in se malam; ac propterea liberationem a malo finemque ultimum in «nirvana» i. e. in extinctione omnis impulsus vitalis et passivo quietismo esse reponendam. Quis autem in hac theoria non advertat affinitatem cum moderno *Pessimismo*, qui inter cultos maxime grassatur, ac tot victimas suicidii quotidie exposcit? Speculatio quoque buddhistica cum speculatione *idealistica* hodierna valde affinis est; cum utraque processum dialecticum cum processu reali confundat. Panlogismus enim ex idea abstractissima et vacua entis ope synthesis et analysis totum mundum construit; Buddhismus e contra ope continuae abstractionis, primo a mundo externo et deinde a seipso totum mundum in «nirvanam» converti posse existimat. Denique alia accedit ratio et forte praecipua, quare Buddhismus multis saeculi 20. hominibus tantopere arrideat; videlicet *doctrina moralis avulsa a dogmate cultuque divino*, maxime vero tolerantia religiosa buddhistarum mire placet Indifferentismo moderno, qui omnes confessiones religiosas aequiparat ac summam rei in moralitate seu honestate externa reponit. Hinc Buddhismus ceu universalis religio temporis futuri (Zukunftsreligion) proclamatus, ac iamiam catechismus huius religionis, approbatus a praesule buddhistico insulae *Ceylon*, impressus fuit! Cf. Card. Hergenröther, Kirchenlexikon Bd 2 «Buddhismus» (auctore Himpel); Hettinger, l. c. Bd 1 § 49; Historisch-polit. Blätter Bd 113 (1894) S. 625 ff, ubi laudes exaggeratae Buddhismi critice examinantur. Etiam moralitas buddhistarum, ut missionarii testantur, non adeo pura est, ut iactari solet.

*Allah*, apud Syros *Aloho*. Ipse *Renan* populis semiticis «instinctum monotheisticum» inesse fatetur. Nihilominus populi semitici postea in turpissimam idololatriam lapsi sunt, ipsique Hebraei iterum iterumque illa se inquinaverunt.

6. Veteres *Aegyptii*, antequam animalia colere coeperunt, unum summum Deum habebant nomine *Nutar* (potentia), qui in antiquissimis inscriptionibus papyri nominatur is, «qui est ex se,» «unicus, cui non succedit secundus,» «principium omnium rerum» etc. — Ita Le Page Renouf, cum alii *Re*, deum solis, antiquissimum Aegyptiorum numen esse putent.

7. Ipsos *Nigros africanos* aliquando unum Deum, creatorem mundi coluisse, ex nomine, quo divinitas apud illos barbaros designatur, nec non ex aliis indiciis concludunt celeberrimi exploratores Africae, *Livingstone*, *Schneider*, *Zöller* etc.<sup>1)</sup>

8. Quoad *Indianos* Americae notum est, ex eorum traditionibus ideam «magni spiritus» derivatam fuisse.

Ex obiter licet facta religionum antiquarum adumbratione historice certum omnino est, genus humanum non ex Polytheismo ad Henotheismum progressum esse, sed e contrario a Monotheismo ad Polytheismum defecisse. Nam populi indogermanici et semitici ad designandum summum Deum adhibent idem vocabulum, dum nomina deorum inferiorum omnino discrepant. Hic consensus in appellando summo Deo et discrepantia in nominandis inferioribus diis clare demonstrat, illas gentes ante separationem professas esse monotheismum, post separationem autem nova numina finxisse et variis nominibus appellasse. Insuper si evolutio singularum religionum inspicitur, invenimus etiam in polytheismo posterioris temporis quaedam vestigia monotheismi et quo magis regredimur ad priora stadia cuiusvis religionis, eo clarior et purior evadit idea Dei simulque numerus numinum minuitur. Quae omnia explicari nequeunt,

---

<sup>1)</sup> Cf. Gutberlet S. 109 ff. P. Schebesta, Die religiösen Anschauungen Südafrikas in *Anthropos* (1923—24) 114—124; P. Schumacher, Gottesglaube und Weltanschauung der zentralafrikanischen Kivu-Pygmaeen in W. Koppers Festschrift für P. W. Schmidt, Wien 1928, 679 ff.

nisi Monotheismus tempore praecessit polytheismum. Hinc apud veteres axiomatis loco tenebatur, religionem maiorum esse sequendam. «Antiquitas, ait *Cicero*,<sup>1)</sup> quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea quae erant vera cernebat.» Similiter *Plato*<sup>2)</sup> et *Aristoteles*<sup>3)</sup> ad religionem et sapientiam veterum provocaverunt eamque defenderunt.

**Scholion.** Si de *tempore* quaeritur, quando idololatria inceperit, respondet s. *Thomas*:<sup>4)</sup> «Prima revelatio ante legem (mosaicam) facta est Abrahae, cuius tempore coeperunt homines a fide unius Dei deviare ad idololatriam declinando; ante autem non erat necessaria talis revelatio, omnibus in cultu unius Dei persistentibus.» Et haec est communis sententia antiquorum theologorum. Certe cum homines antediluviani vita longe diuturniore gauderent, ita ut e. g. Lamech, pater Noachi, adhuc Seth, filium Adae, videret, nunquam magistri et testes veri Dei defuerunt. Unde merito supponitur, eos in idololatriam non declinasse, licet aliis gravissimis criminibus se inquinaverint. Recentiores tamen affirmant, homines iam ante diluvium falsos deos veneratos esse.<sup>5)</sup>

### ARTICULUS III.

#### De reliquiis veritatis in Paganismo.

- 49 Non defuerunt, qui in infidelibus nihil nisi errores et vitia fuisse, affirmarent (43). Quae opinio et falsa et pernicio est, ut sequentibus apparebit.

<sup>1)</sup> Tuscul. l. 12; cf. De nat. deor. l. 3 c. 2.

<sup>2)</sup> Tim. pg. 22. 48; Phileb. pg. 16.

<sup>3)</sup> Metaph. l. 12 c. 8.

<sup>4)</sup> Sum. p. 2, 2 q. 94 a. 4 ad 2; cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 541.

<sup>5)</sup> Cf. Kortleitner, De polytheismi origine quae sit doctrina sacrarum litterarum patrumque ecclesiae (Oeniponte 1911) pg. 89 sqq. Historia docet, antiquos Aegyptios, Babylonios, Sumeros aliasque gentes iam diu ante dies Abrahae ad idololatriam declinasse; ratio autem ab auctore libri allegata non est peremptoria, quia genealogia patriarcharum biblica lacunis laborat et origo generis humani certo plus quam quatuor millibus annorum nativatem Christi praecedit.

**Thesis 10.** *Historice constat, inter errores paganorum ideam veri Dei aliasque veritates religiosas, quantumvis obtenebratas, delituisse.*

1. Sane si religiones ethnicorum accurate inspiciantur, quaedam notae et veluti lineamenta *veri Dei* ubique reperiuntur. Huiusmodi notae sunt: Existit aliquod numen, sive unum illud sit sive plura, a quo homo dependet, quodque colere et placare debemus. Existit suprema aliqua potentia, cui nemo resistere potest; sapientia, quae omnia novit et per oracula in rebus dubiis consulitur; bonitas, ad quam in necessitatibus recurritur; providentia, a qua sortes humanae dependent; vindex iustitia, quae malum punit, bonum praemio afficit. Divinitas est aliquid invisibile, quia id «quod est optimum, non alia ratione quam sola mente ulli licet attingere,» ut *Numa* Romanos docuerat.<sup>1)</sup> *Tacitus*<sup>2)</sup> de Germanis scribit: «deorum nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.»

Verum equidem est, istas notas multis erroribus obfusas nec ullam gentem fuisse, quae perfectam ideam divinitatis uni Deo applicuerit. At hoc in aliis etiam rebus contingit. Sic diversissima, falsa et opposita saepe sunt hominum iudicia de rebus pulchris et bonis; nec tamen inde inferre licet, non esse communem aliquam ideam pulchritudinis et bonitatis. Immo quia omnes de bono et pulchro loquuntur omnesque bonum et pulchrum quaerunt, hinc etiam huius ideae veritas et universalitas infertur. A pari de idea Dei dicendum; ex ipso infinito propemodum numero falsorum deorum apparet desiderium cordis humani inquieti, donec quiescat in Deo utique vero non falso.

2. Praeter ideam *Dei* etiam aliae reliquiae religiosas 50 apud omnes gentes remanserunt. Huiusmodi sunt: a. idea immortalitatis, quae elucet ex sacrificiis pro mortuis, ex necromantia et cultu maiorum, ex metempsychosi et apparitionibus mortuorum, ex rebus pretiosis vel esculentis, quae in sepulchra unacum mortuis inferebantur, ex more corpora inunctione balsamica a corruptione liberandi, ex variis my-

<sup>1)</sup> Cf. Clem. Alex., Strom. l. 1 n. 15.

<sup>2)</sup> De morib. German. n. 9.

thologiis de Hade, Tartaro, Walhalla aliisque similibus locis defunctorum, de tormentis, quae improbi patiuntur, nec non de praemiis, quibus boni afficiuntur. Haec et innumera alia, quae plus minusve apud omnes gentes reperiuntur,<sup>1)</sup> certos nos reddunt de communi omnium persuasione, non finiri omnia in morte, sed aliam vitam exspectandam esse, inaequalem tamen pro bonis et malis. Neque hoc mirum videri debet, cum desiderium felicitatis perfectae nunquam finiturae homini ita innatum sit, ut potius natura quam hoc desiderium exui possit. Item conscientiam boni et mali persuasionemque de praemio vel poena in altera vita exspectanda vix quisquam penitus deponere valet.

**b.** *Conscientia peccati et desiderium placandi divinitatem* pariter communia fuerunt toti generi humano. Ubique sacrificia, ubique sacerdotes erant. Ipsa sacrificia humana, quae in s. Scriptura (Sap. 14, 23; Deut. 18, 10) ut abominations gentium notantur, admixtam habent veram ideam culpae, quae per mortem puniri debet. Idea quoque *satisfactionis vicariae* ex immolatione insontium puerorum elucet.

**c.** *Etiam primitivus status felicitatis lapsusque generis humani* in omnibus ferme mythologiis, utique plus minusve deformat, sed nihilominus satis manifeste apprehenditur. Mythus namque de *aurea aetate* apud Latinos, de *Prometheo* et *Pandora* apud Graecos, de *Ahrimano* sub specie colubri protoparentes seducente apud Persas, de dracone *Typhone* apud Aegyptios, de *Tschi-lehu* apud Sinenses, de arbore veritatis apud Sumeros, de serpente et femina apud Indos: omnes isti mythi, inquam, fabulosa veste exuti veritatem revelationis primitivae insinuant.<sup>2)</sup> Accedunt aliae istius revelationis reliquiae de *diluvio*, de *turri babylonica* *linguarumque confusione* et *gentium divisione*.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Knabenbauer, Zeugnis des Menschengeschlechtes für die Unsterblichkeit S. 117 f (Freiburg 1878); Schneider, Le Page Renouf, Kaulen etc. apud Gutberlet S. 143—164.

<sup>2)</sup> Cf. Lücken, Traditionen über das Christentum 2. Aufl. (Münster 1869) Bd 2 Kap. 4 § 1; Hettinger, Apologie d. Christent. Bd 2 Vortrag 11; Nicolas, Philos. Studien über das Christentum 2. Bd 1. Tl 3. Kap.

<sup>3)</sup> Cf. Kaulen, Assyrien und Babylon; Vigouroux, Bibel 1;

d. Denique *desiderium* et *expectatio* futuri redemptoris communia fuerunt antiquis. Sic idea Messiae, ut unum alterumve exemplum afferam, adumbratur in *Prometheo* Graecorum, cui liberatio a maledictione et suppliciis, in quae propter suam rebellionem contra Iovem incurrerat, promittitur suo tempore futura per filium virginis *Io*, quae illum ab ipso Iove per levem tactum frontis conceptura esset. Filius virginis vocatur *Epaphos* ab Aeschylo, *Hercules* a Hesiodo. Simul vero, quod bene notandum, praedicitur, non aliter Prometheum liberari posse, nisi *deus aliquis* pro ipso satisfaciat et in Hadem descendat.<sup>1)</sup> Adumbratur idea Messiae apud Aegyptios in mytho serpentis *Typhonis*, qui superandus esset per *Horum*, filium *Isidis*; apud Sinenses, qui ab Occidente expectabant adventum *Sancti* per eminentiam;<sup>2)</sup> apud Celtas, qui in intimis penetralibus templorum statuam erexerunt *Virgini pariturae*; apud Persas, Scandinavos, Mexicanos aliosque populos.<sup>3)</sup> Notum est etiam, quod *Tacitus* de Romanis scribit:<sup>4)</sup> «Pluribus persuasio inerat fore, ut convalesceret Oriens et e Iudaea profecti rerum potirentur.» Hoc desiderium Salvatoris exprimit etiam

---

Schöpfer, Geschichte des Alt. Testaments 6. Aufl. (1923) 1. Abschnitt, der keilschriftliche Sintflutbericht.

<sup>1)</sup> Cf. Aeschyl., Prometh. vinct. V. 119 sq, 443 sq; Hesiod., Opp. 42 sqq.

<sup>2)</sup> Nonnulli recentiores existimant quidem, illo «Sancto», de quo loquuntur libri canonici Sinensium, non venturum Messiam, sed aliquem virum orientalem eminentis sanctitatis designari, vel ipsum ideale sanctitatis per illum quodammodo personificari. At haec explicatio vix ac ne vix quidem sententiis, quae ibi leguntur; satisfacit; e. g. «Die Völker erwarten den Heiligen, wie eine welkende Pflanze den Regen.» «Es ist dem großen Heiligen, dem Heiligen aller Jahrhunderte und aller Völker vorbehalten, alle Strahlen der Weisheit zu vereinigen, um die Vollkommenheit aller Tugenden zu erreichen.» Confutsius ipse dixisse fertur: «Ich habe gehört, daß im fernen Abendlande der wahre Heilige erstehen werde, der, ohne selbst zu regieren, aller Verwirrung steuern; der, ohne zu sprechen, unbedingten Glauben einflößen; der, ohne die Gestalt der Dinge zu verändern, einen Ocean verdienstlicher Handlungen erzeugen wird.» Cf. Hergenröther, Kirchenlexikon Bd 8, «Messias» S. 1407 ff.

<sup>3)</sup> Cf. Nicolas I. c. Kap. 4 § 3.

<sup>4)</sup> Histor. I. 5 n. 13. Idem exprimit Sueton., Vespas. c. 4.

*Socrates* apud *Platonem*<sup>1)</sup> dicens: «mihi optimum videtur exspectare, donec veniat aliquis, qui nos doceat, quomodo erga Deum homines se habere oporteat.» — Sane quo magis proficit studium et notitia antiquarum religionum, eo plura in dies deprehenduntur indicia universalis persuasionis de aliquo liberatore venturo, secundum Iacobi prophetiam: *ipse erit expectatio gentium* (Gen. 49, 10).

51      **Thesis 11.** *Eadem veritas theologicè demonstratur.*

1. In s. Scriptura Apostolus haec docet (Rom. 1, 20 sq; 2, 4):

a. Pagani Deum ex creaturis cognoscere, immo facile cognoscere potuerunt et reapse cognoverunt, sed non ut Deum glorificaverunt. Ideo inexcusabiles esse dicuntur. Testatur insuper Scriptura, paganos legem Dei in cordibus scriptam habere, et naturaliter, quae legis sunt, facere (cf. Sap. 13, 1 sq). Ergo in Paganismo reliquiae verae religionis remanserant.

b. Graeci *ignoto Deo* aram erexerant (Act. 17, 23). Cur hoc? Certe quia dei deaeque nationales eorum exigentiae religiosae non satisfaciebant; unde alium meliorem Deum quaerebant. Non quaeritur autem nec desideratur, quod nullo modo cognoscitur. Ergo verum Deum aliquo modo cognoverunt. Quod etiam ex verbis Apostoli confirmatur: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis* (v. 23). Paulus enim certe *verum* Deum annuntiavit; ergo verum Deum, licet ignorantes i. e. non clare cognoscentes, iam coluerant.

2. Patres passim docent, ideam primitivam veri Dei *inexterminabilem* esse, iuxta illud *Tertulliani*<sup>2)</sup> dictum: «haec est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.» Similiter *Augustinus*:<sup>3)</sup> «haec est vis verae divinitatis, ut creaturae rationali ratione iam utenti non omnino ac penitus possit abscondi.» Pulchre etiam *Lactantius*:<sup>4)</sup> «Quam sibi veniam sperare possunt impietatis suae?

<sup>1)</sup> Alcibiad. II. init.

<sup>2)</sup> Apol. c. 17; cf. De testim. anim. cc. 1. 2. 5; Cypr., De idol. vanit. n. 5.

<sup>3)</sup> In Ioan. tract. 106 n. 4.

<sup>4)</sup> Instit. 1. 2 de orig. err. n. 1; cf. Franzelin, De Deo uno thesi 6.

qui non agnoscunt cultum eius, quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam et cum iurant et cum optant et cum gratias agunt, non Iovem aut deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas cogente natura etiam invitis erumpit. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus, nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur... si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur.»

**3. Confirmatur ex ratione theologica. a.** Nulla fuit gens, quantumvis silvestris, apud quam non fuerint ideae saltem primitivae legis naturalis, boni et mali moralis, iuris et officii, et dictamen conscientiae. Atqui istae ideae ita cohaerent cum idea Dei utique veri non falsi, ut sine ea consistere nequeant.

**b.** Qui idea veri Dei prorsus destituitur, incapax est etiam peccati et offensae Dei. Ergo nec damnari posset. Neque dicas, fuisse ignorantiam vincibilem ideoque culpabilem. Ignorantia enim culpabilis non est, nisi aliquo modo cognoscatur obligatio eam deponendi. Si autem ethnici omni idea veri Dei caruissent, neque obligationem eum quaerendi et colendi habuissent.<sup>1)</sup>

**c.** Homo etiam lapsus retinuit lumen rationis. Ratio autem sponte ad causam primam potentissimam et sapientissimam huius mundi, non ad absurdissimos deos deasque paganorum ducit.

**d.** Propter elevationem hominis ad finem supernaturalem gratia interna fidesque in Deum ad obtinendum suum

---

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 n. 418 f, ubi ostendit, conscientiam moralem, quae omnibus hominibus inest, necessario involvere ideam saltem confusam Dei per conscientiam se manifestantis. Huc facit etiam propositio damnata ab Alexandro VIII.: «Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei et aeterna poena dignum» (Denzinger 1290.) — Non existit ergo peccatum mere philosophicum. Cf. Scheeben, Dogmatik Bd 2 S. 521 f; Viva, Theses damnatae i. h. l. Profecto, in s. Scriptura ac Traditione peccatum semper exhibetur ut offensa Dei. Si ergo pagani peccaverunt, Deum offenderunt; non offenditur autem, qui penitus ignoratur.

finem homini absolute necessariae sunt (cf. 70). Ergo dubitandum non est, Deum etiam paganis haec media revera obtulisse.<sup>1)</sup>

- 52 **Obiectio.** Idea veri et falsi dei se mutuo excludunt. Sed pagani falsos deos colebant (45 sq). Ergo ipsis deerat idea veri Dei; immo Paganismus essentialiter in errore circa divinitatem consistit. — Resp. *α*) In primis distinguendus est *cultus* Dei ab *idea* Dei. Non repugnat, ut qui verum Deum cognoscit, falsos deos colat, ut de Salomone legimus (III. Reg. 11, 5 sqq). *β*) Distinguenda est idea *clara, explicita* et *adaequata* Dei ab idea *confusa, implicita* et *inadaequata*. Repugnat quidem, ut aliquis habeat ideam Dei claram, explicitam omnique ex parte simul veram et falsam. At non repugnat, ut ideae veri Dei admisceantur lineamenta falsa, et in idea falsi dei reperiantur elementa vera; praesertim cum agitur de idea, quae modo confuso et quasi latente insidet menti. Talis autem fuit idea veri Dei in paganis, quae licet lateret, tamen non omnino ac penitus abscondi potuit, sed cogente natura etiam invitis illuxit; ut ex *Augustino* et *Lactantio* audivimus.

- 53 **Scholion 1.** Si quaeritur, undenam illae reliquiae veritatis religiosae peti debeant, respondendum est, illas partim ex lumine naturali rationis, debilitato utique sed non extincto, partim ex primigenia revelatione humano generi facta nec omnino deperdita, partim ex communicatione cum Iudaeis, partim vero et maxime ex gratia interna occultaque providentia Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, derivandas esse. Iuxta *Clementem Alex.*<sup>2)</sup> «latrones et fures fuerunt Graecorum philosophi, quod cum ante Domini adventum a prophetis Hebraeis quasdam partes veritatis sumpserint, id minime agnoscentes, sibi tamquam propria dogmata attribuerunt, et alia quidem adulterarunt, alia autem supervacanea diligentia imperite ac sophistarum more interpolarunt.»

**Scholion 2.** Quamvis infelicissimus fuerit status paganorum, praesertim idololatrarum (Sap. 13, 10), tamen fas

<sup>1)</sup> Cf. Enchir. dogm. special. n. 371.

<sup>2)</sup> Strom. I. 1 n. 17.

non est, omnes idololatrias sine exceptione damnationi addicere, ut quidam faciunt. Ex una parte enim cognitio Dei, quae est necessaria necessitate medii, ipsis non omnino defuit; ex altera parte ex documentis fidei demonstrari non potest, idololatriam nunquam ex ignorantia inculpabili provenire posse.<sup>1)</sup>

#### ARTICULUS IV.

##### **Quomodo Paganismus ad praeparandum Evangelium inservivit.**

«Melius, inquit *Augustinus*,<sup>2)</sup> iudicavit (Deus) de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.» Hoc 54  
praeclare dictum etiam in Paganismo verificatur, quem Deus in maiorem gloriam Christi convertit; idque *negative* propter miseriam, in qua gentilitas versabatur, et quodammodo etiam *positive* propter reliquias veritatis, quae apud paganos adhuc conservabantur.

**Thesis 12.** *Extrema miseria, in qua totum genus humanum gemebat, illud ad suscipiendum Salvatorem negative disposuit.*

Sicut solis claritas post tenebras noctis magis effulget, ita gloria Christi, qui est verus Oriens ex alto (Luc. 1, 78; Zach. 3, 8 et 6, 12), ex tenebris infidelitatis clarius resplenduit. Sane:

1. Paganismus patefecit **a. morbum**, quo genus humanum laborabat. Infirmitatis cognitio autem est prima dispositio ad salutem. «Morbus spiritualis enim, inquit s. *Bonaventura*,<sup>3)</sup> non curatur debite, nisi infirmus prius eum cognoscat et pro curatione eius gratus existat. Plus enim homo aegrotat per ingratitudinem pro curatione quam per culpae commissionem: et ideo debuit Deus beneficium incarnationis differre, ut homo convinceretur de impotentia et ignorantia — antequam incarnaretur — et in lege indita (naturali) et in lege scripta; et sic convictus confugeret ad divinam gratiam, et confugiens curaretur efficaciter.»

<sup>1)</sup> Cf. Schmid, Die außerordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit, 3. Abschn. S. 195 ff (Brixen 1899).

<sup>2)</sup> Enchirid. c. 27.

<sup>3)</sup> In 3. sent. dist. 1 a. 2 q. 4 concl.

**b.** Patefecit *naturam et originem* morbi, ut docet s. *Thomas*:<sup>1)</sup> «Non fuit conveniens statim post peccatum Deum incarnari: primo propter conditionem humani peccati, quod ex *superbia* provenerat; unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret, se liberatore indigere... Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturae suae cognosceret; ubi cum deficeret, legem accepit, qua data invaluit morbus, non legis sed naturae vitio, ut ita cognita sua infirmitate clamaret ad medicum et gratiae quaereret auxilium.» Optima sane medicina! Homines *superbia* spiritus tuebant: *dicentes se esse sapientes* (Rom. 1, 22); quare permisit Deus, ut evanescerent in cogitationibus suis, ut humiliati disponderentur ad «stultitiam praedicationis,» ut idem Apostolus dicit (I. Cor. 1, 21. 28 sq): *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes .... Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus .... ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius.*

**2.** Ex permissione Paganismi elucet tum *iustitia* tum *misericordia* Dei. **a.** *Iustitia*: «In hoc enim, inquit *Bonaventura* (l. c.), manifestatur divinae ultionis severitas, quae tantos clamores et luctus hominum tanto tempore sustinuit, antequam vellet descendere; et ipse Adam cum posteritate sua tanto tempore exspectavit in limbo exulans a paradiso; et hoc propter manifestationem divinae iustitiae, quae nihil inultum dimittit.» — **b.** Maxime *misericordia*, quae eo maior est, quo maior miseria, ex qua liberati sumus: *Omnes enim*, inquit s. *Paulus* (Rom. 3, 23 sq.), *peccaverunt et egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu.* Et rursus Rom. (11, 32): *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miseretur.* Similia in ep. ad Ephesios et alibi passim leguntur.

**3.** Denique miseria extrema, qua pagani premebantur, effecit, ut salvatorem ante eius adventum vehementius *desiderarent*, in adventu libentius *susciperent*, post adventum fidelius *sequerentur*. Et revera gentes humiliatae in Chri-

<sup>1)</sup> P. 3 q. 1 a. 5.

stum crediderunt, quem Iudaei superbe repulerunt. Comparatio gentium ante et post earum conversionem mirifice commendat *gratiam Christi*, et unum ex validissimis *motivis credibilitatis* constituit. Vere magnus medicus descendit de caelo, quia magnus infirmus iacebat in terra, ut *Augustinus* dicit.

**Thesis 13.** *Reliquiae veritatis, quae in paganis supererant, praeparationi Evangelii positive haud parum inserviebant.* 55

1. Id patet ex natura rei. In paganis enim, ut vidimus, remanserat subobscura idea veri Dei, et instinctus illum quaerendi ac melius cognoscendi. Item remanserat conscientia culpaе, desiderium divinitatem placandi, persuasio alterius vitae cum desiderio irresistibili felicitatis. Denique idea promissi redemptoris plus minusve oblitterata apud omnes gentes remanserat. Atqui istae ideae certe positive inserviebant, ut Evangelium Christi libentius susciperetur; sicut lumen subobscurum, quo coecutiens fruitur, desiderium perfectae visionis, et valetudo imperfecta desiderium integrae sanitatis producere solet.

2. Ex s. Scriptura. Sic in Actibus Ap. (c. 17) narratur, quomodo Paulus in Areopago praedicationem evangelicam scite accommodaverit indoli religiosae illius gentis. Cum enim Athenienses essent admodum superstitiosi novorumque dogmatum cupidi, ita ut etiam *ignoto Deo* aram erexerint, Apostolus inde occasionem sumit ipsis verum Deum, quem iam ignorantes colebant, praedicandi. Deinde quia Athenienses erant natio philosophica, iisdem philosophicis argumentis absurditatem idolorum, quae colebant, demonstravit. Denique etiam eorum traditionibus mythologicis utitur, allegando verba poetarum: «ipsius enim et genus sumus» (v. 28). Simul vero salutari timore futuri iudicii eos concussit, ut tum intellectus tum cor efficaciter ad suscipiendum Evangelium moverentur. Sic igitur Apostolus,<sup>1)</sup> «approbat, quae apud Graecos recte dicta sunt.»

3. Patres frequenter docent, Philosophiam fuisse pro paganis veluti paedagogum ad Christum. *Iustinus M.*<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Clem. Alex., Strom. I. I n. 19.

<sup>2)</sup> Apol. II n. 13.

scribit: «quod non aliena sint a Christo instituta Platonis, sed nec omnino similia... Quaecunque apud alios omnes praeclare dicta, ea nostra sunt christianorum... Omnes enim scriptores per insitum rationis semen potuere illi quidem verum videre, sed subobscurum.» *Clemens Alex.*<sup>1)</sup> ait: «Ipsa (Philosophia) quoque Graecos paedagogi more ducebat, sicut lex Hebraeos ad Christum. Praeparat ergo Philosophia ei viam muniens, qui a Christo perficitur.» Neque solum apud Graecos iuxta Clementem, sed etiam apud alias gentes huiusmodi reliquiae veritatis erant: «Sic ergo et barbara et graeca Philosophia avulsam quandam aeternae veritatis particulam non ex Bacchi mythologia, sed ex aeterni Logi Theologia decerpit.»<sup>2)</sup> Hinc iuxta s. *Augustinum*<sup>3)</sup> «religio christiana non omnino nova fuit, sed erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani.»

4. Ecclesia in expolienda doctrina christiana semper usa est et adhucdum utitur Philosophia Graecorum et praeclare dictis paganorum. Patres praesertim *Platonem*, Scholastici *Aristotelem* secuti sunt. Pulchre s. *Augustinus* verba (Ex. 12, 35 sq.): *petierunt ab Aegyptiis vasa argentea et aurea vestemque plurimam... et spoliaverunt Aegyptios* Patribus et doctoribus catholicis applicat, qui spoliaverunt Aegyptum, cum sapientiam et eloquentiam ab ethnicis haustam transtulerunt ad fidem et Ecclesiam Christi illustrandam.<sup>4)</sup> Hinc *Porphyrius*, hostis christianorum, dictitabat, Origenem divitias omnes Graecorum ad locupletandam iudaicae et christianae sectae paupertatem contulisse.<sup>5)</sup>

---

<sup>1)</sup> Strom. 1. 1 n. 5.

<sup>2)</sup> Ib. n. 13.

<sup>3)</sup> Retract. 1. 1 c. 13.

<sup>4)</sup> De doctrina christ.: «Non aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suavissimus et Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de latinis taceam, quanto innumerabiles Graeci?» Cf. etiam s. Hieron., Ep. ad Magn. Rhet.

<sup>5)</sup> Cf. Euseb., Histor. 1. 6 c. 13. Lege, quae Kleutgen de usu Philosophiae aristotelicae in scholis catholicis scribit (Theol. d. Vorzeit Bd 4 n. 81 ff).

## SECTION II.

## De religione revelata.

Postquam obligationem hominis ad religionem eiusque 56 aberrationes in re religiosa ostendimus, iam ipsa vera religio, quae alia non est quam religio revelata, demonstranda erit. Demonstrationi tamen *existentiae* religionis revelatae praemittere oportet theoriam generalem revelationis, eiusque *natura*, *possibilitas*, *necessitas* et *cognoscibilitas* explicanda erit.

## CAPUT I.

## Prolegomena de revelatione.

H. van Laak, Institutiones theol. fundamentalis II. De religionis revelatione in abstracto considerata, Romae 1908. H. Dieckmann, De revelatione christiana, Friburgi 1930. M. A. van den Oudenrijn, De divinis auxiliis, quibus V. T. prophetae instituebantur: Divus Thomas (Piac.) 29 (1926) 692—713. F. Leitner, Die prophetische Inspiration in Bibl. Studien von Bardenhewer I 4/5, Freiburg 1896.

## I.

## Revelationis notio et divisio.

**A. Notio.** *Revelare* etymologice et sensu vulgari idem 57 est ac pandere rem occultam, quaecunque illa sit et a quo cunque pandatur; sensu ecclesiastico vero ad Deum dumtaxat atque ad religionem refertur, idque subiective et obiective. Revelatio videlicet *subiective* spectata est actus, quo Deus veritates religiosas vel immediate vel mediate nobis manifestavit; *obiective* vero est religio divinitus nobis tradita. Sedulo tamen contra *Chrisman*<sup>1)</sup> notandum est, ad notionem revelationis divinae non requiri, ut sit de re *occulta*. Deus enim talia quoque revelavit, «quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt» (conc. Vatic. Sess. III cap. 2 de revel.).<sup>2)</sup>

**B. Divisio.** Revelatio dividitur:

58

<sup>1)</sup> Regula fidei cath. l. 1 c. 2 § 51; cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 S. 51 ff.

<sup>2)</sup> Denzinger 1786.

1. In *naturalem* et *supernaturalem*. Naturalis est manifestatio divinitatis per creaturas vi luminis rationis. De hac loquitur Apostolus: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas* (Rom. 1, 20); et conc. *Vaticanum* (Sess. III cap. 2 de revel.)<sup>1)</sup>: «Eadem s. mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse: invisibilia enim ipsius» etc. — *Supernaturalis* revelatio naturalem supponit et consistit in gratuita communicatione Dei ad creaturam rationalem per actum, cui respondet *fides*. Nomine revelationis simpliciter et proprie dictae semper intelligitur haec supernaturalis; unde divisio revelationis in naturalem et supernaturalem non est generis in species, sed analogi ad analogatum, quia revelatio naturalis ad immediatam Dei revelationem veluti umbra ad solem se habet. Haec contra traditionalistas sedulo notanda ac tenenda sunt.

2. Supernaturalis revelatio dividitur in supernaturalem quoad *modum* et quoad *substantiam*, quatenus modus tantum manifestationis vel etiam veritas manifestata vires et exigentias naturales superat. Revelatio mysteriorum, «quae humanae mentis intelligentiam omnino superant», est supernaturalis quoad substantiam. Revelatio autem veritatum, «quae humanae rationi per se imperviae non sunt» (Vatic. I. c.), est supernaturalis quoad modum. Licet enim, inquit *Franzelin*,<sup>2)</sup> «manifestatio et cognitio talium veritatum non sit supra exigentiam naturae, est tamen talis *modus* manifestationis supra exigentiam naturae.» Naturaliter enim invisibilia Dei ex effectibus eius, non per immediatam communicationem Dei nobis patere possunt et debent.<sup>3)</sup>

3. Revelatio supernaturalis subdividitur ulterius in *mediatam* et *immediatam*. Licet enim quodam sensu omnis

<sup>1)</sup> Denzinger 1785.

<sup>2)</sup> De div. Tradit. et Script. pg. 557.

<sup>3)</sup> Revelatio supernaturalis quoad substantiam a quibusdam auctoribus appellatur *materialis*, revelatio supernaturalis quoad modum vero *formalis*. — Accuratiorem declarationem notionum „*naturale* et *supernaturale*“ ad Dogmaticam specialem differimus (n. 171 sqq).

revelatio supernaturalis sit immediata, eo quod Deus revelans per semetipsum, non tantum per effectus suam divinitatem nobis manifestat; nihilominus etiam ipsa supernaturalis revelatio mediata vel immediata merito dicitur, quatenus a Deo ad ipsum prophetam vel per prophetam ad nos dirigitur.

4. Distinguitur insuper in *internam* et *externam*. Interna fit per solam mentis illuminationem (cf. Num. 12, 6), aut etiam per imagines in phantasia aut sensibus productas (Ier. 1, 11 sq). In revelatione externa Deus etiam signis extrinsecis utitur. Signa autem esse possunt *verba* et *res* (Ex. 3, 2; Dan. 5, 5). Deus namque non tantum per verba, sed etiam per varios typos sive personales sive reales sua consilia hominibus manifestavit.

5. Denique ratione finis revelatio *communis* seu *publica* et *privata* distinguitur, quatenus ad salutem universalem totius Ecclesiae vel ad fines particulares personae privatae exhibitae fuit.

## II.

### Mysterii notio.

Revelatio supernaturalis quoad substantiam ex dictis 59 pro obiecto habet veritates, quae vires rationis superant. Talis veritas appellatur *mysterium*, cuius notio accurate explicanda est.

Itaque nomine mysterii vulgariter quaelibet veritas naturalis intelligitur, cuius intimam rationem non penetramus; in sensu theologico autem est veritas religiosa, quam homo non studio proprio, sed ope tantum revelationis divinae cognoscere valet. Illa vocantur *mysteria naturalia*, haec *supernaturalia*, quae iterum dividuntur in *mysteria simpliciter* seu *primi ordinis*, et *mysteria secundum quid* seu *secundi ordinis*. Dicuntur *mysteria simpliciter* illae veritates, quae naturaliter ab homine nec inveniri possunt, nec etiam revelatione tradita perspicuntur instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt; sed «ipsius fidei velamine contexta et quadam quasi caligine obvoluta manent» (Vatic. cap. IV de

fid. et rat.).<sup>1)</sup> *Mysteria secundum quid* seu secundi ordinis illae veritates vocantur, quarum existentia nonnisi per revelationem cognoscitur, quae tamen semel revelatae sicut aliae veritates naturales intelligi possunt.

De mysteriis naturae igitur cognoscimus *quod* et *quid* sunt, sed non *quomodo* sunt; de mysteriis supernaturalibus secundi ordinis cognoscimus saltem aliququaliter, *quid* et *quomodo* sunt, sed non *quod* sunt; de mysteriis primi ordinis sine revelatione nec *quod* nec *quid* nec *quomodo* sint, cognoscimus. Sic. e. g. est mysterium naturae, quomodo ex semine corrupto planta efflorescat; licet optime cognoscamus, quod hoc fiat, et quid sit semen et planta. At plures veritates supernaturales e. g. existentiam et lapsum angelorum, formationem hominis ex limo terrae, institutionem primatus Romani Pontificis sine revelatione ignoramus; post revelationem vero has veritates haud secus ac veritates naturales perspicimus. Contra vero de ss. Trinitate, Incarnatione, Eucharistia deque pluribus aliis veritatibus ratio creata nec demonstrare potest, quod sint, nec tradita revelatione cognoscere valet, quid et quomodo sint.

### III.

#### Adversarii revelationis.

60 Sunt ferme iidem, quos iam recensuimus, ubi de religione generatim, maxime de Progressismo egimus (26. 42).

1. *Atheismus, Materialismus et Pantheismus*<sup>2)</sup> omnem revelationem negant et vi systematis negare debent; ut per se patet.

<sup>1)</sup> Denzinger 1796.

<sup>2)</sup> Cavendum tamen est ab ambiguis eorum locutionibus. «Nam dicere solent plerique recentiores pantheistae, in fide christiana idem revera contineri, quod in Philosophia pantheistica docetur; sed discrimen maximum esse in forma concipiendi et intelligendi rem eandem. Fidem, inquit, esse formam infimam concipiendi veritatem, speculationem pantheisticam esse formam supremam et perfectissimam. In fide enim christiana, aiunt, non intelligitur veritas in seipsa, sed suscipitur sub conceptibus rerum singularum et sensibilibus et sub symbolicis velaminibus; speculationis autem est, ipsam puram veritatem in se comprehendere. Hinc gloriantur, dogmata symboli christiani de Deo, de Trinitate, Incarnatione, Redemptione, Resurrec-

2. *Deismus*,<sup>1)</sup> qui saec. 16. in Anglia ortum duxit et ab Anglia in Galliam et Germaniam migravit, admittit quidem Deum personalem, sed more Epicuraeorum omnem providentiam divinam negat, iuxta illud: *Nubes latibulum eius; nec nostra considerat, et circa cardines caeli perambulat* (Iob. 22, 14). In hoc systemate nullum locum dari revelationi, quae providentiae divinae apex est, per se liquet.

3. Maxime hoc loco recensendus est *Rationalismus*, quippe qui revelationi e diametro opponitur eamque ex professo impugnatur. Rationalismus enim generatim illud systema est, quod rationem humanam tamquam unicum fontem ac normam omnis veri statuit, ita ut nihil admittendum sit, nisi id quod et quatenus a ratione cognoscitur. «Rationalistae religionem naturalem considerant ut quandam chartam magnam constitutionis theocraticae i. e. relationis, quae est inter Deum et hominem; ita quidem ut Deus summus rerum Dominus nec latum unguem recedere possit ab illa charta magna religionis naturalis.»<sup>2)</sup> — Rationalismus dividitur in *rigidum*, qui diserte revelationem negat, et *temperatum* seu *Semirationalismum*, qui implicite id facit. Advertendum vero est, rationalistas ad decipiendos incautos saepe ita loqui, ac si revelationem admittant. At nomine revelationis ad summum intelligunt providentiam *specialem* Dei, qua aptis temporibus viros singulari ingenio atque indole religiosa instructos mittit, ut educationem generis humani ad veram religionem, mediis tamen mere naturalibus, promoveant. Huiusmodi viri erant *Zoroaster, Buddha, Moyses, Christus,*

*tione* etc. a se nullatenus negari, sed immo speculative comprehendendi. Hac fraude dum illa sua figmenta venditant velut speculativas declarationes dogmatum christianorum, duo haec consequi student, ut seipsos ab infamia atheismi et impietatis tueantur, et christianam religionem per depravationem dogmatum ac abusum nominum efficacius oppugnent.» Adnotat. in l. schem. conc. Vatic., Coll. Lacens. t. 7 pg. 519. Hae adnotationes, quae a Theologis concilii, qui schemata scripserunt, adiectae sunt, «quum doctrina, quam continent, tum luce, quam schematis afferunt, magni sunt aestimandae.» Editores C. L., praefatio pg. VI.

<sup>1)</sup> Illi, qui Deum agnoscunt tamquam mundi gubernatorem et provisorem, a recentioribus *theistae* appellantur.

<sup>2)</sup> Ita scite advertit episcopus *Brixinensis Gasser* in relatione de emendat. c. 2. schem. de fide cath. (Coll. Lacens. pg. 148).

*Muhammed* etc. — Inter rationalistas in Germania eminent *Semler, Lessing, Herder, Wegscheider, Bretschneider*. Inter catholicos Semirationalismi labe infectos praecipue nominandi sunt: *Hermes, Hirscher, Günther* eiusque schola. In praesente quaestione hos omittimus, quia semirationalistae revelationem non negant, sed in expositione veritatis revelatae errant.<sup>1)</sup>

4. Denique commemorari debet *Modernismus*, iuxta quem revelatio nihil aliud est «quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia» (Decr. „Lamentabili“ error 20).<sup>2)</sup>

Isti sunt praecipui errores, qui revelationi generatim opponuntur, quique uno vocabulo *Naturalismus* appellari solent, in oppositione ad religionem supernaturalem, quam *Supernaturalismum* vocant.<sup>3)</sup> Origo istorum errorum, ut conc. *Vaticanum* (Prooem. «Dei Filius») declarat, a reformatoribus saec. 16. petenda est, qui reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privato cuiusvis iudicio permittebant, unde «omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est... Tum enim nata est et late nimis per orbem vagata illa Rationalismi seu Naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur.»

## CAPUT II.

### De revelationis possibilitate et convenientia.

M. J. Scheeben, *Die Mysterien des Christentums* (3. Aufl. von Rademacher), Freiburg 1912. T. Granderath, *Spekulative Erörterung über die Existenz von Mysterien und die Möglichkeit ihrer Offenbarung* (Zeitschr. f. kath. Theol. 1886, 497—511, 595—602). B. Duhm, *Das Geheimnis in der Religion* 1896.

Loquemur primo de revelationis possibilitate et convenientia generatim, deinde de revelatione mysteriorum in specie.

<sup>1)</sup> De Semirationalismo sermo recurret nn. 200. 452. 475.

<sup>2)</sup> Denzinger 2020.

<sup>3)</sup> Cf. Hettinger, *Fundam.-Theol.* Bd 1 § 13, 1.

## ARTICULUS I.

### De possibilitate et convenientia revelationis generatim.

**Thesis 14.** *Quamvis Deus per ea, quae facta sunt, naturali rationis lumine cognosci valeat, nihilominus fieri potest, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur.* 61

De fide ex conc. Vaticano (Sess. III de revel. can. 2).<sup>1)</sup> «Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur: anathema sit.» Cognitionem Dei naturalem hoc loco non probamus, sed supponimus; eo vel magis, quia rationalistae, contra quos nunc dimicamus, eam non negant, sed exaggerant et maxime hac de causa revelationem vel impossibilem vel saltem superfluam dicunt. De hac itaque sola agimus.

Probo 1. Possibilitas et impossibilitas est vel *intrinseca*, quatenus aliquid notis sociabilibus aut insociabilibus consistit; vel *extrinseca*, quatenus adest vel deest causa sufficiens ad aliquid producendum. Atqui revelatio divina evidenter neque notas insociabiles neque insufficientiam causae involvit. Recole definitionem revelationis et assertio statim patebit.

2. Stultum est, Deo negare, quod quilibet homo potest. Sed homines ideas sibi mutuo communicare valent. Hinc revera nemo nisi atheistae, pantheistae et materialistae, qui Deum vel spiritualitatem animae vel utrumque simul negant aut pervertunt, possibilitatem revelationis inficiari possunt. Rationalistae vero, qui Deum personalem et infinite sapientem admittunt, negando revelationis possibilitatem manifesto sibi contradicunt.

3. Consensus generis humani confirmat possibilitatem revelationis, cum vix ulla reperiri potuerit gens, quae suam religionem non derivaverit ex communicatione deorum.<sup>2)</sup> Neque satis mirari possumus incoherentiam incredulorum,

<sup>1)</sup> Denzinger 1807.

<sup>2)</sup> Cf. Lüken, Traditionen des Menschengeschlechtes 2. Aufl. S. 3 ff.

qui influxum spiritus increati in creatum dicunt impossibilem, contactum vero inter spiritus creatos, cuiusmodi in phaenomenis Hypnotismi, Mesmerismi et Spiritismi manifesto se prodit, tam libenter amplectuntur.

4. Peremptorie vero, licet indirecte, possibilitas revelationis ex eiusdem *existentia* demonstratur. Revelatio enim certissime data est, ergo revelatio est possibilis. Prae fulgore tam splendidi facti omnes fors insurgentes nubeculae difficultatum contra possibilitatem evanescent. Et sane sunt merae nubeculae.

62 **Obiiciunt** enim 1. Revelatio, quae fit in tempore, immutabilitati Dei repugnat. — Resp. Eodem iure dici posset, reliquas operationes Dei ad extra, non excepta creatione, repugnare eius immutabilitati; quia omnis operatio ad extra fit in tempore. Obiectio igitur, si quid valeret, ipsam libertatem Dei impeteret.<sup>1)</sup> Qua fronte increduli religionem christianam ex immutabilitate Dei impugnare audent, cum Progressismus pantheisticus, quem ambabus ulnis amplectuntur, ipsum Deum evolutioni et continuae mutationi subiiciat (42)?

**Obi.** 2. Revelatio supponit naturam imperfectam et mancā, alioquin superflua esset revelatio. — Resp. a. Negari primo potest consequentia; quia Deus etiam naturae in suo genere bonae et optimae aliquod altius bonum superaddere potest. Hoc bonum erit quidem supererogatorium; sed non superfluum. — b. Sed natura humana revera imperfecta immo corrupta fuit, non quia talis ex manu Dei prodierit, sed quia per peccatum subsequens talis effecta est. Huius corruptionis medela est revelatio.

**Obi.** 3. Mens humana sub immediato Dei revelantis influxu necessario mere passive se haberet; quod eius naturae repugnat. — Resp. Stultum est dicere, Deum non posse hominibus veritates communicare modo ipsorum naturae congruo. Si homo hominem docere potest, quin eius naturam laedat, an Deus hoc non valeat? Num passive nos habemus, dum actum fidei elicimus vel influxui gratiae cooperamur?

---

<sup>1)</sup> Conciliationem immutabilitatis Dei cum libera eius operatione ad extra vide in Dogmatica speciali n. 59.

**Obi. 4.** Cognoscere non possumus, utrum revelatio a Deo sit, necne. — Nego; cognoscitur enim per certa criteria, de quibus postea.

**Obi. 5.** Revelatio excluderet omnem historiam religionis. — Resp. Esto; quid inde? Insuper nego assumptum; christiana religio enim profecto suam historiam habet.

**Thesis 15.** *Revelatio supernaturalis generatim spectata 63  
conveniens et homini perutilis est.*

1. Probatur ex parte *Dei*, qui pater noster est saltem eo sensu, quod nos produxit, conservat et paterne gubernat. Atqui patrem maxime condecet, filios erudire, monita et praecepta salutis exhibere; idque non solum mediate per alios, sed etiam immediate per semetipsum. Licet ergo Deus mediantibus creaturis per lumen naturale nos edocuerit ea, quae simpliciter necessaria sunt, eius tamen bonitas haud parum illustratur, si immediatum commercium ineat cum creatura rationali.

2. Ex parte *hominis* res clarescit per se. Quid enim homini utilius et honorificentius esse potest, quam a Deo erudiri, iuxta illud: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine* (Ps. 93, 12)? Quid dulcius eloquiis Domini, quae vere *sunt super mel et favum* (Ps. 18, 11)? Quid iucundius misero peccatori, quam si venia peccatorum ei ab ipso Deo offeratur?

3. Probatur maxime a posteriore. Constat enim historice, revelationem nedum utilem, sed plane necessariam fuisse generi humano, ut veritas ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci posset, praesertim vero, quia Deus ex infinita bonitate sua hominem ordinavit ad finem supernaturalem.<sup>1)</sup> Sed de hoc postea.

## ARTICULUS II.

### De possibilitate et convenientia revelationis mysteriorum in specie.

Rationalistae mysteriorum revelationem ideo maxime 64  
negant, quia eorum *existentiam* negant. Quare esto:

**Thesis 16.** *Existunt mysteria, quae adeo captum ratio-*

<sup>1)</sup> Denzinger 1736.

*nis humanae excedunt, ut naturaliter ab ea cognosci non possint.*

De fide ex conc. Vaticano (Sess. III de fide et ratione can. 1)<sup>1)</sup>: «*Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari: a. s.*» — Thesim primo theologicè ex documentis fidei, deinde apologeticè contra incredulos ex principiis sanæ Philosophiæ demonstrabimus.

A. Theologicè 1. Ex s. *Scriptura*, maxime I. Cor. 2, 4 sqq, ubi Apostolus sapientiae huius mundi opponit *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, ... quam nemo principum huius saeculi cognovit ... cuius obiectum sunt profunda Dei, ... quae nemo cognovit nisi Spiritus Dei, et cui revelavit Deus per Spiritum suum.* Sicut enim nemo scit, *quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Hinc praedicatio talium veritatum non fit in «*persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*» Ratio est, quia agitur de obiecto, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, h. e. nullo fonte naturali veritatis, scilicet neque experientia (oculo), neque ratione (corde), neque auctoritate humana (aure) attingi potest. — Idem colligitur ex verbis Christi (Matth. 11, 25 sqq; cf. Luc. 10, 21 sq): *Confiteor tibi Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis ... Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* — Haec testimonia per se luce clariora sunt, iisque utitur conc. Vaticanum (cap. 4)<sup>2)</sup> ad probandum quod «*praeter ea, ad quae naturalis ratio pertinere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.*»

2. S. Hilarius scribit:<sup>3)</sup> «*Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem eloquendum sermo sileat, et investigandum*

<sup>1)</sup> Denzinger 1816.

<sup>2)</sup> Ibid. 1795.

<sup>3)</sup> De Trinit. l. 2 n. 6.

mens hebetetur, et complectendum intelligentia coarctetur.» Similia apud Patres passim occurrunt, praesertim ubi de ss. Trinitate loquuntur.<sup>1)</sup>

3. Accedunt *decreta* R. Pontificum Gregorii XVI. (Encycl. 18. Aug. 1832 ap. Denzinger 1616), Pii IX. saepius (praesertim 11. Dec. 1862 et 21. Dec. 1863<sup>2)</sup>) edita. Praeterea in *Syllabo* damnatur prop. 4: «Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiusque generis veritatum assequi possit ac debeat.»<sup>3)</sup>

4. Consensus *scholae catholicae* in nostram thesim ex commentariis in Magistrum<sup>4)</sup> et in s. Thomam<sup>5)</sup> elucet.

5. Ratio *theologica* haec omnia confirmat. Revelatum namque est, Deum esse unum et trinum, incarnatum, in Eucharistia sub quavis particula totum Christum praesentem etc. Atqui istae veritates sunt evidenter mysteria, quippe quae nec a ratione inveniri, nec etiam traditae revelatione instar veritatum rationalium cognosci possunt; quod suis locis demonstrabitur.

**B. Philosophice ante omnia certum est:**

65

1. Deum liberum esse nec quemquam eius libera consilia scire posse, priusquam illa revelare dignetur. Ergo saltem mysteria *secundi* ordinis, i. e. veritates divinae, quas homo ex se *invenire* non valet, admitti debent.

<sup>1)</sup> Cf. Hieron., Proem. ad l. 18 in Is.; Fulgent. ad Trasimund.

<sup>2)</sup> Allatis testimoniis Col. 1, 26; Hebr. 1, 1. 2; Ioan. 1, 18; I. Cor. 2, 7 sqq Pontifex subdit: «Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis, ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum s. fide suscipitur; et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt, quaeque etiamsi divina revelatione innotuerint, et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino.» Denzinger 1673. 1682.

<sup>3)</sup> Denzinger 1704.

<sup>4)</sup> Sent. l. 1 dist. 3.

<sup>5)</sup> Sum. theol. p. 1 q. 32 a. 1. — Ceterum de mysteriis consule etiam Dogmaticam specialem n. 103 sqq, 221 sqq, 505 sq.

2. At sunt etiam mysteria *primi* ordinis. Nam Deum non immediate videmus, sed mediantibus effectibus cognoscimus. In ente infinito autem certe sunt vel saltem esse possunt perfectiones, quae in effectu finito nullo modo apparent, nec proinde ex eo deduci ac ullo modo cognosci possunt. Sunt ergo in Deo vera mysteria. — Revera sicut ex artefacto artificis virtus et ars, non vero eius vita interna elucet; ita etiam ex operibus divinis eius virtus ac divinitas, non vero profunda cordis cognoscuntur. Sicut enim nemo scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Hoc argumentum Apostoli (I. Cor. 2, 11) non solum theologicum, sed etiam philosophicum est.<sup>1)</sup>

3. Haec confirmantur ex mysteriis *naturae*, quae undique nos circumdant. Si enim profunda naturae penetrare impares sumus, quanto minus profunda Dei (Sap. 9, 16) penetrare valebimus.<sup>2)</sup>

66 **Obiectio 1.** Homo est infinite perfectibilis; ergo nulla est veritas, ad cuius cognitionem tandem aliquando pervenire non possit. — Resp. Dist. Homo est infinite seu potius indefinite perfectibilis *intra* limites naturae, C.; *ultra* limites naturae, SD.: per adiutorium supernaturale Dei, Tr.; per vires naturales, N. Sane intellectus humanus naturaliter Deum nonnisi ex effectibus cognoscit; mysteria divina autem in effectibus non exprimuntur; ergo ex illis nunquam invenientur. Sicut potentia ambulandi, quantumvis perfectibilis, nunquam fit potentia volandi, ita etiam potentia cognoscendi nunquam suam naturam mutare potest, ac proinde intellectus propriis viribus quantumvis excultis nunquam obiectum extra suum ambitum iacens attingere valebit. — Ceterum homo non solum perfectibilis est, sed etiam, quod praeteriri non debet, defectibilis et praesertim in re religiosa magnos regressus fecit (47).

<sup>1)</sup> Hoc argumento iam s. Basilius contra Eunomianos (l. 2 c. 32) usus est: Πῶς δυνατόν ἐκ τῶν δημιουργημάτων τὰς οὐσίας ἀναλογίζεσθαι, ἐγὼ μὲν οὐχ ὁρῶ; Δυνάμειος γάρ, καὶ σοφίας καὶ τέχνης, οὐχὶ δὲ τῆς οὐσίας αὐτῆς ἐνδεικτικά ἐστὶ ποίηματα. Καὶ οὐδὲ αὐτὴν πᾶσαν τοῦ δημιουργοῦ τὴν δύναμιν ἀναγκαίως παρίστησιν. Cf. Thom. p. 1 q. 32 a. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Thom., C. gent. l. 1 c. 3 arg. 3.

**Obiectio 2.** A prioré et mere philosophice demonstrari nequit, esse in Deo aliquam perfectionem, quae ad extra nullo modo ne per creaturam perfectissimam quidem ita exprimi possit, ut ab intellectu creato inveniri et analogice cognosci valeat. Ergo saltem mere philosophice non constat, mysteria proprie dicta haberi eorumque revelationem possibilem esse.<sup>1)</sup> — Resp. Nego assumptum. Ex dictis enim vita interna artificis et maxime *libera* eius consilia in operibus non exprimuntur; ergo nec cognoscuntur ex illis. Praeterea etiam perfectiones essentielles et necessariae Dei in nulla unquam creatura quantumvis perfecta nec collective nec distributive *omnes* exprimi possunt. Posita enim creatura utcunque perfecta, certe Deus alias innumeras specificè altiores creare posset, in quibus perfectiones divinae resplenderent, quarum nullum vestigium in creaturis inferioribus iam existentibus apparet. Cum ergo intellectus creatus etiam perfectissimus Deum naturaliter nonnisi ex effectibus existentibus cognoscat, manifesto consequitur, pro quovis intellectu creato semper existere perfectiones divinas, quarum nullum vestigium in mundo apparet, quas proinde intel-

---

<sup>1)</sup> Ita Granderath, Dieckmann, Pesch, Müller, Dorsch, Lercher aliique theologi gravissimi, qui admittunt quidem, Deum varias veritates cognoscere, quae sint mysteria secundi ordinis ideoque ab homine sine revelatione nunquam cognosci possint e. g. libera Dei decreta; item consentiunt in propositione negativa: probari nequit, mysteria primi ordinis non existere vel esse impossibilia; sed contradicunt auctori huius libri affirmanti, rationibus philosophicis positive et peremptorie demonstrari posse, quod mysteria primi ordinis in Deo necessario existant. Nam infinita illa intellectus creati et increati distantia, ex qua necessaria existentia mysteriorum primi ordinis deduci solet, salva videtur consistere, etiamsi non haberentur mysteria proprie dicta; Deus enim vi essentiae suae, unico actu eoque substantiali, summa claritate omnia cognoscit, cum creaturae rationales has veritates nonnisi multis iisque accidentalibus actibus et minore intensitate et revelatione demum accepta perspicere possent. Quod attinet responsum auctoris, concedunt eius priorem partem, sed dicunt, libera Dei consilia non esse mysteria primi ordinis; ex altera vero parte responsi solummodo colligi posse, non omnes perfectiones divinas revera in creaturis resplendere; illicite autem ex hoc inferri, has veritates, si revelentur, non posse intellegi, in quo tamen praecise ratio mysterii stricte dicti consistat. Cf. Zeitschr. f. kath. Theol. 1886. S. 497 ff, 595 ff.

lectus nec invenire nec tradita revelatione propriis conceptibus assequi valeat. Merito ergo apologetae christiani existentiam mysteriorum etiam philosophice demonstrare solent.<sup>1)</sup>

67 **Thesis 17.** *Revelatio mysteriorum possibilis est.*

De fide ex canone Vaticano saepius allegato<sup>2)</sup>: «Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, . . . a. s.» Thesis demonstratur:

1. A priore; quia sapientiae divinae media deesse non possunt, ut creaturae rationali secreta sua pandat. Sane obiectum intellectus est *verum in genere*. Ergo nulla est veritas, quam intellectus aliququaliter attingere non valet, modo apte ipsi proponatur. Atqui Deo potentia deesse nequit, apte proponendi quascunque veritates cuicunque intelligentiae creatae. Ergo.

2. A posteriore, quia Deus de facto mysteria revelavit; ab *esse* autem necessario concluditur ad *posse*, ut logici dicunt.

3. Arguitur ad hominem per refutationem difficultatum rationalistarum. Excipiunt enim a. Mysteria sunt obscura, ratio autem nonnisi quod clarum et evidens est, admittere debet. — Resp. Dist. antec.: Mysteria sunt obscura quoad essentiam, C.; quoad existentiam, SD.: ante revelationem, C.; post revelationem eorundem, N. — Sane, duplex est criterium veritatis: evidentia interna, quae ex perspectis rationibus internis rei procedit; et externa, quae ex testimonio fide digno desumitur. Mysteria autem non sunt quidem intrinsece evidentia, ast testimonio fide digno comprobari possunt et revera probantur. Hinc rationabiliter creduntur, licet non intelligantur: «Sicut enim, ait s. *Thomas*,<sup>3)</sup> maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest, ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt.» — Dicunt b. *Revela-*

<sup>1)</sup> Cf. s. Thomam C. gent. l. 1 c. 3.

<sup>2)</sup> Denzinger 1808.

<sup>3)</sup> C. gent. l. 1 c. 3.

*tio mysterii* est contradictio in terminis, quia quod revelatum est, mysterium non est. — Resp. Esset contradictio, si eadem veritas sub eodem respectu revelata simul esset et abscondita. Sed hoc non est. Nam mysteria christiana revelantur quoad *existentiam*, sed non quoad *essentiam*. Sic in uno Deo tres personas esse ex revelatione novimus, quomodo vero in una natura tres personae esse possint, etiam post revelationem ignoramus. Quid contradictorii in hoc?

**Thesis 18.** *Revelatio mysteriorum est convenientissima.* 68

Talis revelatio enim, ut argumentatur s. *Thomas*,<sup>1)</sup> inservit:

1. «Ad *praesumptionis repressionem*, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de ingenio suo praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet totum esse verum, quod eis videtur, et falsum, quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum eius excederent.»

2. Ad *cognitionis divinae veritatem*: «Tunc solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est; eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest.»

3. Ad *mentis et cordis perfectionem*. Nam *a*) «de rebus nobilissimis quantumcunque imperfecta cognitio maximam perfectionem confert. Et ideo quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem ea qualitercunque teneat fide.» Unde pulchre s. *Hilarius*:<sup>2)</sup> «Haec credendo incipe, percurrere, persiste et, si non perventurum sciam, gratulabor tamen profecturum. Qui enim pie infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, semper tamen

1) C. gent. l. 1 c. 5; cf. c. 8.

2) De Trinit. l. 2 c. 10.

proficiet procedendo. Sed ne te inferas in illud secretum et in arcanum interminabilis veritatis non te immergas, summam intelligentiae comprehendere praesumens, sed intellige incomprehensibilia esse.» —  $\beta$ ) Denique mysteriorum revelatio *cor* nostrum ad desideria coelestia elevat. «Quia ad altius bonum, quam experiri in praesenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, oportuit mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in praesenti possit pertingere; ut sic disceret aliquid desiderare et studio tendere in aliquid, quod totum statum vitae praesentis excedit.»<sup>1)</sup> Concludimus ergo cum conc. *Vaticano* (Sess. III cap. 4)<sup>2)</sup>, quod ratio aliquam «mysteriorum intelligentiam eamque *fructuosissimam*» assequi potest.

### CAPUT III.

#### De revelationis necessitate.

T. Granderath, Die Notwendigkeit der Offenbarung (Zeitschr. f. kath. Theol. 1882, 283—318). F. I. Mach, Die Notwendigkeit der Offenbarung Gottes, Mainz 1883. I. Döllinger, Heidentum und Judentum, Regensburg 1857.

#### ARTICULUS I.

##### Status quaestionis.

69 Si quando alibi, maxime in hac quaestione necessaria est accurata determinatio status quaestionis. Praemissa ergo *explicatione terminorum*, tam *doctrinam catholicam* quam *adversariorum exceptiones* exhibebimus, ut clare appareat, quo prae ceteris conatus virium dirigendus sit.

**A. Explicatio terminorum.** Necessitas revelationis varie intelligi potest:

1. Respectu *subiecti* huius necessitatis. Quaeri videlicet potest, an Deus revelationem homini dare debuerit; an homo illa indiguerit. Manifestum est, de secunda, non de prima quaestione agi.

2. Respectu *obiecti* quaeri potest, an necessaria sit revelatio veritatum superrationalium (mysteriorum), an ra-

<sup>1)</sup> Thom. C. gent. 1. 1 c. 5.

<sup>2)</sup> Denzinger 1796.

tionalium. De revelatione mysteriorum hoc loco non est sermo.

3. Respectu *finis* quaeritur, utrum revelatio necessaria dicatur ad hoc, ut aliqua veritas *utcunque* cognoscatur, an ad hoc, ut *supernaturali modo* per fidem divinam cognoscatur. In praesente non agimus de hac cognitione posteriore, ad quam utique revelatio absolute necessaria est; sed loquimur de cognitione generatim seu quoad substantiam, ut aiunt.<sup>1)</sup> 70

4. Respectu *modi* et *gradus* necessitatis quaeritur, utrum revelatio necessaria dicatur absolute et *per se*, an tantum in certa *hypothesi*. Et rursus num *physice*, vel tantum *moraliter* et *relative* necessaria sit; quae divisio, cum de ea praesertim agatur, imprimis declaranda erit. Itaque necessitas physica, quae aliquando etiam absoluta dicitur, impotentiae physicae respondet; moralis necessitas impotentiae morali. Porro impotentia physica tunc adest, quando potentia physica omnino deest, vel deest requisitum physicum ad exercendum actum, quemadmodum e. g. sine facultate videndi et sine omni lumine physice impossibile est videre. Oculi igitur et lux ad videndum physice necessaria dicuntur. Impotentia moralis vero habetur, quando non deest quidem ipsa potentia seu facultas physica; at difficultates tantae sunt, ut pro more modoque, quo homines in huiusmodi difficultatibus semper agunt, potentia physica saltem in maxima parte hominum sine speciali adiutorio nunquam in actum deducatur. In hoc casu speciale aliquod adiutorium moraliter necessarium dicitur. Haec necessitas moralis vocatur etiam *relativa*, eo quod non est eadem in omnibus, sicut in casu impotentiae physicae, sed pro variis difficultatibus internis et externis in uno maior, minor in alio esse potest. — De hac ultima praecise necessitate in praesenti tractatione agitur. Videlicet non quaerimus de necessitate revelationis mysteriorum, neque de veritatibus rationalibus in ordine ad fidem et finem supernaturalem; sed quaerimus de necessitate revelationis ad cognoscendas has veritates rationales simpliciter seu quoad substantiam.

<sup>1)</sup> Cf. Enchir. dogmat. spec. n. 397 sq; Franzelin, De Trad. et Script., de habit. rat. hum. ad fidem c. 3 n. II pg. 547.

**B. *Doctrina catholica*** ita proponitur in conc. *Vaticano* (Sess. III cap. 2 de revel.).<sup>1)</sup> «Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant» (cf. ib. III can. 3).<sup>2)</sup> Iuxta concilii doctrinam ergo:

1. Revelatio *absolute necessaria* est in hypothesi seu potius *propter factam elevationem hominis ad finem supernaturalem*. Sine revelatione enim supernaturali eique respondente fide homo hunc finem nec cognoscere nec ad eum tendere potest.

2. Revelatio *non est absolute necessaria quoad omnes veritates religiosas* et independenter ab elevatione ad finem supernaturalem, quia aliqua etiam «in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt.»

3. Nihilominus etiam istarum veritatum revelatio *moraliter necessaria* dici debet. Id concilium non quidem verbotenus, sed quoad rem manifeste docet. Cum enim dicit, «huic revelationi tribuendum esse, ut ea... cognosci possint,» tacite innuitur, ea sine revelatione cognosci *non* posse, atque ideo revelationem esse necessariam. Cum autem concilium hanc necessitatem restringit ad praesentem conditionem generis humani et ad cognitionem *expeditam, certam atque immunem ab erroribus*, manifesto moralem tantum necessitatem indicat; quippe quae non ex defectu potentiae sed ex conditione praesenti oritur, neque ad cognitionem qualemcumque sed ad certam et expeditam requiritur. Huiusmodi enim necessitas limitata communiter dicitur *moralis* seu *relativa*.

**C. *Adversarii*** in duplicem classem dispescuntur, eorum scilicet, qui excessu, et eorum, qui defectu peccant. Excessu

---

<sup>1)</sup> Denzinger 1786.

<sup>2)</sup> Ibid. 1808.

peccant *Traditionalistae* (Bonetti, Ventura, de Bonald), qui revelationem divinam simpliciter et absolute necessariam dicunt, eo quod nulla veritas religiosa, ne existentia Dei quidem, ab homine naturaliter cognosci valeat. De his in praesenti non loquimur, sed eos in ultimo tractatu refutabimus. Defectu peccant *Rationalistae*, qui iuxta superius dicta (60) revelationem proprie dictam nullam et nunquam necessariam fatentur.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### Necessitas moralis revelationis demonstratur.

Moralis necessitas alicuius adiutorii iuxta dicta ex mag- 71  
nis difficultatibus et ex defectu mediorum ad superandas

---

<sup>1)</sup> Hoc loco notare liceat modum quendam loquendi minus cautum, qui apud nonnullos auctores reperitur. Dicunt enim, revelationem *absolute* necessariam esse, non solum propter respectum ad finem supernaturalem, sed etiam ex aliis causis, puta quia homo sine revelatione nec modum colendi Deum, nec modum placandi illum post commissam culpam, nec debitam sanctionem legis moralis cognoscat. Hoc, inquam, non satis caute dictum videtur. Namque a. Concilium Vaticanum nullam aliam causam absolutae necessitatis agnoscit praeter elevationem hominis ad statum supernaturalem. b. Talis modus loquendi confusione duorum ordinum, naturalis et supernaturalis, ansam praebere potest (cf. Coll. Lacens. Adnotationes pg. 523; Franzelin l. c. de habit. rat. hum. ad fid. c. 3 n. II et III). Et revera si de modo colendi vel placandi Deum vel de sanctione legis quaeratur, dici non potest, haec «per se impervia esse humanae rationi». Ratio naturalis enim per se cognoscere potest, Deum generatim actibus internis et externis colendum esse eumque remuneratorem et vindicem esse boni et mali, licet modum positivum cultus et speciem sanctionis non cognoscat. Culpae vero remissionem absque revelatione homo non quidem certe cognoscere, utique vero sperare posset, cum misericordia iniurias poenitentibus condonans sit perfectio simplex, atque adeo etiam sine revelatione in Deo merito supponi posset; eo vel magis, quia in mundo tot indicia divinae longanimitatis erga peccatores prostant. Deus in ordine naturali aequae ac in supernaturali hominibus vere poenitentibus tranquillitatem conscientiae fiduciamque indulgentiae infundere potuisset. Haec spes autem homini peccatori in ordine naturali sufficere deberet, cum neque nos in ordine supernaturali de peccatis commissis sine timore esse debeamus. Dicere ergo non licet, saltem post peccatum revelationem absolute necessariam esse. Sane cum impeccabilitas in ipso ordine supernaturali sit privilegium speciale, multo minus in ordine purae

illas difficultates *oritur*, atque ex universali et constante modo agendi hominum *manifestatur*. Moralis necessitas revelationis ergo ex tribus circumstantiis demonstratur: **a.** ex maximis difficultatibus cognoscendi veritates religiosas, **b.** ex defectu remediorum naturalium, **c.** ex modo universali et constante agendi hominum.

**Thesis 19.** *Summa difficultas cognoscendi veritates religiosas adiutorium aliquod speciale moraliter necessarium reddebat.*

Difficultas cognitionis religiosae apparet:

1. Ex parte ipsarum *veritatum*, quae multae sunt, sublimes et profundae sensusque omnino transcendunt, ita ut mentem perspicacem, multum tempus aliarumque scientiarum adiutorium expostulent. «Scientia, inquit s. *Thomas*,<sup>1)</sup> ad quam pertinet probare Deum esse et alia huiusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur praesuppositis multis aliis scientiis; et sic nonnisi post multum tempus vitae suae homo ad Dei cognitionem perveniret.» Unde merito quaerit s. *Augustinus*:<sup>2)</sup> «Omnesne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos, ais, existimo... quid, ceteris hominibus, qui tam sereno ingenio praediti non sunt, negandam religionem putas?»

2. Ex parte *hominis* sunt difficultates *intellectuales*, scilicet debilitas ingenii et torpor addiscendi; difficultates *morales*, nimirum vehementia passionum et habitus vitiosi, quibus intellectus obtenebratur; difficultates *physicae* ob defectum valetudinis et otii, ob brevitatem vitae, ob conditionem sexus et generatim ob necessitates et occupationes temporalis vitae.<sup>3)</sup>

3. Ex parte *societatis*, quae hominem non ad veram religionem, sed ad Polytheismum educabat eique mille vinculis adstringebat.

naturae homines sine peccato vivere potuissent. Qui ergo contendit, post peccatum revelationem absolute necessariam esse, eam in omni ordine absolute necessariam dicere debet; quod certe falsum est.

<sup>1)</sup> Thom. p. 2, 2 q. 2 a. 4.

<sup>2)</sup> De utilit. cred. c. 10.

<sup>3)</sup> Cf. Thom. l. c; C. gent. l. 1 c. 4; Lactant., Instit. div. l. 3 c. 25.

Istae difficultates licet non apud omnes in eodem gradu, tamen in genere humano tam communes fuerunt, ut veritates divinae licet per se rationi non imperviae, tamen ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci non potuerint. Ergo remedium aliquod seu adiutorium ad removendas istas difficultates moraliter necessarium fuit. Hoc remedium autem quale fuit? Philosophia, inquiunt rationalistae. Sed immerito.

**Thesis 20.** *Philosophia seu sapientia humana, ad quam rationalistae provocant, impar fuit sublevandae miseriae religiosae generis humani.* 72

Philosophi huic muneri impares fuerunt:

1. Ex defectu *scientiae*. Nullus enim fuit, qui *omnes* veritates religiosas et morales scitu necessarias certe et constanter proponeret, sed sapientissimi eorum in turpissimos et perniciosissimos errores lapsi sunt. «Nostis enim, inquit Leo XIII. (Encycl. *Aeterni Patris*), quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint (philosophi) de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis, aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis... quarum vera certaque notitia nihil magis est humano generi necessarium.» Ipsas veritates autem, quas docebant, non omnes ex lumine proprio hauserant, sed ex parte a Iudaeis, ac proinde ex revelatione didicerant.<sup>1)</sup>

2. Ex defectu *mutui consensus*. Nam, ut *Tullius*<sup>2)</sup> ait: «Plerique deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras; nullos esse omnino Diagoras, Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias.» Quodsi circa ipsum fundamentum religionis, scilicet circa existentiam et unitatem Dei, quae certe rationi non adeo impervia sunt, tantopere dissidebant; quanto magis circa alia? Cuinam igitur ex tot magistris inter se pugnantibus homines rudes credere debebant?

---

<sup>1)</sup> Id de Platone testantur Iustinus M., Orat. paraenet. ad gentes; Origenes, C. Cels. l. 6; Clem. Alex., Stromat. l. 1; aliique.

<sup>2)</sup> De nat. deor. l. 1 c. 1.

3. Ex defectu *auctoritatis*, non solum divinae sed etiam humanae. Divinam quippe ipsis defuisse, per se liquet; sed humanam quoque seu doctrinalem vel nullam vel admodum exiguum habebant: tum ob assertiones absurdas et a sensu communi abhorrentes,<sup>1)</sup> tum ob mutuas inter se dissensiones et redargutiones, tum ex perversis eorum moribus,<sup>2)</sup> tum demum ex absoluto defectu sanctionis, praemii scilicet et poenae, quibus philosophi reliquos homines ad credendum et obediendum impellerent.

4. Ex defectu *voluntatis*. Nullus quippe philosophus fuisse legitur, qui ipsum populum veram religionem bonosque mores docuerit. Vel enim a consortio plebeio omnino abhorrebant et selectis discipulis doctrinam secretam tradebant, iuxta illud: «odi profanum vulgus et arceo;» vel etiam data opera plebem in cultu fabuloso deorum confirmabant, ut s. *Augustinus*<sup>3)</sup> testatur: «hominum velut prudentium et sapientium negotium fuit, populum in religionibus fallere.» — Haec, quae de philosophis Graecorum maxime dicta sunt, etiam de sapientibus aliorum populorum valent. «Licet enim omnes Aegyptii sacerdotes sive sapientes Indorum gymnosophistae, Persarum magi, Graeci ac Romani philosophi sapientiae studuerint, scholas atque academias instituerint, sectas informaverint et quidem per longum annorum et saeculorum tractum, certum tamen est, ipsos impares omnino fuisse populis ad veri numinis cultum ac veritatis cognitionem adducendis.» Ita cl. *Perrone*.<sup>4)</sup>

73      **Thesis 21.** *Corruptio religiosa inter omnes populos reve-*

<sup>1)</sup> Idem, De divinat. II, 58: «Nihil tam absurde dici potest, quod non dicitur ab aliquo philosophorum.»

<sup>2)</sup> Idem, Quaest. Tusc. II, 4: «Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipsi sibi et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et iactatione, ut iis fuerit non didicisse melius: alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio.»

<sup>3)</sup> De civit. Dei l. 4 c. 32; cf. l. 8 c. 12. «Ipse Socrates, inquit idem Augustinus (De vera relig. c. 2 n. 6), cum populo simulacra venerabatur.»

<sup>4)</sup> Praelect. theol. vol. 1 n. 73.

*latione destitutos est factum tam universale et constans, ut necessitatem revelationis evidenter demonstret.*

Duo demonstranda sunt: *factum et consequentia.*

1. *Factum* certissimum omnique exceptione maius, quoad rei summam ita proponi potest: **a.** Nullus populus, revelatione destitutus, constanter unum verum Deum coluit, sed omnes in Polytheismum prolapsi sunt. Nullus populus cultum supremo numini dignum exhibuit, sed plus minusve superstitiosum, obscoenum et crudelem. Nullus veram ideam de immortalitate animae ultimoque fine hominis habuit. Apud nullum denique populum sana doctrina moralis conservata est, sed omnes in principiis etiam fundamentalibus errabant; fornicatio, expositio infantium, paederastia, servitus etc. vix pro vitiis habebantur.

**b.** Est factum aequè certum, quod praefata miseria religiosa et moralis non solum apud gentes barbaras invaluit, sed apud Graecos quoque et Romanos, ita ut cultura crescente in peius mores hominum haud raro mutarentur.

**c.** Immo ne unus quidem ex sapientibus et philosophis ab exordio generis humani ad nostra usque tempora florentibus, qui lumine revelationis vel carebant vel consulto illud respuebant, veritates etiam religionis naturalis puras conservabat, sed omnes in errores plus minusve graves prolapsi sunt. — Ista facta certissima sunt eaque testimoniis ex historia sacra et profana depromptis, nec non ex placitis diversorum philosophorum superius comprobavimus (45. 47 sq 72).<sup>1)</sup>

2. *Consequentia* ita declaratur: **a.** Sicut ex modo constante et universali, quo causae physicae agunt, vi inductionis deducuntur leges physicae nec non impossibilitas et necessitas physica: ita ex modo constante et universali, quo causae morales agunt, leges morales, impossibilitas ac necessitas moralis deducuntur et explicantur. Atqui historia testante *genus humanum nunquam propriis viribus ad debitam cognitionem religiosam et moralem pervenit.* Ergo merito

74

---

<sup>1)</sup> Cf. Hettinger § 16 VII f. Al. v. Schmid, Apologetik als speculative Grundlegung der Theologie, S. 158 ff (Freiburg 1900). Dieckmann, De revelatione christiana (1930) pag. 223—236.

infertur, hanc cognitionem fuisse moraliter impossibilem, atque adeo adiutorium aliquod *divinum moraliter necessarium*.

**b.** Confirmatur: Haec moralis impossibilitas eo maior censenda est, quo maius est bonum, de cuius adeptione agitur, quo maiores stimuli urgent illud quaerendi, quo vehementiora et frequentiora tentamina ad illud adipiscendum facta sunt, sed frustra. Atqui cognitio verae religionis est bonum summum, motiva eam inquirendi maxima, conatus ad eam assequendam a sapientibus adhibiti omnino plurimi, successus fere nullus, immo in dies maior corruptio.<sup>1)</sup> Ergo impotentia humana atque inde resultans necessitas adiutorii divini erat summa ac proinde *revelatio moraliter necessaria*. Quamvis enim Deus humano generi etiam aliis mediis, e. g. interna cordium illustratione et immutatione succurrere potuisset; tamen «placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes» (I. Cor. 1, 21). In concreto ergo hoc praecise medium, scilicet *revelatio*, est moraliter necessarium.

### ARTICULUS III.

#### Difficultates.

- 75 **Obiectio 1.** Omnia animalia sufficientibus mediis a natura instructa sunt ad finem suum consequendum. A fortiori ergo homines propriis viribus finem suum obtinere possunt.

Resp. Duplex hominem inter ac brutum discrimen viget. *Primo* homo ad finem supernaturalem elevatus est; brutum minime. Quare brutum propriis viribus finem, utpote sibi connaturalem, consequitur; homo non item. *Secundo* brutum necessario ad finem ducitur eumque amittere nequit; homo libere ad eum tendit eumque amittere potest. Hinc factum est, ut homo tot difficultatibus internis et externis propria culpa obrutus fuerit, ut etiam cognitio veritatum, quae ad consecutionem finis naturalis necessariae essent, generi humano moraliter impossibilis redderetur. Igitur modo scho-

---

<sup>1)</sup> Weiss, Apologie Bd 2 Vortrag 16: Die Anstrengung des Heidentums zu seiner Rettung. Verzweiflung des Heidentums (3. Aufl. Freiburg 1895).

lastico ad difficultatem ita respondeo: *C.* antecedens, et *D.* consequens: Ergo homo consequi valet finem supernaturalem, *N.*; finem naturalem, *SD.*: potentia physica, *C.*; potentia morali, *SD.*: in abstracto, *C.*; in praesente rerum ordine, *N.*

**Obiectio 2.** Si homo viribus suis recte utitur, Deus contentus est; nec plus ab eo exigit, quam ut faciat, quod potest. Sufficit ergo, ut homo sincere ad veritatem tendat, etsi forte eam non assequatur. Sane error vel vincibilis vel invincibilis esse supponitur. Si primum, deponi potest; si alterum, non imputatur. 76

Resp. **a.** Nego suppositum. Homines enim non bene, sed pessime usi sunt suis viribus, et ob hunc praecise abusum in eam miseriam devenerant. **b.** Impotentia cognoscendi veritatem erat moralis, non physica; proinde etiam error non simpliciter seu physice invincibilis erat, sed moraliter tantum. Haec impotentia et invincibilitas minuit quidem, sed non tollit rationem peccati; maxime si impotentia ex propria culpa originem ducit. **c.** Homo non qualemcumque, sed veram religionem profiteri, cultumque Deo dignum praestare tenetur; neque Deus alio cultu contentus esse potest. — Haec si prae oculis habeantur, corrumpit difficultas proposita, quippe quae in Indifferentismo tota fundatur.

**Obiectio 3.** Si necessaria fuit revelatio in statu naturae lapsae, necessaria quoque fuit in statu naturae purae. Lumen rationis enim et libera voluntas per peccatum originale non sunt extincta. 77

Resp. Quamvis lumen rationis et libera voluntas per peccatum originale non fuerint extincta, sunt tamen, saltem iuxta multos auctores, debilitata.<sup>1)</sup> Verum etsi sententiae eorum subscribamus, qui dicunt vires naturales per peccatum originale neque extinctas neque imminutas fuisse, inde nondum sequitur necessitas revelationis pro statu naturae purae. Idque ex duplici ratione. **a.** Quia status naturae purae concipi non debet ut status illius extremae miseriae et ignorantiae, in quem genus humanum non solum per peccatum originale, sed per peccata etiam propria devenerat. Haec

<sup>1)</sup> Cf. Schmid, Quaestiones selectae q. 4 (Paderborn 1891).

corruptio cum idea status purae naturae non est necessario connexa. **b.** Posito etiam, quod homines in statu naturae purae in similem miseriam devenerint, Deus per alia media naturalia succurrere potuit, quin immediata revelatione, quae saltem *quoad modum supernaturalis* est, uteretur. Concilium Vaticanum dicit quidem, cognitionem veritatum religiosarum rationi perviarum in ordine praesente revelationitribuendam esse; non dicit autem, nullum aliud medium fuisse, quo Deus hominem vel a lapsu in talem statum praeservare, vel post lapsum erigere potuisset.<sup>1)</sup>

78 **Obiectio 4.** Si revelatio est necessaria, etiam *debita* dicenda est, quia quod creaturis necessarium est, Deus dene-gare non potest. Ergo neque per quatuor millia annorum re-velatio differri potuisset.

Resp. Deus stricte loquendo suis creaturis nil debet, sed omnia bona ex bonitate eius proveniunt. Nihilominus Deus ipse sibi i. e. sapientiae suae et bonitati debet, ut creaturis largiatur, quidquid natura postulat, puta aërem, lumen, alimenta, quibus natura humana indiget.<sup>2)</sup> Inde ta-men non sequitur, quod Deus etiam culpabiliter amissa re-stituere debeat, e. g. oculos, quos homo sibi ipse eruit. At-qui coecitas generis humani in rebus religionis fuit volun-taria et culpabilis. Ergo Deus illam sanare non debuit. Ergo licet revelatio ex parte hominis necessaria erat, non tamen debita ex parte Dei fuit. Ceterum denuo adverto, Deum coecitatem illam religiosam aliis quoque mediis aut praeca-vere aut sanare potuisse. Adverto insuper, Deum iam ante Christum aliquam, licet imperfectiorem, revelationem de-disse gratiasque internas hominibus contulisse.

## CAPUT IV.

### De criteriis revelationis.

Benedictus XIV, De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione. A. Gisler, Der Modernismus, 4. Aufl. 1913. J. v. Bonniot, Wunder und Scheinwunder, Mainz 1889. E. Müller, Natur und Wunder, Freiburg 1892. A. Lepicier, Del miracolo, Roma 1901.

<sup>1)</sup> Franzelin, De Tradit. et Script. pg. 556 sqq; ubi plura huiusmodi media, quae Deo praesto fuissent, indigitantur.

<sup>2)</sup> Cf. s. Thom. 1, 2 q. 111 a. 1 ad 2.

C. Gutberlet, Vernunft und Wunder, München 1905. B. Grabinski, Wunder in der Gegenwart, Hildesheim 1923. H. Hoppeler, Bibelwunder und Wissenschaft. Betrachtungen eines Arztes, 5. Aufl. Stuttgart 1925. — J. Knabenbauer, Orakel und Prophetie, Passau 1881. J. B. Becker, Die Weissagungen als Kriterien der Offenbarung, Mainz 1890. F. Leitner, Die prophetische Inspiration (in Bibl. Studien von O. Bardenhewer I 4/5), Freiburg 1896. M. A. van den Oudenrijn, De prophetiae charismate in populo israelitico, Romae 1926.

## ARTICULUS I.

### Status quaestionis.

**A. Notio criterii.** Criteria revelationis sunt illae notae, 79  
per quas divina origo revelationis dignoscitur. Appellantur etiam *motiva credibilitatis*, quia ad credendum nos movent. Sicut enim sigillum regium epistolae appensum efficit, ut epistola tamquam a rege missa agnoscatur et reverenter accipiatur, ita criteria revelationem ut divinam ac proinde ut credibilem et credendam nobis exhibent.

Motiva credibilitatis cum *praeambulis fidei* non sunt confundenda. Praeambula enim fidei dicuntur illae veritates naturales, quarum cognitio ad fidem utique praerequiritur, scilicet existentia, scientia et veracitas Dei aliaeque plures veritates philosophicae; sed hae non indicant, Deum locutum esse. Motiva autem indicant, Deum locutum esse.<sup>1)</sup> Quare per se veritates istae praeambulae non ingrediuntur in theologiam fundamentalem, sed in philosophia religionis tractandae sunt.<sup>2)</sup>

**B. Divisio.** Criteria revelationis distinguuntur: 80

1. In *externa* et *interna*. Externa sunt facta sensibilia supernaturalia, quibus divina origo revelationis demonstratur; e. g. miracula, vaticinia, martyria, mirabilis propagatio doctrinae revelatae etc. Interna criteria sunt qualitates in-

<sup>1)</sup> Cf. s. Thom. p. 1 q. 2 art. 2 ad 1; Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 4, Wissen vor dem Glauben n. 165.

<sup>2)</sup> Adverto tamen, in gymnasiis modernis haud raro ipsa elementa sanae philosophiae, multoque magis philosophiam religionis naturalis desiderari. Quare vix aliud restat, quam ut hic defectus in Theologia suppleatur ac praeambula fidei praemittantur tractatui de revelatione. Cf. Pesch, Theologische Zeitfragen I Die alte Apologetik S. 73 f.

trinsecae revelationis, quae sola ratione vel corde hominis percipiuntur.

2. In *obiectiva* et *subiectiva*. Criteria obiectiva sunt notae ipsi doctrinae revelatae inhaerentes, e. g. eius sublimitas et sanctitas; subiectiva sunt effectus, quos revelatio in homine producit, e. g. gustus et pax animae.

3. In *negativa* et *positiva*. Criterium  $\alpha$ ) *negativum* primario significat criterium, quod revelationem *negat* i. e. tale, quod si aliquam doctrinam afficit vel comitatur, ostendit eam revelatam esse *non posse*; secundario criterium negativum accipitur etiam pro absentia talis circumstantiae revelationem excludentis. Huiusmodi circumstantiae seu criteria negativa essent, si doctrina, quae ut revelata venditatur, propositiones evidenter in se falsas aut intra se pugnantes contineret, item si res Deo indignae e. g. turpes, ridiculae bonisque moribus repugnantes in illa proponerentur. Impossibile enim est, ut Deus, qui est ipsa veritas et sanctitas, doctrinam veritati aut sanctitati repugnantem revelet. Quare praesentia criteriorum negativorum est signum revelationis falsae, eorum absentia vero nondum est signum revelationis verae, sed *possibilitatis* revelationis verae. —  $\beta$ ) Criterium *positivum* est illud, quod divinam originem alicuius doctrinae *revera* ostendit vel saltem suadet.

4. Denique in *adaequata* et *inadaequata*, quatenus criterium aliquod per se solum, vel in unione tantum cum aliis criteriis ad demonstrandam revelationis genuinitatem sufficit.

81 C. *Adversarii*. 1. *Rationalistae*, qui revelationem supernaturalem negant, consequenter etiam criteria supernaturalia, miracula et vaticinia negant; atque id solum de doctrina revelata admittunt, quod rationi congruit. *Consonantia ergo cum ratione* ipsis est unicum criterium verae religionis.

2. *Pseudomystici* antiqui<sup>1)</sup> et recentiores *anabaptistae*, *quackeri* alique docuerunt, Deum se omnibus immediate revelare, unde tum Ecclesiam tum s. Scripturam superfluum censent. In hac sententia nullum criterium ab ipsa revelatione distinctum requireretur. Deus enim certe ita loqui novit, ut homo dubitare non possit, Deum esse, qui loquitur.

<sup>1)</sup> Cf. August., Contr. Faust. disp. 32, 6.

3. Non multum ab his differt opinio *Lutheri, Calvini*, aliorumque reformationum saec. 16.; quippe qui, licet s. Scripturam admittant, immo ut unicam regulam fidei praedicent, simul tamen veram intelligentiam s. Scripturae *immediato* testimonio Spiritus sancti tribuunt. Unde nullum aliud criterium stricte dictum praeter testimonium Spiritus sancti seu vim divinam s. Scripturae inhaerentem postulant.<sup>1)</sup>

4. Recentiores *supernaturalistae, theosophi, sentimentalistae* seu *pietistae* sepositis criteriis externis, unice ex *interna experientia* (gustu) aut *inspiratione privata*, revelationis divinitatem comprobata esse volunt. Huc referri etiam debet *Modernismus*, qui pariter *experientiam privatam* ut unicum credibilitatis motivum statuit. «Rem enim sic edisserunt: In sensu religioso quendam esse agnoscendum *cordis intuitum*, quo homo ipsam, sine medio; Dei realitatem attingit; tantamque de existentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat... Haec porro experientia, cum quis illam fuerit assecutus, proprie vereque credentem efficit.»<sup>2)</sup>

5. Commemorandi quoque hic sunt sic dicti *Neoapologetae*, qui docent, exaggeratum «Intellectualismum», quo Apologetica traditionalis credibilitatem revelationis christianae unice criteriis externis rationi accommodatis demonstrare contendat, in se ineptum vel certe indigentis nostri temporis insufficientem esse. Criteria ergo, quae cor ad credendum moveant, quaerenda esse contendunt Neoapologetae. Huiusmodi criteria sunt: Religio christiana eaque sola satisfacit insito sensui religioso ac desiderio divinitatis; ipsa satisfacit etiam exigentiae redemptionis (Erlösungsbedürftigkeit) a tot malis, quibus homo premitur. Religio christiana est omnium, quae unquam fuerunt, religionum apex, atque altissimum exemplar vitae nobis (das höchste Lebensideal) exhibet. Religio christiana non solum progressui physico non opponitur, sed eidem plene concordat. Verbo, religio christiana eaque sola satisfacit omnibus iustis

<sup>1)</sup> Cf. Möhler, Symbolik § 44.

<sup>2)</sup> Encycl. «Pascendi» I 2 a. (Denzinger, 2081).

exigentiis intellectualibus, moralibus et socialibus hominum. Haec autem sufficere debent omni homini cordato ad approbandam hanc religionem.<sup>1)</sup>

6. Sunt tandem auctores, qui concedunt quidem necessitatem motivorum credibilitatis traditionalium, ex miraculis, vaticiniis etc. depromptorum ad scientificam demonstrationem fidei; at negant, haec motiva ad *primam* fidem gignendam necessaria vel sufficientia esse. Pueri enim et indocti, inquiunt, incapaces sunt ad vim illorum perspicendam. Proinde fides in eorum animis independenter a praeambulis fidei et motivis credibilitatis ex immediato influxu divinae gratiae gigni debet.<sup>2)</sup>

82 D. *Doctrina catholica* de his motivis credibilitatis clarissime proponitur in conc. *Vaticano* (Sess. III cap. 3 de fid.)<sup>3)</sup>: «Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, *facta scilicet divina*, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.» Et postea: «Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.»<sup>4)</sup> Et can. 3: «Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia

<sup>1)</sup> «Der Beweistitel der Religion ist die vollständige und harmonische Befriedigung aller gerechten Ansprüche und geistigen Bedürfnisse des Menschen, eine Befriedigung, welche die Wissenschaft nie gewähren kann.» Ita Neoapologetae Brunetière, Balfour, Duilhé de Saint-Proiet, Fonsegrive, Blondel, de Broglie etc. apud Pesch, *Theol. Zeitfragen* I S. 70—130, v. Schmid l. c. S. 102. 201 ff 243 ff.

<sup>2)</sup> Cf. Kleutgen l. c. n. 168.

<sup>3)</sup> Denzinger 1790.

<sup>4)</sup> L. c. 1794.

aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit.»<sup>1)</sup> Et can. 4: «Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, anathema sit.»<sup>2)</sup> — In professione fidei praescripta a Pio X. (1. Sept. 1910) iurari oportet: «Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aeternum omnium atque hominum, *etiam huius temporis*, intelligentiae esse maxime accommodata».<sup>3)</sup>

Ecclesia catholica ergo non negat necessitatem gratiae internae Spiritus sancti ad credendum, neque negat, gustum spiritualem, internam pacem aliosque dulces fructus in anima ex susceptione revelationis subinde produci; affirmat quoque Ecclesia, doctrinam revelatam nihil absonum continere, sed optime cum dictaminibus sanae rationis et cum exigentiis humanae naturae congruere. Verumtamen in his criteriis Ecclesia praecipuam vim non ponit, neque ea per se adaequata esse docet; sed imprimis *miraculis* et *vaticiniis*, deinde etiam aliis factis sensibilibus simul et supernaturalibus tamquam praecipuis motivis credibilitatis insistit.

## ARTICULUS II.

### De revelatione immediata nec non de criteriis mere negativis et internis.

**Thesis 22.** *Non est necessarium ad credendum, ut fidei obiectum per ipsum Deum immediate singulis proponatur.* 83

Non negamus, Deum singulis etiam hominibus revelationem dare posse, immo concedimus, revelationem omnem mediatam inniti immediatae; at negamus contra pseudomythicos, quod fides sine immediata Dei locutione singulis facta haberi nequeat.

---

<sup>1)</sup> Denzinger 1812.

<sup>2)</sup> L. c. 1813.

<sup>3)</sup> L. c. 2145.

1. Constat ex ipso facto. In A. T. enim Deus primo per patriarchas docuit filios (Gen. 18, 19), deinde docuit populos per prophetas (Ex. 14, 31; Hebr. 1, 1), deinde per Apostolos (Matth. 28, 20; Marc. 16, 20), denique per Ecclesiam (I. Tim. 3, 15; Eph. 4, 11 sq.). Revelatio ergo non immediate omnibus a Deo facta est, sed mediantibus hominibus. Et sic Cornelius missus est ad Petrum, eunuchus ad Philip-pum, Paulus ad Ananiam. Aliud medium est s. Scriptura, ad quam Christus ipse provocat (Ioan. 5, 39): *Scrutamini Scripturas, quia ipsae testimonium perhibent de me.*

2. Illustratur congruentiis. Sicut enim, inquit *Suarez* post *Augustinum*,<sup>1)</sup> Deus immediate creavit unum hominem et ab illo et per illum producti sunt ceteri successione continua, ita in fide per se instruxit Deus quosdam homines, a quibus alii docerentur. Maius quoque est meritum fidei, dum in re difficillima homo subiicitur homini etiam quoad intellectum, in quo solet esse maior difficultas.

3. Historia docet, homines, qui immediatam hanc revelationem praetendunt, illusionibus phantasiae et deceptioni diaboli exponi. Sic *montanistae*, *pietistae*, *quackeri* aliique absurdissima deliramenta ut inspirationes Spiritus s. venditabant. Unde *Augustinus*<sup>2)</sup> scribit: «Ne tentemus eum, cui credimus, ne talibus inimici versutiis et perversitate decepti ad ipsum quoque audiendum evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias aut codicem legere aut legentem praedicantemque hominem audire, et expectemus rapi usque in tertium coelum sive in corpore sive extra corpus, ut dicit Apostolus, et ibi audire ineffabilia verba, quae non licet homini loqui, aut ibi videre Dominum Iesum Christum, et ab illo potius quam ab hominibus audire evangelium. Caveamus tales tentationes superbissimas et perniciosissimas.»

Ad suadendum suum errorem pseudomystici ad plura Scripturae testimonia provocant, e. g. (I. Ioan. 2, 27): *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius*

---

1) De fide theologica disp. 4 s. 1 n. 4 (opp. t. 12).

2) De doct. christ. prooem. n. 5.

*docet vos de omnibus etc.* et (Matth. 23, 10); *Magister vester unus est, Christus* (cf. I Cor. 2, 15; Is. 54, 13 coll. Ioan. 6, 45). — Respondeo. His locis sermo est de *illustratione per gratiam*, et non de immediata revelatione; neque excluditur revelatio et magisterium externum a Deo institutum, sed excluditur doctrina mere humana.

**Thesis 23.** *Quamvis criteria mere negativa et positiva interna non careant suo pretio, necessarium tamen et adaequatum motivum credibilitatis non constituunt.* 84

**A.** *Non carent suo pretio.* Quid criteria *negativa* iuvent, ex eorum definitione facile eruitur (80). Cavendum tamen est, ne temere et praecipitanter iudicetur, doctrinam aliquam, quae ut revelata proponitur, esse absurdam vel Deo indignam. — Longe maioris pretii sunt criteria *positiva interna*, e. g. consonantia doctrinae revelatae cum sana ratione, eius sublimitas, sanctitas, vel gustus et consolatio spiritualis aliique effectus in anima producti. Utilitas istiusmodi criteriorum est manifesta; quippe quae revelationem et rationi facilius suadent et cordi suavius insinuant altiusque imprimunt, maxime in hominibus sagacioris ingenii ac bonae indolis. Quare ipse Christus inter alia etiam ad *experientiam internam* tamquam ad argumentum veritatis suae doctrinae provocavit (Ioan. 7, 17): *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.*

**B.** *Praedicta criteria 1. per se sola non sufficiunt, 2. nec etiam simpliciter necessaria sunt.*<sup>1)</sup>

**1.** *Criteria interna per se sola non sufficiunt:*

**a.** Quia praedicta criteria non conveniunt solis veritatibus revelatis; sed alia quoque scripta reperiuntur vel saltem reperiiri possunt, quae doctrinam rationi consentaneam, sublimem et sapidam continent. 85

**b.** Quia nimis incerta sunt et ambigua, cum uni sublime videri unctionemque spiritus afferre possit id, quod alteri incongruum ac insipidum apparet.

**c.** Quia non omnibus apta sunt, sed hominibus tantum

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen l. c. n. 190 sqq; Dieckmann, De revelatione pag. 268—288 (Friburgi 1930).

cultioris indolis; criteria vero revelationis, quae ad omnium salutem datur, omnibus quoque perspicua esse debent.

*2. Non sunt omnia necessaria.*

Id omnino tenendum est ex conc. *Vaticano*, quod canone 3 (supra n. 82 relato) damnat eos, qui dicunt, criteria externa non sufficere ad demonstrandam credibilitatem revelationis, sed per sola motiva interna id fieri posse. Et revera:

a. Id iam a priori supponi debet. Quis enim a Deo exigere potest, ut nonnisi alta et sublimia revelet ac talia, quae vehementes in corde humano affectus producant? Quis Deum impediat, ut communia etiam immisceat ac cum hominibus more quandoque humano loquatur, vel ut mysteria proponat, quae rationi incongrua et cordi humano dura appareant?

b. Haec a posteriore confirmantur. Plures namque partes s. Scripturae, puta liber Ruth vel epistola ad Philemonem sublimia non continent. Mysteria crucis, mortificationis, peccati originalis et alia multa scandalo sunt ac stulta esse videntur sapientibus huius mundi. Praeterea homines etiam optimae indolis unctionem spiritus, pacem animi et conscientiae serenitatem aliosque effectus revelatae religionis, quos in se sentire solent, non percipiunt semper; sed quandoque etiam in statum desolationis incidunt, ubi ea desipiunt, quae prius summam consolationem afferebant, et obscura fiunt, quae prius clarissima videbantur. Si ergo hisce internis indiciis certitudo de revelationis veritate unice fulciretur, profecto tempore tentationis haec certitudo firma consistere non posset.<sup>1)</sup>

c. Hinc Christus Dominus, ut postea videbimus, ad probandam divinitatem suae religionis primario non provocavit ad criteria interna, sed ad facta divina externa. Petrus (II. ep. 1, 19) quoque propriae, quae certe summa consolatione eum affecerat, experientiae ex visione transfigurationis Domini acceptae praeponit criterium externum ex prophetiis desumptum, tamquam firmiorem propheticum sermonem.

---

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen l. c. n. 205.

## ARTICULUS III.

## De miraculis.

Cum miraculis et prophetiis tamquam praecipuis moti- 86  
vis credibilitatis fides nostra innitatur, mirum non est, si re-  
velationis divinae osores rationalistae, immo recentiores pro-  
testantes passim,<sup>1)</sup> omnem lapidem movent, ut nedum exi-  
stentiam miraculorum, sed ipsam etiam possibilitatem, ma-  
xime vero rationem criterii, quae ipsis ad probandam reli-  
gionem christianam insit, e medio tollant. Quare etiam apo-  
logeta catholicus iis defendendis strenue adlaborare debet.  
— Ut rite procedamus, ante omnia *praenotiones* quasdam  
scitu necessarias praemitemus, deinde vero *possibilitatem*  
miraculorum rationemque *criterii* vindicabimus. In hoc igitur  
articulo de miraculo, in sequente de prophetia agemus.

## I.

## Praenotiones.

A. *Definitio miraculi.* Iuxta s. Thomam, qui hanc no-  
tionem accuratissime expendit,<sup>2)</sup> nomen miraculi a *mirando*  
derivatur. Ad admirationem autem duo concurrunt; primum  
est, quod causa illius, quod admiramur, sit occulta; secun-  
dum est, ut effectus, quem miramur, sit contrarius ei, quem  
exspectamus. Sic aliquis miraretur, si videret ferrum ascen-  
dere ad calamitam, ignorans calamitae virtutem, cum vi-  
deatur quod ferrum naturali motu debeat tendere deorsum.

Ex hac nominis etymologia apparet, miraculum dupli-  
citer sumi posse, sensu largo et stricto. Sensu stricto et

---

<sup>1)</sup> Nuperrime *Harnack*, qui fuit theologus inter protestantes  
praecipuus, in opere «Das Wesen des Christentums» (Leipzig 1902),  
omnia vera miracula negat. «Soviel ich sehe (scribit pg. 19),  
lassen sich hier folgende Gruppen bilden: 1. Wunderberichte, die  
aus Steigerungen natürlicher, eindrucksvoller Vorgänge entstanden  
sind; 2. Wunderberichte, die aus Reden und Gleichnissen oder aus  
der Projection innerer Vorgänge in die Außenwelt entstanden sind;  
3. solche, die aus dem Interesse, alttestamentliche Berichte erfüllt  
zu sehen, entstanden sind; 4. von der geistigen Kraft Jesu gewirkte,  
überraschende Heilungen; 5. Undurchdringliches.»

<sup>2)</sup> Cf. Quaest. disp. de pot. q. 6 a. 2; Sum. theol. p. 1 q. 110 a.  
4 ad 2; C. gent. l. 3 c. 103; cf. Ferrarien. in Sum. c. gent. l. c.

maxime proprio miraculum est illud, «*quod fit praeter ordinem totius naturae creatae eiusque vires absolute superat*». Causa enim occultissima et remotissima a nostris sensibus est divina, quae in rebus omnibus secretissime operatur; et ideo illa, quae sola virtute divina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula.

Largiore autem sensu minusque proprio miraculum dici potest omne id, «*quod fit praeter ordinem naturae visibilis, quamvis vires creatas absolute non superet*». Translatio e. g. alicuius montis vel domus per aërem ab uno loco in alium absolute vires angelicas non superat; et tamen miraculum dici potest et revera dicitur, quia est praeter ordinem naturae a Deo stabilitum. Hinc non solum ex communi persuasione hominum, sed ex ipsa praxi Ecclesiae in canonizatione sanctorum ad demonstrandum interventum sigillumque divinum etiam miracula hoc largiore sensu accepta admittuntur. Et revera licet ea per se non superent omnes vires naturales, fiunt tamen praeter *ordinarium cursum naturae*. Cum igitur cursus naturae non nisi a Deo mutari queat, ratio *veri miraculi* etiam in talibus factis prodigiosis desiderari non videtur.<sup>1)</sup>

Sequentes igitur notae ad rationem miraculi requiruntur: **a.** *Ut fiat in natura*. Hinc creatio et iustificatio impij, etsi a solo Deo fiant, non tamen proprie loquendo miracula dicuntur, quia non sunt nata fieri per alias causas; et ita non contingunt praeter ordinem naturae, cum haec ad ordinem naturae non pertineant.<sup>2)</sup> — **b.** *Ut excedat vires totius naturae* vel absolute vel saltem cursum naturae communem a Deo stabilitum. — **c.** *Ut sit factum insolitum*; alioquin mirum non esset. «Insolitum dicitur miraculum, quia est contra consuetum cursum naturae, etiamsi quotidie iteraretur; sicut transsubstantiatio panis in corpus Christi frequentatur quotidie, nec tamen desinit esse miraculum: magis enim dici debet solitum, quod in toto ordine universi communiter ac-

<sup>1)</sup> Cf. Suares., De angel. l. 4 c. 39 n. 9; Benedict. XIV., De Beatific. et Canoniz. serv. Dei l. 4 p. 1 c. 1, praesertim n. 15; Dieckmann, De revel. pag. 296—299.

<sup>2)</sup> P. 1 q. 105 a. 7 ad 1.

cidit, quam quod in una sola re contingit.»<sup>1)</sup> — His notis miraculi nonnulli duas alias addunt, quae non quidem requiruntur ad miraculi rationem simpliciter, utique vero ad notionem miraculi, quatenus est *signum*. Ad hoc enim exigitur, α) ut effectus excedens vires naturae fiat in *manifestationem* rei supernaturalis. In miraculis enim, docet *Angelicus Doctor*,<sup>2)</sup> duo attendi possunt. Unum quidem est id, *quod* fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturae; et secundum hoc miracula dicuntur *virtutes*. Aliud est *propter quod* miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale; et secundum hoc communiter dicuntur *signa*. Propter excellentiam autem dicuntur *portenta* vel *prodigia*, quasi aliquid ostendentia. β) Ut sit factum *sensibile*; eo quod res non apparens nec admirationem excitare, nec ad finem, propter quem miracula fiunt, inservire posset.

**B. Miraculorum divisio et gradus.** Dividuntur:<sup>3)</sup>

87

1. In miracula *primi ordinis*, quae omnes vires creatas superant, et miracula *secundi ordinis*, quae tantummodo ordinem naturae visibilis excedunt.

2. In miracula *supra naturam*, si producitur effectus, quem natura nullo modo facere potest. Hoc autem contingit dupliciter: vel quia ipsa forma inducta a Deo omnino a natura induci non potest; sicut forma gloriae, quam inducet Deus corporibus electorum, et sicut etiam incarnatio Verbi: vel quia etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam; sic e. g. natura vitam causare potest, sed in mortuo hoc facere non potest. Liquet, miracula *supra naturam* semper etiam esse miracula primi ordinis.

3. Miracula *contra naturam* dicuntur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illaesos in camino, rema-

<sup>1)</sup> Ita s. Thomas, De pot. q. 6 a. 2 ad 2; immo Eucharistiam appellat «omnium miraculorum maximum» (in offic. corp. Christi).

<sup>2)</sup> P. 2, 2 q. 178 a. 1 ad 3. Recensita elementa continentur etiam in definitione, quam Thomas (De pot. q. 6 a. 2) ex Augustino (in Ioan. tr. 8 n. 1 et l. 3 de Trin. c. 5) deducit: «Miraculum est aliquid arduum et insolitum, supra facultatem naturae et praeter spem admirantis apparens».

<sup>3)</sup> De pot. l. c. ad 3.

nente virtute comburendi in igne, et quando aqua Iordanis stetit, remanente gravitate in ea.

4. *Miracula praeter naturam.* Haec fiunt, cum Deus producit effectum, quem natura producere potest, illo tamen modo, quo natura producere non potest. Et hoc iterum multipliciter contingit: Vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur; sicut cum Christus convertit aquam in vinum, quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentum vitis assumpta suo tempore in succum uvae per digestionem producitur. Vel quia est in divino opere maior multitudo, quam natura facere consuevit, sicut patet de ranis, quae sunt productae in Aegypto. Vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem alicuius sancti aliquis curatur, quem natura non statim sed successive curare possit.

5. Parum differt divisio, quam s. *Thomas* alibi<sup>1)</sup> tradit, scilicet in miracula quoad *substantiam*, quoad *subiectum*, et quoad *modum*; quatenus nempe aliquid in seipso et semper, vel tantum quoad subiectum, in quo fit, vel quoad modum, quo fit, naturae facultatem excedit.

6. Ex hac divisione apparet etiam, utrum et quo sensu unum miraculum alio maius esse possit. Videlicet nihil potest dici miraculum ex comparatione potentiae divinae: quia quodcumque factum divinae potentiae comparatum, est minimum, secundum illud Is. (40, 15): *Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt.* Sed dicitur aliquid miraculum per comparisonem ad facultatem naturae, quam excedit. Et ideo secundum quod magis excedit facultatem naturae, secundum hoc maius miraculum dicitur.<sup>2)</sup>

### C. Causa miraculorum.

1. *Solus Deus* patrare potest miracula stricte dicta et *physice* i. e. virtute propria. Ea enim ex dictis superant omnes vires creatas; sive quia natura talem formam omnino inducere nequit, e. g. formam gloriae in corpore, sive quia saltem in tali materia eam inducere non valet, e. g. vitam in

<sup>1)</sup> Sum. p. 1 q. 105 a. 8.

<sup>2)</sup> P. 1 q. 105 a. 8; cf. C. gent. l. 3 c. 101.

corpore mortuo. Hoc sensu testatur ipsa Scriptura: *Qui (Deus) facit mirabilia solus* (Ps. 71, 18).

2. *Sancti* miracula facere possunt *moraliter*, quatenus nempe Deus ad preces ipsorum, vel intuitu fidei meritique eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorundem miracula patravit seu patrat, quae alias non esset patraturus. Ipse Christus promisit: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet* (Ioan. 14, 12; Marc. 16, 17 sq.).

3. Immo etiam *peccatores* veram fidem habentes et praedicantes in confirmationem fidei miracula facere possunt; eo quod donum miraculorum est gratia gratis data in utilitatem aliorum, non in sanctificationem propriam. Unde Apostolus dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* (I. Cor. 13, 2). Revera Iudam proditorem miraculosas sanationes perfecisse, dubitari vix potest. Hoc tamen nonnisi exceptionaliter concedendum esse videtur. Patratio miraculorum enim non solum a vulgo, sed etiam ab Ecclesia in canonizatione sanctorum ut signum sanctitatis assumitur. — Multo magis id de haereticis dici debet. Licet enim absolute non repugnet, ut Deus haeretico ex causa singulari ad patrandum miraculum utatur, id tamen repugnare videtur ex eo, quod miracula in oeconomia salutis communiter ad confirmandam fidem vel ad testandam sanctitatem thaumaturgi fiant, eique supernaturalem quandam auctoritatem concilient. Quare patratio miraculi ex parte haeretici vix non in confirmationem ipsius haeresis cederet.<sup>1)</sup>

4. *Angeli* propria virtute patrare possunt miracula secundi ordinis, quippe quae superant quidem vires naturae visibilis, at non angelicae. Patrare quoque *moraliter* valent miracula primi ordinis: «vel quia ad eorum desiderium Deus miracula facit, sicut et sancti homines dicuntur miracula facere; vel quia aliquod ministerium exhibent in miraculis quae fiunt; sicut colligendo pulveres in resurrectione communi, vel huiusmodi aliquid agendo.»<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> In conc. Constantinop. III act. 15 in fine (Mansi XI pg. 611) dicitur, impossibile esse, «blasphemantem in Deum (i. e. haeticum) virtutes operari.»

<sup>2)</sup> Thom. p. 1 q. 110 a. 4 ad 1.

5. *Daemones* miracula stricte dicta neque physice neque moraliter patrare valent, ut ex dictis patet. Utique vero possunt, nisi a Deo impediuntur, portenta efficere, quae vires naturae visibilis superant; apparentia quoque miracula per sensuum et phantasiae illusionem patrare valent. Confirmatur ex iis, quae Scriptura narrat de praestigiis magorum Aegyptiorum (Ex. 7, 11. 22; 8, 7), nec non «de signis magnis et prodigiis» pseudochristorum et pseudoprophetarum in fine mundi (Matth. 24, 24).

**Scholion.** Miracula specificè differunt a sic dictis *gratiis* (Gebetserhörungen); cum e. g. pro obtinenda sanitate infirmus invocat aliquem sanctum, et interim medicamenta adhibet, et sic citius et veluti inopinato sanitatem recuperat. «Gratia» quippe non superat, sed adiuvat vires naturae, neque a solo Deo, sed etiam a causa secunda procedit.<sup>1)</sup>

## II.

### Miraculorum possibilitas.

88 Multa sunt, quae ab antiquis et modernis incredulis contra miraculorum possibilitatem obiiciuntur. Praecipue:

1. Ex parte Dei, qui patrando miraculum proprias leges mutaret. Hoc autem signum esset insipientiae, inconstantiae et mutabilitatis, quae in Deum cadere non possunt.

2. Ex ordine naturae, cuius leges ex una parte aequae necessariae et immutabiles sunt ac leges ordinis metaphysici et morales, ex altera parte pulcherrimae et optimae: unde mutari nec possunt nec debent.

3. Ex parte ipsius hominis, qui exigere potest, ne certitudo physica de constantia legum naturalium, quibus totam suam rationem agendi nedum physicam sed etiam moralem superstruere debet, concutiatur.<sup>2)</sup> — Contra hos incredulos sit:

89 **Thesis 24.** *Miracula α) non solum fieri possunt, sed β) divinis attributis aequae ac indoli humanae optime congruunt.*

<sup>1)</sup> Cf. Ferraris, Biblioth. t. V. «Miraculum» n. 16.

<sup>2)</sup> Ita Voltaire, Immanuel Kant aliique.

**A. *Miracula fieri possunt.*** Miraculum ex dictis est eventus, qui omnes vires naturales superat. Quaestio ergo de miraculorum possibilitate eo redit, an *Deus* aliquid facere possit, quod omnes vires naturae superat. Porro Deus propter suam omnipotentiam omne id potest, quod non repugnat intrinsece. Dupliciter autem aliquid repugnare potest: vel absolute, quia constat notis insociabilibus, e. g. circulus quadratus; vel conditionate seu consequenter ad divina decreta, e. g. annihilatio animae. Deus neutrum potest, scilicet neque id, quod absolute repugnat, e. g. mori, peccare; neque id, quod pugnat cum eius decretis antecedentibus, e. g. annihilare animam, quam immortalem creavit.<sup>1)</sup> Quaestio ergo de miraculi possibilitate in duas alias resolvitur: 1. an miraculum absolute repugnet, 2. an hypothetice. Itaque respondeo:

1. *Miraculum non repugnat absolute*, seu non constat notis insociabilibus. Sane a. Quaero, an implicat haec propositio: Deus omnipotens aliquid potest, quod nulla virtus creata potest; vel potest aliquid agere, quod est praeter ordinem rerum? Certe non: «Deus, inquit *Angelicus Doctor*,<sup>2)</sup> potest facere praeter ordinem rerum, quia ordini secundarum causarum ipse non est subiectus; sed talis ordo ei subiicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset namque et alium ordinem rerum instituere. Unde potest praeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit, puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt.»

b. Praeterea id absolute repugnat, quod est contra ordinem *metaphysicum* et *moralem*, quod videlicet est contra essentiam vel proprietates aut relationes essentielles rerum. Sic absolute repugnat brutum rationale, materia cogitans, homo independens a Deo, blasphemia licita et honesta, et alia innumera, quae cum essentia vel cum essentialibus rerum relationibus pugnant. Atqui miracula cum ordine metaphysico et morali non pugnant. Sane  $\alpha$ ) cum eo non pug-

---

<sup>1)</sup> Cf. Dogmatic. special. n. 63.

<sup>2)</sup> Sum. p. 1 q. 105 a. 6.

nant miracula *supra naturam*, e. g. resuscitatio mortui. «Licet enim contradictionem in se claudat, si ponatur, a principio intrinseco naturaliter mortuum ad vitam redire, quia de ratione mortui est, quod est privatus principio vitae: tamen contradictionem non claudit, quod mortuus ab exteriori principio i. e. a Deo vitam iterato accipiat.»<sup>1)</sup> β) Nec etiam miracula *contra naturam* cum ordine metaphysico pugnant, quod e. g. pueri in fornace non comburebantur. Nam «si ignis est calidus, necessarium est, ipsum habere virtutem calefaciendi; tamen necesse non est ipsum calefacere, eo quod ab extrinseco impediri potest.» Videlicet non mutabatur essentia ignis, sed Deus impedivit eius effectum. γ) Multo minus pugnant miracula *praeter naturam*; quippe quae etiam vires naturales non absolute superant, sed secundum quid tantum, i. e. in talibus circumstantiis. Nam viribus quoque naturae morbi curantur, semina multiplicantur etc.; licet non de repente nec sine multiplici concursu causarum secundarum. Quis autem sanae mentis Deo potentiam negabit, huiusmodi effectus in instante independentem a tali concursu causarum secundarum producendi? — Ceterum advertas, quaeso, impossibilitatem miraculorum maxime a pantheistis negari, iuxta quos ordo physicus est necessaria emanatio Dei. Innituntur ergo falsa, immo absurda hypothesi.<sup>2)</sup>

2. *Miracula non repugnant hypothetice* seu consequenter ad divina decreta. Adversarii hanc repugnantiam inde deducunt, quia Deus patrandum miracula ordinem a se constitutum turbaret, ac proinde insipienter ageret et seipsum mutaret. Sed haec sunt frivola. Miraculum enim non est perturbatio ordinis, sed est suspensio legis naturae pro singulari aliquo casu ex sapientibus rationibus; sicut etiam legislatores humani passim a legibus dispensant, quin ideo vituperentur. Neque Deus id faciendo mutatur: «nam Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordina-

---

<sup>1)</sup> Thom., De pot. q. 6 a. 1 ad 5.

<sup>2)</sup> Cf. Dieckmann, De revel. 1930 pag. 310—314.

retur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturum erat.»<sup>1)</sup>

3. Miracula ergoabilia sunt; quod etiam ex *consensu generis humani*, maxime vero ex *historia* confirmatur. Plurima enim facta sunt miracula historice tam evidenter comprobata, ut si de eorum veritate dubitetur, nullum amplius factum historicum esset, de quo similibus argutiis dubium movere non liceret.<sup>2)</sup> Ab *esse* autem ad *posse* valet illatio, ut logici dicunt.

**B. Miracula congruunt divinis attributis et indoli humanae.** 90

1. *Divinis attributis*, inquam. Illustrant enim *omnipotentiam*, eo quod omnes vires naturae superant; *sapientiam*, quia miracula sunt media aptissima, ut homines attentos faciant ad interventum divinitatis. «Deus enim, inquit s. *Augustinus*,<sup>3)</sup> qui fecit visibilia, coelum et terram, non dedignatur facere visibilia miracula in coelo vel in terra, quibus ad se invisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam.» Illustrant *bonitatem*, quia sunt criteria divinae revelationis omnium intelligentiae accommodata et media excellentissima salutis humanae. Maxime vero illustrant *independentiam*, *libertatem* et *supremum dominium* Dei; «nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura divinae subiecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse (Deus) praeter ordinem naturae aliquid operatur; ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit a Deo non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem.»<sup>4)</sup>

2. *Indoli humanae*. Hoc iam ex prioribus colligitur, et pulchre illustratur a s. *Augustino*:<sup>5)</sup> «Quia Deus non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula eius, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerint; ita ut paene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis

1) S. Thom. De pot. q. 6 a. 1 ad 6.

2) Cf. dicenda nn. 107. 138. 154.

3) De civit. Dei l. 10 c. 12.

4) Thom., C. gent. l. 3 c. 99.

5) Tract. 24 in Ioan.

grano: secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant.» — Obiectiones adversariorum ex principiis in thesi indicatis facile per se quisque diluere potest. Deus enim, patrando miracula, nec naturae ordinem turbat nec leges naturae abrogat, sed tantum exequitur decretum aeternum suspendendi in tempore aliquam legem ex sapientibus rationibus. Executio divinorum decretorum autem importat quidem mutationem in termino, qui producit; non vero in ipso actu divino, quo producit; ut in tractatu de divinis attributis probatur.<sup>1)</sup>

### III.

De ratione criterii, quae miraculis inest.

#### 91 **Thesis 25.** *Miracula sunt aptissima criteria divinae revelationis.*

Ita conc. *Vaticanum* (cap. 3 de fide)<sup>2)</sup> docens, miracula esse «divinae revelationis *signa certissima* et omnium intelligentiae accommodata». — Loquimur autem non solum de miraculis primi, sed etiam secundi ordinis, quippe quae iuxta dicta (86. A) pariter sine immediato interventu divino fieri nequeunt, atque ideo veluti sigillum divinum impressum gerunt. — Thesim demonstramus theologicè et philosophice.

**A.** *Argumentum theologicum* ex s. Scriptura petitur.

1. Christus enim passim provocavit ad miracula tamquam ad praecipua criteria divinae suae missionis. Sic Ioan. (5, 36): *Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Et discipulis Ioannis sciscitantis: *Tu es, qui venturus es? an alium exspectamus?* respondit: *Euntes, renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (Matth. 11, 3 sqq). — Verum

<sup>1)</sup> Egger, Theol. dogm. spec. n. 36.

<sup>2)</sup> Denzinger 1790.

equidem est, Christum quandoque vituperasse eos, qui nisi signa et prodigia vident, non credunt (Ioan. 4, 48; cf. 20, 29); at per hoc non damnavit eos, qui propter miracula credunt, sed eos, qui nonnisi miraculis, quae *propriis oculis* viderint, credere volunt.

2. Miracula reipsa hunc effectum produxerunt: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius* (Ioan. 2, 11). Iterum: *Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius* (ib. 20, 30). Et (Marc. 16, 20): *Illi autem projecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* — Hoc argumentum fusius exponemus postea, cum de ipsa fundatione religionis christianae sermo erit (154 sqq).

**B. Argumentum philosophicum.** Sane, ut miracula ad 92 demonstrandam revelationem inserviant, certe constare debet:  $\alpha$ ) de veritate *historica*, scilicet factum miraculosum reapse contigisse, e. g. Lazarum revera resuscitatum fuisse a Christo;  $\beta$ ) de veritate *philosophica*, tale videlicet factum esse verum miraculum, quod omnes vires naturae superet;  $\gamma$ ) de veritate *theologica* (quam alii *relativam* vocant), scilicet constare debet, miraculum revera esse patratum ad contestandam revelationem. Atqui de his certo constat. Namque:

1. Veritas *historica* miraculorum iisdem argumentis eademque facilitate cognoscitur, ac veritas factorum naturalium. Miraculum etenim materialiter spectatum ab aliis factis sensibilibus non distinguitur; eodem e. g. modo Lazarus resuscitatus vitam suam manifestavit, ac reliqui homines viventes. Sufficiunt ergo sensus integri et attentio communis ad miracula percipienda; quae quidem attentio eo facilius supponi debet, quo magis tale factum hominum admirationem excitat.

2. Neque veritas *philosophica* generatim loquendo mai- 93 orem difficultatem facessit. Licet enim in casu particulari dubium esse possit, utrum tale factum sit verum miracu-

lum an potius praestigium ac fraus, saepe tamen ex substantia et ex adiunctis facti facillime cognosci poterit, illud nonnisi interventui divino adscribendum esse. Ex *substantia* facti, inquam; miracula quippe primi ordinis iuxta dicta omnes vires creatas superant, adeoque sola virtute divina fieri possunt. *Adiuncta* quoque longe alia esse solent in miraculis veris et fictis. Thaumaturgi enim communiter *sanctitatem vitae* et *sublimitatem doctrinae* praeseferunt; praestigiatores vero et incantatores errori et morum corruptioni deserviunt. Illi miracula *propter gloriam Dei* vel *propter caritatem proximi* patrant; isti ob vanitatem, turpe lucrum vel ob alium finem inhonestum. Miracula vera ut plurimum fiunt *oratione*; falsa incantationibus et verbis vel signis inusitatis. *Ista solida sunt et perdurant*; haec mox evanescunt. Ita mors Lazari per quatuor dies probata est ut vera mors, et postea vita illi restituta probabatur per longa tempora. Sunt et alia adiuncta, praesertim *multitudo, efficacia, diversitas* miraculorum, cum e. g. Christus caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam restituit, aliaque multa fecit, quae vel contra vel supra vel saltem praeter naturam essent. In huiusmodi igitur adiunctis omnis fraus evidenter impossibilis est.

Notae, quae miracula vera a falsis distinguunt, eadem etiam a phaenomenis *Mesmerismi, Hypnotismi, Somnambulismi* vel ab effectibus miris causarum occultarum discernunt. Effectus namque isti a miraculis differunt: **a.** quoad *substantiam* facti; nunquam enim ope Mesmerismi etc. mortuus resuscitatus, caecus a nativitate illuminatus, vel aliud miraculum primi ordinis patratum fuit. — **b.** *Media*, quae adhibentur ad istos effectus producendos, sunt sopor artificiosus, locus subobscurus, suggestio aut aspectus fascinatorius ex parte personae agentis (magnetizatoris) in patientem, quae plerumque femina est; dum in veris miraculis simplex imperium vel oratio sufficit, quin insolita nervorum atque phantasiae irritamenta exigantur. — **c.** *Finis* miraculorum est gloria Dei, confirmatio revelationis, attestatio sanctitatis, salus animarum; finis effectuum Mesmerismi, Hypnotismi etc. est mere naturalis, saepe etiam vanus et turpis. — **d.** Thaumaturgi plerumque sancti sunt virtutibus-

que etiam heroicis eminent; quod de magnetizatoribus eorumque similibus vix quisquam dixerit.<sup>1)</sup>

3. Veritas *theologica* miraculorum seu ratio signi distinguenda est duplex: *generalis* et *specialis*. Significatio generalis exprimi potest ita: omne miraculum inservit ad demonstrandum effectum supernaturalem; specialis ita: hoc vel illud miraculum inservit ad demonstrandam e. g. divinam missionem huius prophetae vel veritatem huius doctrinae vel sanctitatem huius viri. Quo posito: a. significatio generalis est omnino evidens. Cum enim miraculum sit factum supernaturale, necessario etiam ad effectum *supernaturalem* dirigitur. Deus siquidem non ioculatorum more, sed propter fines sua sapientia dignos ordinem naturae suspendit. — b. Significatio specialis ab ipso thaumaturgo ediscenda est, quippe qui vel explicitis verbis vel toto modo agendi finem, propter quem miracula patrat, spectatoribus significare debet. Sic Elias coram omni populo dicit (III Reg. 18, 23 sqq): *Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta caedentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei: et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio.*<sup>2)</sup> — Vis significativa, quae miraculis inest, haud parum illustratur ex consensu generis humani. Eccur enim omnis religio, etiam falsa, sua iactat miracula, nisi naturae rationali veluti insitum esset, miracula esse sigillum divinitatis, quo religio quae origine divina gloriatur, necessario munita esse debeat? Eccur increduli tam acriter impugnant miracula, nisi quia argumenta clarissima sunt revelationis christianae?<sup>3)</sup>

**Obiectiones.** Miracula non sunt apta criteria revelationis. 95

<sup>1)</sup> Cf. Bonriot, Wunder und Scheinwunder. Autorisierte Übersetzg. (Mainz 1889) Kap. 5. Cf. etiam Heinrich l. c. § 43 et Dieckmann, De revel. 1930 pag. 614—617.

<sup>2)</sup> Cf. Matth. 9, 6; Ioan. 11, 42 sq coll. 3, 2; 5, 36; 7, 17; 15, 22.

<sup>3)</sup> Cf. Pesch, Institutiones propaed. ad sacram Theologiam I. ed. 6 et 7 (1924) pag. 145—147.

1. *Constare nequit veritas historica.* Sane  $\alpha$ ) contra miraculum est constans experientia, pro miraculo stat. testimonium; sed testimonium cedere debet experientiae.  $\beta$ ) Insuper homines errare aut mentiri non est miraculum; ergo hoc potius est credendum, quam miraculum, quod narrant. Ita *Hume* et *Diderot*. — Resp. ad  $\alpha$ ) Obiectiones istae sunt egregie sophisticae. Quaero enim, num e. g. contra resurrectionem Lazari pugnet ulla experientia. Minime sane; experientia enim docet, alios mortuos non resurrexisse, Lazari autem resurrectionem tota, ut ita dicam, Iudaea experta est. Experientia ergo non militat contra miracula, quae testes fide digni referunt, sed pro illis pugnat. Ad  $\beta$ ) Aeque inutilis est secunda obiectio. Quamquam enim generatim certe non sit miraculum, homines errare aut mentiri; miraculum tamen esset et quidem in ordine physico, si homines multi, sensus sanos habentes, in perceptione alicuius facti illustris, puta mortui resurgentis, deciperentur; miraculum in ordine morali, si tot et tales testes, quot et quales e. g. miracula Christi et Apostolorum testati sunt, mentiti fuissent. Ceterum neganda est etiam consequentia. Si enim pro miraculo adsunt rationes sufficientes, et pro alia quavis re nullae sunt: miraculum est potius credendum. — En! quam frivola sint argumenta, quibus increduli religionem divinam convellere aggrediuntur: ex uno disce omnia.

2. *Constare nequit veritas philosophica.* Miracula enim excedere debent vires naturae; sed nemo novit, quousque se extendant vires naturae, ergo miracula qua talia cognosci nequeunt. Ita *Spinoza*. — Resp. Licet non cognoscamus *omnes* vires naturae, cognoscimus tamen multas certissime, e. g. quod ignis urit, mortui non resurgunt, caeci nati non sanantur solo verbo vel luto. Hoc autem oppido sufficit ad discernenda miracula. Mirum sane, quod rationalistae, qui alias semper scientiam et certitudinem rerum naturalium extollunt, quoad miracula ad *ignorantiam* confugiunt. Praeterea eodem ore miracula reiiciunt, ne *certitudo physica* detrimentum capiat (88, 3) rursumque ea reiiciunt, quia *nullam* certitudinem de legibus physicis habemus. *Vere mentita est iniquitas sibi!* (Ps. 26, 12).

3. *Constare nequit veritas theologica.* a. Ipsa namque

Scriptura testatur, ab hominibus impiis miracula patrari, et quidem ad contestandum *errorem* patrari posse (Matth. 7, 22; Deut. 13, 2 sq; Jer. 23, 32; Matth. 24, 24; II. Thess. 2, 9 sq). — **b.** *Augustinus* passim dicit, non ex miraculis veram Ecclesiam, sed ex vera Ecclesia miraculorum veritatem probari.<sup>1)</sup> — **c.** Saltem miracula non sunt criteria revelationis omnibus *obvia*, cum plurima adiuncta perpendenda sint. Ipsa Ecclesia in canonizatione sanctorum suo exemplo nos docet, quam circumspecte in diiudicandis miraculis procedi debeat.

*Resp. a.* Quoad locos obiectos ex s. Scriptura concedo imprimis, vera miracula absolute loquendo ab impiis fieri posse, et aliquando licet rarissime facta esse (87. C. 3). Concedo etiam, *signa et praestigia*, quae speciem miraculorum praeseferunt, ab hominibus impiis adiutorio diaboli in confirmationem erroris quandoque fieri (ib. 5). Nego autem, *vera* miracula in *confirmationem erroris* unquam facta esse aut fieri posse. Id enim pugnaret cum natura miraculi tamquam operis et sigilli divini, neque s. Scriptura id ullibi docet. Affirmo denique miracula falsa a veris ab hominibus semper discerni posse. Pertinet enim ad providentiam Dei, ne homines per miracula falsa quasi necessario in errorem induci permittat. Quare hominibus bonae voluntatis semper praesto erunt media, quibus fraudem detegant. Sic praestigia magorum Aegyptiorum detecta sunt per miracula subsequencia Moysis, ita ut ipsi magi Pharaoni fateri cogerentur: *digitus Dei est hic* (Ex. 8, 19). Signa vero magna et prodigia pseudochristorum et pseudoprophetarum in fine mundi (Matth. 24, 24) iam praedicta sunt ut fraudes a Christo, qui per miracula innumera et evidentissima ut verum legatum divinum se comprobavit.

**b.** Quod s. *Augustinum* attinet, tantum abest, ut neget s. Pater, miraculis vim inesse revelationem probandi, ut potius passim veritatem religionis christianae per miracula probet.<sup>2)</sup> Contra Donatistas vero, qui ad miracula falsa provocabant, hoc argumento uti noluit, cum aliunde facillime

<sup>1)</sup> Cf. De unit. Eccl. l. 1 c. 19, 50; Adv. lit. Petil. l. 2, 55.

<sup>2)</sup> Cf. e. g. De Civit. Dei l. 22 c. 7. 8.

eos convinceret, apud Donatistas non esse veram Ecclesiam, nec proinde vera miracula.

c. Denique nego, miracula non esse criteria revelationis omnibus *obvia*, cum ad cognoscendam eorum veritatem historicam sensus sani, ad cognoscendam veritatem philosophicam et theologicam sana ratio *generatim* sufficiant. Unde merito concilium Vaticanum docet, «imprimis miracula esse divinae revelationis signa certissima et omnium intelligentiae accommodata»<sup>1)</sup>. Et hoc praecipue valet de miraculis in s. Scriptura contentis, de quibus cum rationalistis potissimum agitur; cum illa vel sint miracula primi ordinis vel ex toto complexu adiunctorum ut vera miracula manifesto se prodant. Non negamus tamen, in casibus *particularibus* e. g. in repentina aliqua curatione dubium esse posse, utrum verum miraculum habeatur, an merum praestigium vel effectus mirus, sed naturalis ex causis non satis cognitis. Quare Ecclesia iure merito in diiudicandis et approbandis miraculis tam circumspecte se gerit; neque mirum est, si homines rudes et nimis creduli aliquando miraculum esse putent aliquod factum, quod revera miraculum non est. Deus huiusmodi errorem innoxium impedire non tenetur; verumtamen permittere non potest providentia divina, ut homines pii ex reverentia erga Deum et sollicitudine suae salutis per falsa miracula, quae manifesto speciem prae se ferunt sigilli divini, in perniciosissimos errores religiosos necessario inducantur.

## ARTICULUS IV.

### De vaticiniis seu de prophetia.

#### I.

#### De vaticinii notatione.

96 Vaticinium seu prophetia<sup>2)</sup> tripliciter sumitur: sensu latissimo, lato et stricto. Prophetia *latissime* sumpta dicitur

<sup>1)</sup> Denzinger 1790.

<sup>2)</sup> Vox derivatur a «προφάναι», quod iuxta Basilium, Chrysostomum aliosque significat „*praedicere*“, vel iuxta alios et forte melius: «vice alicuius loqui».

omnis supernaturalis inspiratio facta in ordine ad manifestandam divinam veritatem aut voluntatem (cf. I Cor. 14, 3; Ex 7, 1; Num. 11, 25; II. Esdr. 6, 12). Sensu *strictiore* est manifestatio veritatum absconditarum, sive sint de futuro, sive de praeterito, sive de praesenti. Sensu *stricto et maxime proprio* prophetia eventus futuros respicit et definitur: *Praescientia et praedictio certa futuri alicuius eventus, qui in causis naturalibus praesciri non potest.*<sup>1)</sup>

Elementa ergo huius notionis sunt:

1. *Cognitio et praedictio.* Propheta enim idem est ac *videns* (I Reg. 9, 9); visio autem ad cognitionem pertinet. Et sane, ut recte argumentatur *Suarez*,<sup>2)</sup> «prophetiae donum perficit hominem humano modo et perfecto; loqui autem sine intelligentia eorum, quae dicuntur, non pertinet ad perfectionem humanam, sed est potius amentium et somniantium et aliquando usu rationis carentium.» Praeterea *qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem et exhortationem et consolationem* (I Cor. 14, 3); et inde est, quod prophetia secundo consistit in *locutione*. — Liqueat ergo vel ex hoc solo, prophetiam a vaticiniis pythorum, a somnambulismo, hypnotismo et similibus phaenomenis essentialiter differre. In his enim deest *cognitio*, sed mens alienatur a seipsa vel per vapores e terra emissos, ut pytho-nissis delphicis contigit, vel per influxum magnetizatoris, vel motibus concitatis per vehementem excitationem phantasiae, quibus homo, plerumque mulier, in furorem extra se rapitur.

Sed dices: Nonne etiam prophetae in extasi et in somnio (Num. 12, 6) receperunt revelationes? — Utique; nihilominus etiam in extasi et in somnio vere a Deo illuminabantur. Nemo enim, ut iterum advertit *Doctor Eximius* (l. c. n. 2), dicendus est verus et proprius propheta, nec donum prophetiae recipere, nisi circa ea quae intelligit; ut si Deus irrationale animal faceret proferre verba, quae significarent futurum eventum, verba quidem prophetica praedictionem continerent, illud tamen animal non esset pro-

<sup>1)</sup> Cf. Perrone, Praelect. theol. vol. 1 n. 196. Cf. s. Thom. 2, 2 q. 171 a. 3.

<sup>2)</sup> Opp. t. 12, De fid. theol. disp. 8 s. 4 n. 1.

pheta. Hinc etiam *Caiphas* (Ioan. 11, 51) non fuit proprie propheta nec habuit donum prophetiae; sed habuit *instinctum propheticum*, vi cuius ignorans serviebat intentioni Spiritus sancti.<sup>1)</sup>

2. Cognitio et locutio *certa et infallibilis*. Ratio est evidens, quia prophetia innititur scientiae divinae, quae falli non potest. Per hoc excluduntur oracula ambigua paganorum, de quibus *Cicero*<sup>2)</sup> ait: «Callide, qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, praedictum videretur,» et rursus: «interpretem egere interprete, et sortem ipsam ad sortem esse referendam.» Contra vero prophetia «est quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina per modum cuiusdam doctrinae.»<sup>3)</sup> Quare cognitio et locutio prophetica nec dubia nec falsa esse potest. — Hoc tamen non impedit, quominus etiam prophetiae verae obscurae esse possint, et revera quandoque sint, e. g. quae in Apocalypsi continentur. «Scilicet prophetia, ut dicit s. *Irenaeus*,<sup>4)</sup> priusquam habeat efficaciam, aenigma est hominibus; cum autem evenierit quod prophetatum est, magnam vim habet ad confirmandum intellectum, et clare ostendit, Deum esse praescium futurorum.»

**Obiectio.** Quedam prophetiae non implebantur, e. g. Ioniae praedictio de interitu Ninive civitatis. Ergo non sunt infallibiliter verae. — Resp. *D.* Non implebantur prophetiae *comminatoriae*, quae sub conditione dantur, nisi homines convertantur, *C.*; prophetiae *absolutae*, *N.*<sup>5)</sup>

3. *Obiectum* prophetiae sensu latiore sunt ea omnia, «quae non sunt ab homine cognoscibilia nisi per *revela-*

<sup>1)</sup> Cf. s. August. l. 2 ad Simplic. q. 1; s. Thom. 2, 2 q. 171 a. 1, et q. 173 a. 3.

<sup>2)</sup> De divinat. l. 2 c. 54. 56.

<sup>3)</sup> Thom. q. 171 a. 6.

<sup>4)</sup> Adv. haeres. l. 4 c. 43 (al. 26).

<sup>5)</sup> Thom. 2, 2 q. 171 a. 6 ad 2: «Sensus prophetiae (comminatoriae) est, quod inferiorum causarum dispositio (sive naturalium sive humanorum actuum) hoc habet, ut talis effectus eveniat; et secundum hoc intelligitur verbum Isaiae (38), dicentis: «Morieis et non vives», idest dispositio corporis tui ad mortem ordinatur; et quod dicitur Ioniae (3): «Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur», idest hoc merita eius exigunt, ut subvertatur.

*tionem*».<sup>1)</sup> Sensu stricto sunt *eventus futuri*, qui in suis causis cognosci nequeunt. Tales sunt: **a.** praecipue effectus *liberi*, et quidem tales, qui stricte ab hominis arbitrio pendent, nec ex constantibus hominum moribus coniici possunt. Sic necessarius non est spiritus propheticus ad praedicendum, anno futuro multa crimina in societate humana patraturum iri; licet ea libere committantur. At vero praedicere actiones, quae omnino ab arbitrio unius vel etiam plurium hominum pendent (vide ex. gr. Luc. 22, 10 sq; Marc. 14, 27 sqq), naturaliter impossibile est. — **b.** Etiam effectus *necessarii longe distantes* omnem intelligentiam creatam saepe fugiunt ac proinde obiectum prophetiae esse possunt. Sic Christus praedixit terraemotus aliosque eventus cosmicos in fine mundi futuros. — Ex bene perpenso discrimine *obiectorum* iterum patet discrimen vaticiniorum s. Scripturae ab oraculis paganorum et a quavis divinatione, sive illa ope daemonum sive ex quodam instinctu vel quacunque de causa naturali fiant.

4. *Causa prophetiae est solus Deus*, ut Scriptura saepe testatur: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos* (Is. 41, 23; cf. 46, 9); et (II Petr. 1, 21): *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Idem deducitur ex notione prophetiae; solus enim Deus cognoscere potest certe et infallibiliter futura libera. — Quamvis autem Deus sit causa principalis, tamen angelus potest esse et saepe est causa *ministerialis*; «angeli enim sunt medii inter Deum et homines, utpote plus participant de perfectione divinae bonitatis quam homines. Et ideo illuminationes et revelationes divinae a Deo ad homines per angelos deferuntur.»<sup>2)</sup> Per daemones autem non potest fieri prophetia simpliciter dicta, utique vero secundum quid; nam «quaedam cognoscunt daemones etiam sua naturali cognitione, quae sunt remota ab hominum cognitione, quae possunt hominibus revelare»... Haec autem «revelatio facta per daemones potest secundum quid dici prophe-

<sup>1)</sup> Thom. 2, 2 q. 171 a. 3 ad 1.

<sup>2)</sup> Thom. 2, 2 q. 172 a. 2.

tia; unde illi, quibus aliquid per daemones revelatur, non dicuntur in Scripturis *prophetae* simpliciter, sed cum aliqua additione, puta *prophetae falsi* vel *prophetae idolorum*». <sup>1)</sup>

5. Quod *naturam* revelationis et cognitionis propheticae attinet, ante omnia ex dictis consequitur, prophetiam esse aliquid *supernaturale*, cum nulla creatura futura libera certe cognoscat. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* (II Petr. 1, 21). Refertur porro prophetia ad gratias *gratis datas*, quia est ad utilitatem aliorum atque etiam in malis reperiri potest; e. g. in Balaam. Praeterea lumen propheticum non inest intellectui prophetae per modum *formae permanentis* (habitus), alias oporteret, quod semper adesset prophetae facultas prophetandi; sed *per modum cuiusdam* passionis vel impressionis transeuntis. Sicut ergo aër semper indiget nova illuminatione, ita etiam mens prophetae semper indiget nova revelatione. <sup>2)</sup>

6. Quoad *modum*, quo revelatio fit, cum eodem s. Thoma <sup>3)</sup> distinguimus *repraesentationem* rerum, de quibus propheta instruitur, et *iudicium* seu lumen, vi cuius iudicat, has repraesentationes esse propheticas. Repraesentationes autem exhiberi possunt *sensui* vel *imaginationi* vel *intellectui*. Primo modo Moyses vidit rubum ardentem et Daniel manum scribentem; secundo modo Petrus in excessu mentis vidit linteam de coelo demissum; tertio modo Salomoni et Apostolis communicabatur sapientia.

## II.

De ratione criterii, quae inest prophetiis.

Increduli prophetiis rationem criterii denegant multiplici ex capite. Dicunt enim:

- 97 1. Prophetia est impossibilis. Eius obiectum enim, inquit *Voltaire*, nondum est; quod nondum est, nihil est; nihil autem non cognoscitur.

<sup>1)</sup> Thom. 2, 2 q. 172. a. 5.

<sup>2)</sup> Cf. ib. q. 171 a. 2.

<sup>3)</sup> Ib. q. 173 a. 2.

2. Est *nociva*, quia tollit libertatem et fatalismum fovet. «Quaevis praedictio, inquit rationalista *Wegscheider*,<sup>1)</sup> divinitus patefacta, qua fatum inevitabile hominis aut populi cuiusdam, quod ex re quadam ab ipso perpetranda pendeat, diserte nuntiatur, ideae Dei sanctissimi et benignissimi repugnat, fatalismum fovet et libertatem hominum moralem tollit.»

3. Etsi prophetia possibilis esset, tamen non est *cognoscibilis*. Nequit enim distinguere a coniecturis probabilibus futurorum eventuum, quas homines sagaces naturaliter facere possunt; nec a fortuita eorundem impletione; nec a praesensionibus, quas homines in somnambulismo vel in sopore magnetico vel instante mortis tempore habent; nec a vaticiniis daemonum, cuiusmodi apud paganos fuerunt. Praeterea prophetiae saepe tam obscurae et ambiguae sunt, ut veritas revelationis exinde neutiquam demonstretur.

4. Nullus denique est *nexus inter prophetiam et revelationem*. Id patet, quia etiam homines mali prophetasse dicuntur, et quia etiam religiones falsae suas prophetias iacant. — Nihilominus sit:

**Thesis 26.** *Prophetia possibilis est aptissimumque divinae revelationis argumentum.* 98

*Theologice* thesis certissima est  $\alpha$ ) ex definitione conc. *Vaticani*<sup>2)</sup> superius allata, aliisque fidei documentis.  $\beta$ ) Iam *Moyses* divinam suam missionem per prophetiam a se datam probavit (Num. 16, 28 sqq): *Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me . . . Si consueta hominum morte interierint . . . non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos . . . scietis, quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra etc.*  $\gamma$ ) Innumera quoque, evidentialia omni exceptione maiora sunt vaticinia edita ab *Isaia*, *Ieremia*, *Ezechiele*, *Daniele* aliisque prophetis antiqui foederis. Quare confidenter ad hoc sigillum divinum provocat *Isaia* (41, 23): *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum et sciemus, quia dii estis vos.*

<sup>1)</sup> Anthropologie S. 103. Similiter iam hallucinatus est Cicero, De divinat. l. 2 c. 7.

<sup>2)</sup> Denzinger 1790.

δ) Ipse etiam Christus ad prophetias de se et a se factas tamquam ad argumentum evidens suae missionis divinae provocat. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me* (Ioan. 5, 39); iterum: *Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum* (ib. 13, 19; cf. Matth. 24, 25). ε) Denique b. Petrus (II ep. 1, 19. 21) experientiae propriae et testimonio oculari de transfiguratione Christi praefert tamquam *firmiorem propheticum sermonem*; quia *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. ζ) Patrum doctrina continetur brevi formula *Tertulliani*:<sup>1)</sup> «Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis.»

Demonstratione theologica obiter tacta, thesim paulo accuratius *philosophice* examinabimus. Dicinus ergo: Prophetia merito habetur ut divinae revelationis sigillum, si prophetia, α) est possibilis; β) si cognoscitur ut vera prophetia, et quidem γ) edita in confirmationem revelationis. Veritas tripartitae propositionis conditionatae tum per se evidens est, tum ex argumentis adversariorum apparet, quae omnia contra unam ex praedictis propositionibus diriguntur. Eas ergo per partes probabimus:

- 99 1. *Prophetia est possibilis*. Ille enim, qui futura novit, ea etiam praedicere potest. Sed Deus omnia futura, etiam libera et maxime remota, ab aeterno cognovit. Ergo illa praedicere potest. Qui ergo possibilitatem prophetiae negat, Deo vel sapientiam vel potentiam abiudicare, atque adeo ipsum Deum negare debet. Unde merito scribit s. *Augustinus*:<sup>2)</sup> «confiteri esse Deum et negare praescium futurorum, apertissima insania est.»

Frivola vero est obiectio *Voltaire*; quae si quid valeret, de mere possibilibus nec scire quidquam nec loqui possemus. Nonne in hoc maxime differt intellectus a sensu, quod sensus obiecta existentia dumtaxat et materialia, intellectus vero etiam idealia percipit? Ceterum futura libera aliquando existent, ideoque aeternitati Dei iam praesentia

<sup>1)</sup> Apolog. c. 20.

<sup>2)</sup> De Civ. Dei I. 5 c. 9.

sunt.<sup>1)</sup> — Stulte etiam opponitur, prophetiam libertatem tollere, fatalismum fovere divinaeque sapientiae et bonitati repugnare. Necessitas enim, quam prophetia actionibus hominum imponit, non est antecedens sed *consequens*; scilicet non ideo eventus aliquis necessario futurus est, quia praedictus est, sed ideo praedictus, quia futurus est. «Sicut in memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt; sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt.» Ita pulchre *Augustinus*.<sup>2)</sup> Quanta porro insania et blasphemiam est asserere, prophetias, quas Deus e. g. Iudaeis de liberatione ex captivitate babylonica dedit, et quas generi humano de futuro Redemptore identidem de coelo mittere dignatus est, contradixisse sapientiae et bonitati divinae!

2. *Prophetia est cognoscibilis*. Habentur enim indicia, ex quibus praedictio aliqua ut vera prophetia cognosci potest. Sunt autem praecipue sequentia: a. Si eventus, qui praedicitur, plane ab arbitrio Dei vel alicuius hominis ignoti pendet (cf. e. g. Marc. 14, 30). — b. Si eventus sunt remoti ac post plura saecula futuri, et nihilominus omnino determinate quoad tempus, locum et cetera adiuncta praenuntiantur. Sic e. g. nomen Cyri 150 annos, antequam existeret, praedictum fuit (cf. Is. 44, 28; 45, 1).<sup>3)</sup> — c. Si non de uno tantum simplici facto, sed de serie et complexu eventuum agitur, ita ut quasi anticipata historia esse videatur; quemadmodum e. g. de Christo tempus et locus nativitatis, familia et mater, ex qua originem haberet, vitae ratio, passio et mors cum omnibus circumstantiis praedicta sunt. — d. Si praedictio non dubitanter et ambigue, sed asseveranter et determinate facta fuit. — e. Si nihil in propheta et prophetia est, quod iactantiam vel quaestum aut quid simile sapiat, sed si e contrario totum ad Dei gloriam tendit.

<sup>1)</sup> Cf. Theol. dogm. spec. n. 47.

<sup>2)</sup> De lib. arbitr. l. 3 c. 4 n. 11.

<sup>3)</sup> Quamvis Deus omnia futura praevideat ideoque sine dubio etiam nomen regis praedicere potuerit, tamen nullum aliud vaticinium in Vetere Foedere exstat, quo nomen proprium hominis futuri expresse praedicitur. Quare exegetae hodierni potius putant, vaticinio per Cyrum demum impleto nomen huius regis a synagoga tamquam legitimo s. Scripturae interprete ut glossam textui Isaiae additum et postea in ipsum textum insertum esse.

Haec et similia, inquam indicia evidenter demonstrant veram prophetiam, eamque distinguunt a *praesensionibus*, quae nonnisi res proximas ipsumque praesentientem concernentes tangunt; a *coniecturis* probabilibus, quae ex perspecto nexu causarum profluunt; a *divinationibus magneticis, hynoticis (Gedankenlesen)* etc.; a *vaticiniis fraudulentis daemonum*, ac tandem a *praedictionibus quibuslibet casu impletis*. Quis unquam e. g. ortum, vitam, gesta et mortem viri celebris post saecula futuri casu praedixit?<sup>1)</sup>

3. *Nexus inter revelationem et prophetiam* pariter facile constat, sive ex testimonio ipsius prophetae, sive ex natura et obiecto prophetiae. Sane Deus miracula et vaticinia non ex ioco edit vel ad pascendam curiositatem hominum, sed propter fines sua sapientia dignos. Hic finis autem, si ex ipso miraculo vel prophetia non dignoscitur, plerumque a thaumaturgo vel propheta expresse indicatur. Revera in s. Scriptura nullus exhibetur propheta, qui divinam suam missionem non diserte testatus fuerit suaeque vaticinia propter finem religiosum ediderit. Sic Moyses, quem supra (98) attulimus, praedixit interitum Core, Dathan et Abiron ad probandum, se a Deo missum esse (Num. 16, 28 sqq). Quid clarius hoc vaticinio, quid certius eius adimplentione, quid evidentius nexu inter hoc vaticinium et religionem? Praesertim vero in vaticiniis messianis connexio inter prophetiam et religionem sole clarior est.

100 Neque obstat, etiam homines malos prophetasse. Non enim dicimus in thesi, prophetiam semper esse signum *sanc-titatis* prophetae, sed dicimus eam signum esse *verae revelationis*. Sic vaticinium Balaam, licet hominis perversi, de stella oriente ex Iacob (Num. 24, 17) magos adiuvit, ut Christum in Bethlehem invenirent. — Neque plus valet altera exceptio, quod falsae quoque religiones sua vaticinia iactent. Nulla enim religio falsa habuit vaticinia vera;<sup>2)</sup> nos

<sup>1)</sup> Vide Gutberlet, Apologetik, Bd 2 S. 147 ff; ubi variae hypotheses ad explicandam prophetiam modo mere naturali ad trutinam revocantur (Du Prel, das transcendente Subject; Perty, das magische Ich; Zöllner, der vierdimensionale Raum etc.).

<sup>2)</sup> Quid de oraculis, apud paganos antiquos celeberrimis, sentiendum sit, iam a Tullio edocemur, qui (De divin. l. 2 c. 56) scri-

autem veras prophetias criteria revelationis esse dicimus, non fucatas. Immo haec obiectio commode in adversarios retorquetur. Non enim adeo communi conspiratione homines vaticiniis suam religionem fulcire conarentur, nisi vaticinia et possibilia existimarent et cognoscibilia et ineluctabilia veritatis argumenta. — Reliquae obiectiones incredulorum, quae contra prophetiam generatim moventur, ex iactis principiis facile solvuntur. De singulis vaticiniis agere, non est huius loci.

### SECTIO III.

## De revelatione christiana.

Post tractationem de revelationis possibilitate, necessitate et cognoscibilitate alia subsequitur disputatio eaque principalis, scilicet de revelationis *existentia*. Quaeritur nimirum, an Deus reapse revelationem dederit, et quaenam illa sit, seu in concreto et pro re nostra, an *revelatio christiana*, quam defendendam suscepimus, sit vere *divina*. Quamquam enim revelatio per Christum facta nec unica sit nec prima, quia *multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* (Hebr. 1, 1): omnes tamen revelationes praecedentes ad revelationem christianam ordinabantur sicut imperfectum ad perfectum, et sicut praeparatio ad complementum. Quare per modum praeambuli breviter illas perstringere sufficiat.<sup>1)</sup>

### QUAESTIO PRAEAMBULA.

M. J. Lagrange, *Etudes sur les religions sémitiques*, 2. Aufl. Paris 1903. J. Nickel, *Genesis und Keilschriftforschung*, Freiburg 1903. J. Feldmann, *Paradies und Sündenfall*, Münster 1913. J. Döl-

bit: «Iam ad te venio, sancte Apollo... tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim falsiloquis et obscuris, ut interpretes egeant interprete et sors referenda sit ad sortes, partim ambiguas et quae ad dialecticum referenda sint.»

<sup>1)</sup> Fusiore calamo hanc materiam pertractarunt Dörsch, *De religione revelata* (Oeniponte 1916) et Dieckmann, *De revelatione christiana* (Friburgi Brisgoviae 1930).

ler, Die Reinheits- und Speisegesetze, Münster 1917. J. Theis, Friedrich Delitzsch und seine «Große Täuschung», Trier 1921. L. Dürr, Religiöse Lebenswerte des Alten Testaments, Freiburg 1928. F. X. Kugler, Von Moses bis Paulus, Münster 1922. J. Hempel, Gott und Mensch im Alten Testament, Stuttgart 1926. F. Nötscher, Altorientalischer und alttestamentlicher Auferstehungsglauben, Würzburg 1926. N. Peters, Die Religion des Alten Testaments (in Religion, Christentum, Kirche).

## De revelatione divina ante Christi adventum.

Quadruplex potissimum revelatio ante Christum distinguere potest;  $\alpha$ ) revelatio paradisiaca ante lapsum Adae;  $\beta$ ) revelatio post lapsum Adae;  $\gamma$ ) revelatio patriarchalis;  $\delta$ ) denique revelatio mosaica. De singulis breviter.

### I.

#### Revelatio protoparentibus data ante Christi adventum.

102 **Propositio.** *Deus statim ab initio generi humano revelationem dedit.*

Assertio e diametro opponitur placitis incredulorum, qui contendunt homines in statu infantili procreatos, seu, ut alii volunt, ex materia primitiva paulatim evolutos tandem successu temporis ad praesentem culturam propriis viribus pervenisse.

Prob. 1. *Ex historia sacra*, quae expresse testatur, Deum *immediatum commercium* cum protoparentibus habuisse ac modo paterno cum eis conversatum fuisse.  $\alpha$ ) Primo enim eos instruxit de eorum dignitate, de dominio in universam creaturam ac de fine proximo et connaturali suae creationis (Gen. 1, 28 sqq): *Crescite et multiplicamini et replete terram, et subiicite eam et dominamini piscibus maris* etc.  $\beta$ ) Secundo eis praeceptum *positivum* dedit sanctionemque adiecit (2, 16 sq): *Praecepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*  $\gamma$ ) Tertio (v. 19): *adduxit ea* (animantia) *ad Adam, ut videret, quid vocaret ea.*  $\delta$ ) Quarto *immisit soporem ecstaticum* in Adamum, in quo ipsi ostensum fuit connubium mysticum inter Christum et Ecclesiam, prae-

figuratum per matrimonium naturale inter virum et feminam (v. 23 sq): *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* His verbis addit Apostolus (Eph. 5, 32): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.*<sup>1)</sup> ε) Denique familiaris et quasi paterna Dei cum protoparentibus conversatio colligitur etiam ex apparitione divina (3, 8): *cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso.* — Atqui ex his omnibus evidens est, Deum a protoparentibus non solum naturaliter mediantibus creaturis *per ea, quae facta sunt* (Rom. 1, 20), sed supernaturaliter per immediatam *revelationem* cognitum fuisse.

2. Confirmatur ex analogia fidei, scilicet ex dogmate de elevatione generis humani in protoparentibus facta, quam ex tractatu de homine hic supponimus.<sup>2)</sup> Status supernaturalis autem non potest esse sine *fide*, quae est initium et radix salutis. Fides autem revelationem supponit. Ergo protoparentibus data est revelatio. Ad obiectum huius fidei iuxta s. Thomam<sup>3)</sup> pertinebat etiam mysterium *incarnationis*, ut innuitur in ipsa Scriptura (Gen. 2, 24 coll. Eph. 5, 31) et mysterium ss. *Trinitatis*, quod in incarnatione continetur.

3. Existentia revelationis primitivae confirmatur variis mythis populorum de *aetate aurea*, in qua homines intimius commercium cum diis habuerint. *Ratio* vero naturalis saltem id perspicit, absurdam esse rationalistarum hypothesim de statu infanti et barbaro primorum hominum. Nam homo naturaliter indiget institutione sociali. Cum ergo protoparentes non habuerint parentes aliosve homines, a quibus educari potuerint, Deus profecto alio modo iis providere debuit, sive per angelos sive per revelationem immediatam de omnibus iis, quae muneri protoparentum necessaria essent. Repugnat enim divinae sapientiae et bonitati, ut genus hu-

<sup>1)</sup> August., De gen. ad lit. l. 9 c. 19 et tract. 9 in Ioan.; cf. Cornel. a Lap. in h. l.

<sup>2)</sup> Dogmat. spec. II. 174. sqq.

<sup>3)</sup> P. 2, 2 q. 2 a. 7 et q. 5 a. 1.

manum ex defectu mediorum connaturalium ad finem praestitutum vel nunquam vel nonnisi post multa saecula pervenire potuisset. Licet ergo ratio non demonstret existentiam revelationis *supernaturalis*, necessitatem tamen revelationis naturalis vel alicuius medii aequivalentis pro protoparentibus demonstrat.<sup>1)</sup>

## II.

### Revelationis innovatio post Adae lapsum.

103 **Propositio.** *Deus statim post hominis lapsum revelationem instauravit.*

Sane s. Scriptura statim post lapsum narrat theophaniam, sententiam divinam contra praevaricatores et promissionem futuri Salvatoris (Gen. 3, 8 sqq). Haec revelatio homini lapso facta:

1. certe est *supernaturalis*, tum quoad modum, quia Deus immediate cum illis colloquitur; tum quoad substantiam (58), quia promittitur *Salvator*, qui per gratiam divinam reparaturus erat ruinam generis humani (cf. Rom. 5, 10 sqq).

2. *Veritas* huius revelationis, supposita inspiratione s. Scripturae, per se patet. Contra incredulos vero, qui inspirationem negant, saltem auctoritatem *historicam* narrationis mosaicae iure merito supponimus. Quae quidem narratio ex traditionibus, quae apud omnes ferme populos inveniuntur, magnam lucem mutuatur. In omnibus enim mundi plagis, ut alibi exposuimus (50), vestigia utique plus minusve deformata antiquae traditionis de lapsu primi hominis, poenisque generi humano inflictis reperiuntur; nec possunt rationalistae causam universalis huius et communis persuasionis assignare aliam, quam antiquam traditionem. Atqui lapsus

<sup>1)</sup> Thom. p. 1 q. 94 a. 3: «Quia res primitus a Deo institutae sunt non solum ut in seipsis essent, sed etiam ut essent aliorum principia; ideo productae sunt in statu perfecto, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem et gubernationem. Et ideo sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare: ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare.»

generis humani in primo homine est centrum revelationis primigeniae. Ergo haec ex traditionibus populorum confirmatur.

3. *Ratio* nec existentiam peccati originalis nec eius remedium certe cognoscere valet. At ex miseriis, quibus genus humanum obruitur, existentiam alicuius culpae originariae omnibusque communis probabiliter coniicimus. Similiter redemptionem hominis lapsi non quidem necessariam et debitam utique vero convenientissimam fuisse, ratio facile perspicit.<sup>1)</sup>

### III.

#### De revelationis primitivae conservatione et incremento in aera patriarchali.

**Propositio.** *Deus revelationem primitivam in aera patriarchali conservavit novisque incrementis auxit.* 104

1. Aera patriarchalis in tres epochas dividi solet. Prima est ab *Adamo* usque ad *Noachum*, secunda a *Noacho* usque ad *Abrahamum*, tertia ab *Abrahamo* usque ad *Moysen*. Scriptura plures exhibet *theophanias* et *apparitiones angelicas* patriarchis exhibitas; e. g. Caino et Abeli, Henoch, Noacho, Abrahae, Isaac et Iacob, Agar, Lot, etc. Cum theophaniis plerumque coniuncta erant facta divina, quibus providentia Dei circa genus humanum palam fiebat; e. g. in diluvio, in divisione generis humani, in vocatione Abrahae, Isaac et Iacob, in fatis Iosephi aegyptiaci etc.<sup>2)</sup>

2. Scopus istius extraordinariae gubernationis divinae erat conservatio *verae religionis* in genere humano. Et sane

<sup>1)</sup> Consule Dogmat. spec. n. 179 et 278.

<sup>2)</sup> Adverte tamen, quod iuxta s. Thomam Deus generi humano ab Adamo usque ad Abraham nec novam revelationem nec legem positivam dederat: «Prima revelatio ante legem (mosaicam) facta est Abrahae, cuius tempore coeperunt homines a fide unius Dei deviare ad idololatriam declinando; ante autem non erat necessaria talis revelatio, omnibus in cultu unius Dei persistentibus» (p. 2, 2 q. 174 a. 6; cf. Suarez, De legibus l. 9 c. 1 n. 4). Communicatio igitur Dei hominibus illo tempore facta magis ad illustrationes *privatas* et praecepta *particularia* restringebatur, quae utique bono quoque communi serviebant (cf. p. 1, 2 q. 105 a. 1).

si religio patriarchalis consideretur, ea exhibet *unum Deum* omnipotentem, creatorem coeli et terrae, providum, sanctum, iustum remuneratorem boni et vindicem mali. *Angeli* commemorantur tam boni ut hominum custodes, quam mali seu *diaboli* ut eorum tentatores. Homo dicitur creatus ad imaginem Dei, anima rationali, immortalis et libera praeditus, protoparentum peccato perditus, at spe Salvatoris erectus. Praeterea in religione patriarcharum occurrunt *sacrificia, iuramenta, vota, sanctificatio sabbati* aliique actus cultus religiosi, praesertim *circumcisio* ut signaculum foederis cum Deo. Varias item *virtutes* morales, ut pietas et reverentia erga parentes, fides coniugalis, hospitalitas, sinceritas, amor pacis, laboriositas etc. commendantur et laudantur. — Testimonia huc spectantia in singulis ferme paginis libri Genesis reperies.<sup>1)</sup>

3. Ex his *veritas* religionis patriarchalis ultro patet. Duo enim in ea distinguere possumus, *facta divina* et *doctrinam*.

a. *Facta*, supposita eorum veritate historica, immediatam et supernaturalem Dei operationem ad conservandam veram religionem in genere humano aperte demonstrant, ut praesertim in diluvio et in vocatione Abrahae apparet. Veritas istorum factorum autem ex s. Scriptura certe constat, atque in dies magis magisque illustratur ex mythologiis populorum, ex vetustissimis monumentis et inscriptionibus recenter inventis.<sup>2)</sup>

b. *Doctrina* religiosa, cuius summa capita exhibuimus, pariter divinam originem praesefert, sive illa in se ipsa sive in comparatione ad superstitionem paganam et religionem

---

<sup>1)</sup> Longe exaggerata sunt, nec ullo modo ex s. Scriptura probari possunt, quae Hirscher de barbarie illorum temporum scribit: «Wir müssen uns also den Zustand der ersten Menschen nach der Sünde als einen Zustand der Kindheit, aber als den einer *verwilder-ten* denken» (Moral Bd 1 S. 298, 2. Aufl.; cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 538 ff).

<sup>2)</sup> Cf. Kaulen, Assyrien und Babylonien 5. Aufl. (Freiburg 1899) S. 85 f, 151 ff; Vigouroux, Die Bibel und die neuern Entdeckungen in Palästina, Aegypten und Assyrien (Mainz 1885), Bd 1 S. 311 f; Brunsmann, Lehrbuch der Apologetik I (St. Gabriel bei Wien 1930), pag. 238—240.

christianam consideretur. *In se* enim spectata revelatio patriarchalis iuxta dicta continet substantiam religionis naturalis et plura capita religionis supernaturalis, e. g. de creatione, de angelis bonis et malis, de lapsu hominis, de spe Salvatoris etc. In comparatione vero ad *paganos* religio patriarchalis immunis erat ab illorum erroribus et abominationibus; *ad religionem christianam* vero comparata eius veluti prodroma erat. Atqui talem religionem patriarchae eorumque posterī, qui in medio nationis pravae et perversae vivebant et labori manuum ac pascendis gregibus incumbabant, absque specialissima divina providentia nec invenire nec conservare potuerunt. Ergo.

Opponunt rationalistae: 1. in symbolo patriarcharum 105 fidem immortalitatis et vitae futurae non inveniri. At immerito. Patriarchae enim modo agendi et loquendi se in hac vita ut peregrinos profitebantur, qui ad patriam tendunt. Unde infert Apostolus (Hebr. 11, 14): *Qui haec dicunt, significant se patriam inquirere, et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt id est caelestem*. Nec mirum, siquidem Deus ipse promiserat Abrahae: *Ego ero merces tua magna nimis* (Gen. 15, 1).<sup>1)</sup>

2. Opponunt varia crimina in vita patriarcharum. — At vitia, quae in patriarchis inveniebantur, nullibi in s. Scriptura commendantur. Revelatio non facit hominem impeccabilem. Quid insuper sunt crimina in familia patriarcharum respectu scelerum nefandorum in nationibus gentium?

#### IV.

##### Revelatio mosaica.

*Auctoritas Pentateuchi*. Revelatio mosaica inter revelationes ante Christum factas longe eminet, ac fundamentum est revelationis christianae, quae legem mosaicam «adim-

<sup>1)</sup> Etiam Hirscher docet, dogma de immortalitate non solum in aera patriarchali, sed generatim in antiquo foedere penes ipsos Iudaeos non fuisse certe agnitum. At vero longe aliud s. Scriptura de fide Iudaeorum circa vitam futuram nobis testatur (cf. Iob 19, 25; II Mach. 12, 44; Eccle. 12, 7. 13. 14; Act. 24, 14 sq. Vide Kleutgen Theol. der Vorzeit Bd 5 n. 561 f).

plevit» (Matth. 5, 17). Hinc rationalistae moderni, ut religionis christianae fundamentum subruant, praeprimis contra authenticam Pentateuchi, in quo revelatio mosaica continetur, insurgunt. Ingente quippe variarum scientiarum apparatu congesto ostendere satagunt, Pentateuchum non ab ipso Moyse, sed a pluribus sequioribus auctoribus concinnatum esse, qui singulas eiusdem partes sive ediderint sive in unum collegerint, ita ut totum opus demum post exilium babylonicum in lucem prodierit. Ex quo concludunt, Pentateuchum quoad veritatem historicam nullius fere momenti proindeque facta, quae in illo narrantur, inter mythos et fabulas ableganda esse. Nos pro scopo nostro generalibus quibusdam animadversionibus historicam veritatem Pentateuchi illustrabimus; singulas vero rationalistarum obiectiones, inter quas hodie maxime viget hypothesis ab auctore *Wellhausen* nominata, biblicis refellendas relinquimus.<sup>1)</sup>

a. Imprimis tota antiquitas Pentateuchum ut foetum genuinum Moysis agnovit. Sane, in omnibus ferme libris Scripturae sub nomine «legis Moysi» Pentateuchus allegatur;<sup>2)</sup> Iudaei, quorum auctoritas apud incredulos tanti aestimatur, ab immemorabili se ut discipulos Moysis gloriabantur ad nostra usque tempora; Samaritani, licet Iudaeis infensissimi, pariter Moysen ut legislatorem atque auctorem Pentateuchi venerati sunt; Christus ipse et Apostoli idem passim docuerunt; non deerant scriptores ethnici, qui hanc traditionem confirmarent,<sup>3)</sup> neque hostes infensissimi iudaicae et christianae religionis, *Celsus*, *Porphyrius*, *Iulianus* apostata genuinitatem Pentateuchi aggressi sunt.

b. Pentateuchus non est liber indifferens, sed liber, cui tota religio iudaica innititur, sicut religio christiana innititur Christo; immo vita etiam politica Iudaeorum ei superstruitur, ita ut natio hebraea cum Moyse indivulse cohaereat.

<sup>1)</sup> Cf. Flunk: Die Ergebnisse der negativen Pentateuchkritik. Zeitschrift für kath. Theologie IX (1885) S. 472 ff; Schöpfer, Geschichte des Alten Testaments 6. Aufl. 1923.

<sup>2)</sup> Cf. III. Reg. 2, 3; IV. Reg. 14, 6; I Paral. 15, 15; II Esdr. 8, 1; Dan. 9, 13; II Mach. 7, 30 etc.

<sup>3)</sup> Cf. Huet, Demonstr. evang. diss. de libr. Moysis c. 2; Haneberg, Geschichte der biblischen Offenbarung, 4. Aufl. S. 188 ff (Regensburg 1876).

c. Notum pariter est, quanta veneratione Iudaei libros sacros prosecuti fuerint, quanta conscientia eos custodierint, ita ut teste *Iosepho Flavio*<sup>1)</sup> litteras et vocabula omnia numeraverint.

d. Ea, quae in Pentateucho narrantur, sunt primo *facta* eaque tam notoria, ut coram oculis totius populi iudaici, immo plurima coram oculis duarum nationum contingerent, e. g. decem plagae; simul vero tam stupenda, ut necessario omnium admirationem excitarent. Praeter facta iste liber continet etiam *leges* tam sapientes et *doctrinam* tam sublimem, ut nullus homo quantumvis sapiens eas invenire potuerit.

e. Facta in Pentateucho relata multiplicem approbationem accipiunt etiam ab iis, quae Aegyptii, Assyrii, Babylo-nii in profanis inscriptionibus narrant quoad locos, personas, eventus s. Scripturam respicientes. Nec minus cultura et mores gentium orientalium, quae in Pentateucho innuuntur (Gen. 16, 1 sqq. et Gen. 30, 1 sqq), concordant cum iis, quae ex legibus Hammurapis et ex Amarna-litteris nobis innotuerunt.<sup>2)</sup>

f. Stilus denique candidus est, simplex, abhorrens ab adulatione et vanitate, Dei gloriam et zelum spirans, ut impostor nunquam ita scribere potuerit. Quam ingens discrimen inter mythologias paganorum et Pentateuchum Iudaeorum! — Ex his omnibus merito concludimus, auctorem Pentateuchi esse scriptorem fide dignum, nec alium quam Moysen. Ceterum Pentateucho praeter auctoritatem historicam etiam divina inest, ut in tractatu de s. Scriptura probatur. — His praemissis sit:

**Thesis 27.** *Revelationi patriarchali successit lex mosaica, quae omnibus characteribus revelationis divinae insignita est.*

Veritatem revelationis seu legis mosaicae<sup>3)</sup> ex eius origine, conservatione et obiecto demonstrabimus.

<sup>1)</sup> In libr. contr. Appion.

<sup>2)</sup> Cf. Brunsmann, Lehrbuch der Apologetik (St. Gabriel bei Wien 1930 I pag. 238—240).

<sup>3)</sup> Longum est, legem mosaicam vel per summa capita exhibere; sed neque necessarium id videtur, cum de re alioquin satis

107 A. *Ex miraculosa origine*; scilicet tam ex *miraculis* quam ex *vaticiniis*, quibus Moyses divinam suam missionem probavit.

1. *Ex miraculis*, inquam. Sane, vis demonstrativa miraculorum iuxta alibi (92) dicta ab eorum veritate historica, philosophica et theologica pendet. Atqui a. veritas *historica* ex authenticia Pentateuchi constat, qui tam historice quam theologice fide dignissimus est. Indirecte veritas historica istorum miraculorum etiam ex conatibus ingentibus colligitur quos rationalistae faciunt, ut ea naturaliter explicent. Ad quid enim isti conatus, si de meris mythis ageretur? — b. Non minus certa est veritas *philosophica* miraculorum a Moyse patratorum. Profecto quis serio affirmare poterit, decem plagas aegyptiacas, quae ad nutum Moysis ad diem et horam praedictam venerunt et abierunt, solosque Aegyptios non Israelitas simul commorantes tangebant, fuisse calamitates naturalibus et ordinariis causis adscribendas?<sup>1)</sup> Quis transitum maris rubri naturaliter explicet, cum *Deus coeli mare aperuit, ita ut hinc inde aquae quasi murus solidarentur*? Quis explicet aquam de petra et manna, *quasi annonam de coelo per annos quadraginta*<sup>2)</sup> (Iud. 5, 12 sqq.)? Quis alia signa innumera, quando Moyses a Deo quasi dominus naturae et «*deus Pharaonis*» (Ex. 7, 1) constitutus est? Ipsi magi aegyptiaci fateri cogeantur: *digitus Dei est hic* (8, 19). Frivolae et ridiculae hypotheses, quibus rationalistae istos eventus grandes et mirabiles naturaliter explicabant, eorum vim divinam magis illustrant quam infringunt. — c. Veritas *theologica* miraculorum Moysis tum ex modo vocationis, tum ex modo agendi Moysis coram Pharaone (Ex. 8, 10) et Israelitis (Ex. 4, 30), tum ex assertionem expressam Moysis evidenter apparet: *In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quae cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim* (Num. 16, 28).

---

nota agatur. — Ceterum consule Albertum a Bulsano vel Norbertum a Tux superius allegatos, vel Ottiger, Theologia fundamentalis t. 1 § 31 sqq.

<sup>1)</sup> Cf. Weiss, Moses und sein Volk (Freiburg 1885) S. 32—37.

<sup>2)</sup> Id. l. c. S. 55.

2. Argumentum ex *vaticiniis* simili ratione instituitur. Moyses enim plura protulit vaticinia, de quorum veritate tam historica, quam philosophica dubitari nequit. Praedixit enim plagas aegyptiacas (cf. e. g. Ex. 8, 10 sq); praedixit, neminem eorum, qui vigesimum annum iam expleverant, ingressurum esse terram promissionis (Num. 14, 23; Deut. 1, 35); praedixit, quolibet anno sexto terram daturam fructum trium annorum, ita ut populus quiescere possit anno septimo (Lev. 25, 20 sq); praedixit occupationem terrae Palaestinae (Ex. 23, 29 sq), fata populi et regis ab ipso electi usque ad ultima tempora (Deut. c. 28 sqq, praesertim 32). Atqui haec omnia ex una parte nemo naturaliter praevidere potest; ex altera ad amussim omnia impleta sunt. De divina igitur Moysis missione ac proinde de veritate revelationis per ipsum factae ambigi nullo modo potest. — Ceterum, quanta fuerit Moysis excellentia prae reliquis prophetis, ipsa Scriptura iterato declarat; e. g. Ex 33, 11): *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*; et (Num. 12, 6 sq): *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, et palam et non per aenigmata et figuras Dominum videt*; iterum (Deut. 34, 10): *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis etc.*<sup>1)</sup>

**B.** Ex *miraculosa conservatione* religionis mosaicae in 108 populo hebraico. Haec patet:

1. Ex *viris* extraordinariis, quos Deus suscitavit, dotibusque supernaturalibus, fortitudine, sapientia miraculosa aut spiritu prophetiae donavit. Tales fuerunt: *Iosue, Gedeon, Samson, Samuel, David, Salomon, Elias, Elisaeus, Isaias* ac reliqui prophetae.

2. Ex *miraculis* innumeris, quae iidem legati divini patrabant, ut populum ex miseriis, in quas ob propria pec-

<sup>1)</sup> Cf. Thom. 2, 2 q. 174 a. 4; Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 546 ff.

cata lapsus fuerat, liberarent eumque in vera religione confirmarent vel etiam ab idololatria revocarent.

3. Ex *vaticiniis*, quibus omnes ferme eventus maioris momenti, qui Iudaeis instabant, praedicebantur.

4. Ex alternantibus *fatibus* laetis vel tristibus pro Iudaeorum fidelitate aut infidelitate in Deum; idque tam constanter ac veluti data lege, ut populis finitimis bene notum esset. Nam, inquit Achior, princeps Ammonitarum ad Holofernem (Iud. 5, 16): *Ubicunque ingressi sunt sine arcu et sagitta et absque scuto et gladio, Deus eorum pugnavit pro eis et vicit. Et non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. Quotiescunque autem praeter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in praedam et in gladium et in opprobrium. Quotiescunque autem poenituerunt, se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus caeli virtutem resistendi.* Profecto, totam historiam israeliticam negare deberet, qui mirabilem Dei providentiam versus istum populum negare vellet. Merito ergo concluditur, veram esse religionem illam, in cuius confirmationem Deus tot et tanta signa patravit.

109 C. Ex *obiectō legis mosaicae*. Ea, quae de obiecto revelationis patriarchalis diximus (104), a fortiore de revelatione mosaica valent; quippe quae illam quam plurimis incrementis auxit.

1. Sane, *symbolum* mosaicum Deum exhibet ut *Iahve*, *qui est*: qua definitione nil sublimius et profundius inveniri potest, in cuius explicatione altissima ingenia sequiorum saeculorum se exercebant. — Ipsa etiam s. Trinitas longe clarius indigitatur, atque in aera patriarchali id factum est.

2. *Codex moralis* suum fundamentum habet in decalogo, quem Deus promulgavit fumigante monte Sinai, mugientibus tonitruis, micantibus fulguribus, perstrepente clangore buccinae vehementis (Ex. 19 et 20). Porro decalogus, qui est expressio et summa legis naturalis, ulterius explicatur et determinatur in libris Levitici, Numeri, et Deuteronomii, atque ad praeceptum caritatis Dei super omnia tamquam ad suum apicem dirigitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua* (Deut. 6, 5).

3. *Codex legalis* seu *iuridicus* statuit veluti duo suprema principia: *reverentiam et obedientiam* erga omnem legitimam auctoritatem, erga parentes, sacerdotes, dominos, reges; et *caritatem* erga proximos, ad quos non solum contribules, sed etiam peregrini et advenae pertinent. — Praeterea officia sacerdotum, regum, iudicum, testium, coniugum, dominorum, servorum etc. accurate determinantur; et quaevis violatio proximi in bonis fortunae, honoris, famae etc. severe prohibetur ac vindicatur. Nihil omittitur, quod ad tranquillitatem et felicitatem etiam temporalem populi tempore pacis et belli postulatur.

4. *Rituale* ordinat hierarchiam stabilem, determinat ordinem levitarum, sacerdotum et summi pontificis; continet leges sanctissimas et sapientissimas de sacrificiis, de cultu, caeremoniis aliisque ad religionem pertinentibus.<sup>1)</sup>

Atqui religio, quae tale symbolum, talem codicem moralem et legalem et sacerdotalem continet, necessario adscribenda est revelationi divinae; Israelitae eam nec a finitimis populis habuerunt nec ipsi invenerunt aut invenire potuerunt.<sup>2)</sup>

**Thesis 28.** *Licet revelatio mosaica esset vera revelatio, tamen α) perfecta nondum fuit, sed perficienda per revelationem christianam, β) ideoque quadantenus erat abroganda, et γ) revera abrogata fuit.* 110

**A.** *Revelatio mosaica nondum erat perfecta.*

*Nihil ad perfectum adduxit lex* (Hebr. 7, 19).

1. Sane, lex promisit et multipliciter praefiguravit Salvatorem eique viam sternebat; sed Salvatorem non dedit.

2. *Mysterium ss. Trinitatis, incarnationis aliaque dogmata* nondum clare erant revelata nec ad credendum proposita.

---

<sup>1)</sup> Haec omnia in libris Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii describuntur. — Lege s. Thomam p. 1, 2 q. 99, ubi distinguit inter praecepta *moralia*, *caeremonialia* et *iudicialia* veteris legis, eorumque sapientiam in sequentibus quaestionibus (100—106) copiosissime exponit.

<sup>2)</sup> Obiectiones, quas auctores moderni movent contra doctrinam moralem A. T., vide apud Kneib, *Die «Jenseitsmoral» im Kampfe um ihre Grundlagen*, S. 189—211 (Freiburg 1906).

3. Lex mosaica, quamvis praeceptum caritatis includeret, tamen quoad notam veluti characteristicam fuit lex *timoris*,<sup>1)</sup> scripta in tabulis lapideis, ideoque perficienda erat per legem amoris, scriptam «in tabulis cordis carnalibus» (II Cor. 3, 3).

4. Sacrificia antiqua erant *typica* et *ad emundationem carnis* (Hebr. 9, 13). Hinc cedere debebant sacrificio sanguinis Christi, qui *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (ib. v. 14).

5. Sacramenta veteris legis per se erant *egena et infirma elementa* (Gal. 4, 9), quae iustitiam tantum *legalem* conferebant. Quare cedere debebant sacramentis, quae gratiam continent et conferunt.<sup>2)</sup>

6. Verbo: tota oeconomia mosaica fuit umbratilis et *typica*, *particularis*, *carnalis*, *imperfecta* et cedere debebat realitati et veritati, oeconomiae universali, spirituali et perfectae.<sup>3)</sup>

#### 111 B. *Revelatio mosaica quadantenus abroganda fuit.*

Assertio consequitur ex priore puncto. Revelatio mosaica enim ad revelationem christianam non habet relationem *oppositionis*, sed *praeparationis* tamquam imperfectum ad perfectum. Tria autem in hac relatione momenta includuntur: aliquod *bonum*, quod in imperfecto iam adest et manet, aliqua *imperfectio removenda*, denique aliquod *bo-*

<sup>1)</sup> Iuxta August. (C. Adimant. c. 17) brevis differentia legis mosaicae et evangelicae continetur verbis: «timor et amor».

<sup>2)</sup> Quo sensu nihilominus ad conferendam gratiam concurrunt, exponetur in tractatu de sacramentis (cf. Dogmat. spec. n. 430).

<sup>3)</sup> Cf. Thom. p. 1, 2 q. 99 a. 6: «Lex vetus disponebat ad Christum, sicut *imperfectum* ad *perfectum*. Unde dabatur populo adhuc imperfecto, in comparatione ad perfectionem, quae erat futura per Christum; et ideo populus ille comparatur puero sub paedagogo existenti, ut patet Gal. 3. Perfectio autem hominis est, ut contemptis temporalibus, spiritualibus inhaereat...; imperfectorum autem est, quod temporalia bona desiderent, in ordine tamen ad Deum; perversorum autem est, quod in temporalibus bonis finem constituent. Unde legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quae erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret ad Deum.» Lege etiam p. 1, 2 q. 107 a. 1.

*num addendum*, quod ad perfectionem adhuc deest. In lege igitur mosaica sunt:

1. Aliqua, quae simpliciter manent, puta veritates religiosae de Deo uno eiusque attributis, lex naturalis, gratia ac destinatio ad finem supernaturalem, ac generatim quae pertinent ad *testamentum aeternum* omnibus gentibus commune.<sup>1)</sup>

2. Aliqua imperfecta, quae omnino tollebantur. Quo pertinent typi, qui antitypo cedere debebant, iuxta illud: umbram fugat veritas.<sup>2)</sup> Item omnes institutiones mere nationales legis mosaicae suo robore destitutae sunt.

3. Quaedam immutanda, evolvenda aut etiam addenda erant. Sic mysteria ss. Trinitatis et incarnationis, quae in vetere revelatione subobscurae continebantur, in nova clare proposita et promulgata sunt. Sacramenta vero et sacrificia in alia meliora mutabantur.

### C. Revelatio mosaica revera est abrogata.

Assertio accipienda est cum restrictione in priore puncto assignata, scilicet *lex mosaica seu vetus testamentum presse sumptum* abrogatum fuit. Hoc patet:

1. Ex vaticiniis antiquis, quibus praedicitur  $\alpha$ ) *novum testamentum*, e. g. Ier. (31, 31—33): *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iudae foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, ... sed hoc erit pactum: dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam illam*. Hoc vaticinium interpretatur Apostolus (Hebr. 8, 8—13): *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est*. Speciatim praedicitur  $\beta$ ) *novum sacerdotium*: *Ego ... venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis .. et mittam ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam, in Italiam et Graeciam ... et*

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, De Ecclesia thesi 4 (Romae 1887).

<sup>2)</sup> Thom. p. 1, 2 q. 107 a. 2 ad 1: «Ex hoc ipso quod caeremonialia praecepta sunt impleta, perfectis his, quae figurabantur, non sunt ulterius observanda; quia si observarentur, adhuc significaretur aliquid ut futurum et non impletum; sicut etiam promissio futuri doni locum non habet, promissione iam impleta per doni exhibitionem.» Sed legatur integer articulus, ubi pulcherrime relatio veteris foederis ad novum exponitur.

*assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus* (Is. 66, 18—21). Praedicitur  $\gamma$ ) *novum sacrificium* in celeberrimo vaticinio Malachiae (1, 10 sq); *translato* autem *sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat* (Hebr. 7, 12).

2. Apostoli passim docuerunt, legem mosaicam abrogatam esse, maxime Paulus in epistolis ad Galatas et Hebraeos. Denique in concilio Hierosolymitano Petrus abrogationem legis mosaicae solemniter declaravit (Act. 15, 7 sqq).

3. Abrogatio *iuridica*, ut ita dicam, veteris testamenti confirmatur ipso *eventu*. Abolitum quippe est *sacerdotium leviticum* propter totalem permixtionem tribuum; abolita *sacrificia* A. T. propter extinctionem sacerdotii et destructionem templi, in quo solo legitime eadem licebat offerre; abruptum est *pactum omneque commercium* Dei cum hoc populo per prophetas aliosve legatos divinos habitum; immo ab ipsa terra *promissionis* eiectionis ultra annos mille et octingentos *iam dies multos* (sedent) *filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine teraphim* (Os. 3, 4).

4. Fides Ecclesiae declaratur in conc. *Florentino*.<sup>1)</sup> — His praemissis iam religionis christianae demonstrationem

---

<sup>1)</sup> Decr. pro Iacobit., Denzinger 712 sq: «Firmiter credit (Rom. Eccles.), profitetur et docet, legalia veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente, cessasse, et Novi Testamenti sacramenta coepisse. Quemcunque etiam post passionem in legalibus spem ponentem et illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat, a Christi passione usque ad promulgatum evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum evangelium sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari. Omnes ergo post illud tempus circumcisionis et sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denuntiat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant» . . . Quoad «Apostolorum prohibitionem, *ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato*» (Act. 15, 29) dicit illi tempori congruisse, quo ex Iudaeis atque gentilibus, qui antea diversis ceremoniis moribusque vivebant, una surgebat Ecclesia, ut cum Iudaeis etiam gentiles aliquid communiter observarent, et in unum Dei cultum fidemque conveniendi

aggredimur. Demonstratur autem dupliciter: ex *auctore* et ex *opere*.

## CAPUT I.

### De Christo auctore religionis christianae.

Ae. Schöpfer, Geschichte des Alten Testaments, 6. Aufl. 1923. R. Cornely-Merk, Introductionis in S. Scripturae libros Compendium, 9. Aufl. Paris 1927. — F. Tillmann, Der Menschensohn, Freiburg 1907. C. Hennemann, Die Heiligkeit Jesu als Beweis seiner Gottheit, Würzburg 1898. A. Seitz, Das Evangelium vom Gottessohn, Freiburg 1908. H. Schell, Jahwe und Christus, 2. Aufl., Paderborn 1908. Ph. Kneib, Moderne Leben-Jesu-Forschung unter dem Einflusse der Psychiatrie, Mainz 1908. H. Schumacher, Die Selbstoffenbarung Jesu, Freiburg 1912. H. Felder, Jesus Christus, 2 Bd 3. Aufl. Paderborn 1923 f. A. Reatz, Jesus Christus. Sein Leben, seine Lehre und sein Werk. 2. u. 3. Aufl., Freiburg 1925. — L. Cl. Fillion, Les miracles de N. S. Jésus-Christ, 2 Bd. Paris 1909 f. L. Fonck, Die Wunder des Herrn im Evangelium, 2. Aufl. Innsbruck 1907. H. Seng, Die Wunder Jesu in medizinischer Beleuchtung, Schwerin 1926. H. Hoppeler, Bibelwunder und Wissenschaft. Betrachtungen eines Arztes, 6. Aufl. Stuttgart 1927. — I. Muser, Die Auferstehung Jesu und ihre neuesten Kritiker, 2. Aufl. Paderborn 1914. C. Chauvin, Jésus-Christ, est-il resuscité?, Paris 1901. H. Dieckmann, Die Auferstehungsberichte der vier Evangelien nach ihrer Verschiedenheit und Eigenart (in Scholastik 1928, 321—340).

Argumenta, quibus apologia christiana divinam missionem Christi directe probat, sunt sequentia: *Vaticinia messiana, character Christi, miracula et vaticinia Christi*, maxime eius *resurrectio*. De his igitur ex ordine agemus; in antecessum vero *fontes*, ex quibus notitiam Christi capimus, breviter indicabimus et vindicabimus.

---

praeberetur occasio et dissensionis materia tolleretur: cum Iudaeis propter antiquam consuetudinem sanguis et suffocatum abominabilia viderentur, et esu immolatiui poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros». — Hinc apparet, quanto in errore versentur illi, qui praesagiunt tempus futurum, quo populus iudaicus conversus ad Christum in resuscitato templo hierosolymitano una cum sacrificio eucharistico ex mandato divino etiam sacrificia veteris formae immolaturus sit aliaque sacra restitutus: Cf. Franzelin l. c. ubi etiam aliae quaestiones subtiliores incidentes solutas reperies.

## ARTICULUS I.

## De fontibus, ex quibus notitia de Christo haurienda est.

## I.

Testimonia biblica.<sup>1)</sup>

112 Praecipuum documentum est *historia evangelica*, in qua vita, doctrina, miracula, mors et resurrectio Christi **narrantur**. His accedunt actus et epistolae Apostolorum, verbo omnes libri N. T. Sed etiam libri A. T. omnes plus minus de Christo agunt, ut ipse testatur: *Scrutamini Scripturas, ... et illae sunt, quae testimonium perhibent de me* (Ioan. 5, 39). Quaeritur ergo, quae sit auctoritas horum librorum. Est duplex: *divina*, quam habent ex inspiratione Spiritus sancti, et *humana*, quam habent ex veritate historica. Contra incredulos, qui eius auctoritatem divinam negant, biblia ut libros mere historicos fide dignos proferemus. Contra Iudaeos, qui inspirationem Scripturae A. T. agnoscunt, eius testimonium ut divinum adhibebimus. Cum denique Theologia fundamentalis, ut initio diximus (22), non solum incredulos redarguere, sed praeprimis fideles confirmare debeat, hinc pro iisdem omnes libros sacros utriusque foederis ut inspiratos assumere licet. — Quamvis porro auctoritatem historicam s. Scripturae supponere possemus, quippe quae in disciplinis biblicis data opera vindicetur, nihilominus potiora argumenta obiter saltem indicare opportunum iudicamus.

113 Ante omnia igitur adverte, auctoritatem seu authenticam historicam alicuius libri pendere a tribus conditionibus, scilicet a *genuinitate*, *integritate* et *veracitate*.<sup>2)</sup> Liber aliquis dicitur *genuinus*, si vere illius auctoris fetus est cui adscribitur, vel saltem auctoris coevi; *integer*, si talis exstat, qualis ab auctore fuit conscriptus, quin aliquid additum vel

<sup>1)</sup> Consule Gutberlet, Apologetik Bd 2 S. 216 ff, ubi de Evangeliorum authenticam solide et erudite disserit; Felder, Iesus Christus. Apologie seiner Messianität u. Gottheit gegenüber der neuesten ungläubigen Iesuforschung, Bd 1 (Das Bewußtsein Iesu) 3. Aufl. S. 25—120 (Paderborn 1923); Jac. Schäfer, Die Evangelien und die Evangelienkritik, 2. Aufl. 1911.

<sup>2)</sup> A quibusdam auctoribus authenticam cum genuinitate, ab aliis cum veracitate identificatur.

demptum fuerit; *verax*, si ab auctore exaratus est fide digno, qui veritatem et scire potuit et dicere voluit, saltem quoad substantiam facti; nam error aliquis quoad circumstantias minoris momenti etiam historiographo fide dignissimo contingere potest. Manifestum porro est, auctoritatem historicam maxime a secunda et tertia conditione pendere; nam liber aliquis fide dignus esse potest, etiamsi non sit genuinus fetus illius auctoris, cuius nomen praesefert.

**Propositio.** *Libri novi Testamenti authentici sunt.* 114

Omnes enim characteres, quibus aliorum librorum authenticitas probatur, immo plures militant etiam pro libris sacris eosque genuinos, integros et veraces esse demonstrant.

1. Sunt *genuini*. Id patet ex vetustissimis codicibus, qui ad saeculum 4., et ex versionibus, quae ad finem 1. saeculi pertingunt; ex mille et amplius vetustissimis manuscriptis; ex antiquissimis scriptoribus ecclesiasticis inde a *Clemente Rom.*, *Papia*, *Ignatio M.*, *Polycarpo*, *Iustino*, *Theophilo Antioch.*, *Irenaeo*, *Tertulliano* etc.; ex pervetustis apocryphis, quae Evangelia iam supponunt; ex testimoniis haereticorum et paganorum e. g. *Celsi*; maxime vero ex testimoniis Ecclesiae, quae summa sollicitudine sacros libros tamquam pretiosissimum thesaurum semper custodivit. Hinc iam *Irenaeus*<sup>1)</sup> scribit: «Tanta est autem circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis aggrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam.» *Augustinus*<sup>2)</sup> vero contra Faustum, qui primus ex futilibus rationibus internis genuinitatem librorum N. T. impugnavit, indignabundus exclamavit: «Infelices inimici animae vestrae, quae unquam litterae ullum habebunt pondus auctoritatis, si evangelicae, si apostolicae non habebunt? De quo libro certum erit cuius sit, si litterae, quas Apostolorum dicit et tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est?»

2. Sunt *veraces*. Veracitas namque libri a scientia et veracitate scriptoris pendet. Atqui Apostoli et evangelistae, 115

<sup>1)</sup> Adv. haer. 1. 3 c. 11 n. 7.

<sup>2)</sup> Contr. Faust. 1. 33 c. 6.

qui in quatuor Evangeliiis aliisque libris sacris de Christo scripserunt, revera scire potuerunt quod testantur, et testari voluerunt quod sciebant.

a. *Scire potuerunt, quod testantur.* Sane obiectum huius testimonii sunt *facta* et *verba* Christi. Apostoli autem imprimis *facta* certe sciebant; cum ipsi magna ex parte testes oculati essent, et sensus sani sufficerent ad apprehendenda gesta tam illustria, ut erant miracula Christi. *Verba* autem Domini simplicia erant et ad captum hominum rudium accommodata: *sine parabola autem non loquebatur eis* (Marc. 4, 34). Ex altera vero parte haec verba doctrinam tam sublimem continebant atque indolem et gustum non solum rudium piscatorum, sed omnium ludaeorum adeo excedebant, ut teste ipso incredulo *Rousseau*<sup>1)</sup> magis admirandus fuisset inventor quam heros. Vere ergo de se dicere potuerunt Apostoli: *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis* (I Ioan. 1, 3; cf. Luc. 1, 2; II Petr. 1, 16).

b. *Testari voluerunt, quod sciebant.* Ars critica enim sequentia indicia statuit, ex quibus testium veracitas dignoscitur: α) Factum maioris momenti; β) testium multitudo ac diversa indoles et studia; γ) testium probitas et gravitas; δ) testium uniformitas et constantia saltem quoad facti essentiam; ε) commoda et incommoda ex testimonio exspectanda; ζ) denique quaedam alia adiuncta, e. g. si factum narretur coram iis, qui mendacium deprehendere et redarguere possunt etc. Quo plures eiusmodi conditiones testimonium aliquod circumdant ac muniunt, eo maior erit illius certitudo, quae quandoque tanta est, ut in metaphysicam transeat.<sup>2)</sup> — Atqui α) *factum* seu historia Christi, quam Apostoli testantur, est factum tam *grande* tantique momenti, ut salus aeterna totius generis humani inde dependeat. β) *Tempus*, in quo vita Christi cadit, non est epocha mythica, de qua nulla certa monumenta habentur; sed est tempus determinatum, notum, apprime historicum sub imperatoribus Rom. *Augusto* et *Tiberio*. γ) *Locus*, quo res gestae sunt, non est «angulus» quidam obscurus (Act. 26, 26), sed

<sup>1)</sup> Emil. t. 3 l. 4.

<sup>2)</sup> Cf. Egger, Propaed. n. 185.

pagi, castella et oppida Iudaeae, maxime celeberrima urbs Hierosolyma. Nec in occulto Christus locutus est, sed *in publico*, saepe coram ingente multitudine, coram infensissimis hostibus. Praeterea δ) *testes* fuerunt innumeri diversaeque indolis, praecipue Apostoli homines *simplices, sinceri et probi*, qui talia nec fingere potuissent nec voluissent. Talia enim narrant, quae ex una parte sunt plane inaudita ob mysteriorum profunditatem, doctrinae sapientiam, sanctitatis sublimitatem; ex altera parte narrant talia, quae Iudaeorum opinionibus sunt plane contraria, cupiditatibus adversa, sibi et magistro ignominiosa. ε) Tantum demum abest, ut commodum inde reportent, ut persecutiones acerbissimas mortemque cruentam et ignominiosam inde subire cogantur. ζ) Quo vero effectum haec narrant? Eo, inquam, effectum, ut totus mundus inde christianus effectus sit. Profecto! quicumque libris impostorum talem effectum tribuit, is admittere debet effectum maiorem sua causa, et sic etiam principium metaphysicum indirecte impetit.

Concludimus ergo, si Evangeliiis fides historica denegatur, omnibus historiis a fortiore deneganda esset. Unde s. *Augustinus*<sup>1)</sup> contra detractores ss. litterarum indignatus exclamat: «Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? quid ista voce impudentius? quid audacius? quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium litterarum summa perversio, et omnium, qui memoriae mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiae quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Postremo quid de scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionemque profertur?»

*Antilogias*, quas adversarii Evangeliiis obiiciunt, biblicis solvendas relinquimus. Non possumus tamen nos cohibere, quin responsionem *Augustini* ad huiusmodi antilogias a Fausto obiecta transscribamus:<sup>2)</sup> «Sed contraria, inquit, inter se

<sup>1)</sup> De morib. Eccl. l. 1 c. 29 n. 60.

<sup>2)</sup> Contr. Faust. l. 33 c. 7.

scripta eorum reperiuntur. Maligni malo studio legitis, stulti non intelligitis, caeci non videtis. Quid enim magnum erat, ista diligenter inspicere et eorundem scriptorum magnam et salubrem invenire congruentiam, si vos contentio non perverteret, et si pietas adiuicaret. Quis enim unquam duos historicos legens de una re scribentes, utrumque vel utrumlibet eorum aut fallere aut falli arbitratus est, si unus eorum dixit, quod alius praetermisit; aut si alter aliquid brevius complexus est, eandem tamen sententiam salvam integramque custodiens, alter autem tamquam membratim cuncta digressit, ut non solum quid factum sit, verum etiam quemadmodum factum sit intimaret?»

- 116 3. *Incorrupti ad nos pervenerunt.* Sane si libri prae-  
laudati corrupti fuissent, id vel viventibus adhuc Apostolis  
vel post eorum obitum fieri debuit. Atqui primum impos-  
sibile fuit, quia Apostoli certe reclamassent. Secundum quo-  
que absurde supponitur; «quisquis enim, inquit *Augusti-  
nus*,<sup>1)</sup> hoc primum ausus esset, multorum codicum vetu-  
stiorum collectione confutaretur, maxime quia non una lin-  
gua sed multis eadem Scriptura contineretur.» Certe si consi-  
deres, quantam isti libri habuerint publicitatem, quantam  
ubique terrarum auctoritatem, quot codicibus consignati, in  
quot linguas versi fuerint, facile consenties s. Augustino as-  
serenti (l. c.), «nihil impudentius dici vel incuriosius, vel  
imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas».<sup>2)</sup>

Frustra vero oggerunt adversarii innumeras *lectiones  
variantes*; quippe cum istae variantes non circa factorum et  
doctrinae substantiam, sed circa adiuncta dumtaxat acciden-  
talia et minoris momentiprehendantur. Hoc autem in om-  
nibus vetustis libris, qui in pluribus manuscriptis et versi-  
onibus prostant, contingit, nec quisquam inde eorum auc-  
toritatem imminutam existimat; immo vero huiusmodi dis-  
sonantia in circumstantiis accidentalibus, stante uniformitate  
testimonii in rebus substantialibus, inter praecipua argu-  
menta veracitatis recensetur a criticis. Et profecto, sine in-

<sup>1)</sup> Contra Faust. l. 32 c. 16.

<sup>2)</sup> Augustinus ep. 71 ad Hieronymum narrat, quam ingens  
tumultus excitatus fuerit in plebe, quod Hieronymus in libro Iona  
loco „*cucurbitam*“, ut Septuaginta legunt, verterit „*hederam*“.

signi miraculo fieri non potuit, quin decursu saeculorum, typographia nondum inventa, incuria aut inscitia amanuensium ac interpretum levia quaedam menda in rebus minoris momenti irrepserint.

**Corollarium.** Similibus argumentis etiam auctoritas librorum antiqui foederis demonstratur; quod circa Pentateuchum superius (106) breviter probavimus. Praesertim vero ipsi Iudaei optimi testes sunt veritatis s. Scripturae A. T. et per consequens religionis christianae. Unde pulcherrime observat s. *Augustinus*:<sup>1)</sup> «Dispersi sunt (Iudaei) per omnes gentes nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Iudaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere, prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos Christiani illas composuimus et cum Evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas, per quos praedictum videretur, quod praedicamus, hinc eos convincimus; quia omnes ipsae litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Iudaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Iudaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. Codicem portat Iudaeus, unde credat Christianus.» 117

## II.

### Testimonia ecclesiastica.

Singillatim ea recensere superfluum et impossibile est. 118 Omnia siquidem scripta Patrum et Doctorum Ecclesiae, haereticorum etiam volumina, omnia templa et infinita promodum monumenta artis priscorum temporum, totus cultus totaque vita christiana, maxime ipsa Ecclesia catholica, quae est *civitas supra montem posita et signum levatum in nationes* (Matth. 5, 14; Is. 11, 12): haec omnia, inquam, sunt totidem testimonia luce clariora pro existentia historica Christi et pro divina eius missione, ita ut vere dici debeat: *testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps. 92, 5). Sicut ab existentia mundi ad existentiam Dei creatoris, ita ab

<sup>1)</sup> In Ps. 56 n. 9.

existentia Ecclesiae ad existentiam Christi fundatoris necessario concluditur. Christus est verus ille sol, de quo scriptum est: *A summo coelo egressio eius; et occursus eius usque ad summum eius; nec est, qui se abscondat a calore eius* (Ps. 18, 7).

### III.

#### Testimonia profana.

119 Hoc titulo reliqua omnia testimonia subsumimus, tum *Iudaeorum* tum *ethnicorum*. Praecipua indigitamus:

1. Celeberrimum est testimonium *Iosephi Flavii* († 94 post Christum):<sup>1)</sup> «Fuit autem hoc tempore Iesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Iudaeis, plurimos ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus (ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν). Cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinerunt qui primum coeperant, nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates haec aliaque quam plurima admiranda de eo praedixissent.» Genuinitatem huius testimonii frustra quidam impetere conantur, cum omnes codices antiqui textum citatum habeant, scriptoresque antiquissimi Eusebius, Sozomenus, Hieronymus, Isidorus Pelusiota aliique ad illum provocent, argumenta quoque interna id exigant. Quomodo enim historiographus, qui historiam Iudaeorum scripsit, de Iesu, Iudaeo illius temporis certe celeberrimo, silere potuit? praesertim cum Iosephus Ioannem Baptistam et Iacobum (τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ) commemoret?<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Antiquit. Iud. l. 18 c. 3 n. 3.

<sup>2)</sup> Hodiedum tres sententiae hac de re existunt. Sunt qui defendant genuinitatem verborum Iosephi, quae nunc in textu graeco leguntur (F. Kaulen, H. Hurter, F. C. Burkitt, K. A. Kneller, A. von Harnack, A. Seitz etc.); sunt qui totum textum habeant pro spurio et a christianis intruso (M. J. Lagrange, P. Batiffol, E. Schürer, K. Linck, E. Norden aliique); sunt qui admittant interpolationem christianam vario gradu et ambitu factam (S. Reinach, F. Asmussen, H. Felder, R. G. Götz, W. Weber etc.). Cf. de his controversiis Dieck-

2. Magni momenti est etiam testimonium *Taciti*:<sup>1)</sup> «Abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocitas aut pudenda confluent celebranturque. Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contexti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.»

3. *Suetonius*<sup>2)</sup> dicit: «Iudaeos, impulsore Christo, assidue tumultuantes (Claudius) Roma expulit.» Et de Nerone (c. 16.) ait: «afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae.»

4. *Plinius* ad Traianum scribit:<sup>3)</sup> «In iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogavi ipsos, an essent Christiani. Confitentes iterum et tertio interrogavi, supplicium minatus; perseverantes duci iussi.» De aliis qui Christum negabant, scribit: «Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpaе suae vel erroris: quod essent soliti stato die ante lucem convenire, *carmenque Christo quasi Deo dicere* secum invicem; seseque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua haec taerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex

---

mann, De revelatione christiana pag. 375—378, 381—387; H. Felder, Jesus Christus II. 3. ed. pag. 307—311; Brunsmann, Lehrbuch der Apologetik I. pag. 263—269.

<sup>1)</sup> Annal. I. 15. c. 44.

<sup>2)</sup> Claud. c. 25.

<sup>3)</sup> Ep. 10 n. 97.

duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam; ideoque dilata cognitione, ad consulendum te decucurri. Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa et sacra solemnia diu intermissa etc.»

5. Accedunt testimonia *Celsi, Porphyrii, Photini, Hieroclis* aliorumque auctorum paganorum. Liber denique *Talmud* Iudaeorum traditiones de Christo, licet foede deformatas, tamen satis perspicuas exhibet; immo ipsa *gens Iudaica* cum ingenua sua rabie in Christum est testis viva et perrennis eiusdem.<sup>1)</sup>

**Corollarium 1.** *Tantam habentes impositam nubem: testium* (Hebr. 12, 1) merito ridemus hypothesim recentiorum rationalistarum, qui historiam de Christo *mythis* adscribere non erubescunt. Christus historicus iuxta *Strauss* nil aliud fuit, ac sapiens quidam Rabbini, quem discipuli eius, congestis et in unum conflatis ethnicis fabulis et iudaicis traditionibus, in hominem idealem immo in deum visibilem sublimarunt. Similiter *Renan*, licet historiam evangelicam de Christo, quatenus facta naturalia refert, admittat, miracula tamen omnesque res supernaturales de Christi persona et doctrina, vel ut fabulas reiicit vel modo naturali explicat. Immo novissime *Drews* ulterius progressus ipsam Iesu Christi personam negavit, eumque nunquam exstitisse, sed merum figmentum mythicum esse affirmat.<sup>2)</sup> Dixi praefatam hypothesim rationalisticam ridendam esse, ut patet: α) ex eius *novitate*. Eccur enim commoda haec et radicalis obiectio, scilicet historiae Christi negatio, ex innumeris acerbis-

<sup>1)</sup> Cf. Seitz, Christuszeugnisse aus dem klassischen Altertum (Köln 1906).

<sup>2)</sup> Cf. Felder, Jesus Christus, Apologie seiner Messianität und Gottheit gegenüber der neuesten ungläubigen Jesus-Forschung. Bd 1 Das Bewußtsein Jesu S. 79 f. (ed. 3. Paderborn 1923).

simisque Christi hostibus nemini per tot saecula in mentem venerat?  $\beta$ ) Ex eius *gratuitate*; quippe quae omni argumento historico careat, ac mere ad arbitrium conficta sit.  $\gamma$ ) Ex eius *absurditate*, cum Christus rationalistarum non esset vir sapiens multoque minus homo idealis.  $\delta$ ) Ex *numero et indole testium*, quorum relationi historia Christi innititur. Vide superius dicta (112 sqq, praesertim 115, b).  $\epsilon$ ) Ex *effectibus ingentibus* in toto mundo morali productis, qui Christo, qualem Strauss vel Renan sibi fingunt, adscribi nequeunt, quin ipsum principium rationis sufficientis negetur. Quod multo magis valet de iis, qui cum Drews ipsam personam Christi negare immensumque Christianismi aedificium personae non existenti, idest non enti superstruere non erubescunt. — Concludimus ergo, maiore probabilitate Alexandri M. vel Iulii Caesaris existentiam ac bella ab ipsis gesta, quam Christum divinamque eius missionem in dubium vocari: neque inepte rationalistis *Christum mythicum* obtrudentibus apologetae christiani *Napoleonem mythicum* opposuerunt.

**Corollarium 2.** Hypothesis *evolutionis* sic dictae scholae *historicae criticae*, alio magisque subdolo modo Christi historiam pervertit.<sup>1)</sup> Concedunt equidem, Evangelia genuina esse et fide digna eaque primo saeculo aerae christianae conscripta fuisse. Contendunt autem, Evangelistas non scripsisse historiam eorum, quae Christus reipsa fecit et docuit, sed narrasse id, quod tunc temporis christiani de Christo sentiebant. Videlicet Iesus Evangeliorum iuxta hos auctores non esset verus Iesus *historiae*, sed Iesus legendarius *fidei*.<sup>2)</sup> — Hoc commentum nititur  $\alpha$ ) falso supposito philoso-

<sup>1)</sup> Haec schola fundata a theologo protestantico Ritschl († 1889), habuit antesignanum praecipuum Adolfum v. Harnack (Wesen des Christentums), assecclas plurimos inter modernistas, praesertim Loisy.

<sup>2)</sup> «Die Erbaulichkeit war für sie der Maßstab der Glaubwürdigkeit... Nicht den Iesus, wie er wirklich war, sondern den Christus, wie er dem Herzen seiner Gemeinde erschien, wie die Gläubigen ihn brauchten, haben sie — natürlich ohne von der Möglichkeit solch eines Gegensatzes etwas zu ahnen — beschrieben.» Iülicher, Einleitung in das Neue Testament, 5. u. 6. Aufl. (Tübingen 1906) S. 327.

phico Agnosticismi, vi cuius Deus nequit esse obiectum rationis, quippe quae phaenomenis omnino includatur; sed est tantummodo obiectum fidei seu sensus religiosi. Ex quo deducunt, in homine Iesu, cui entusiasmus fidelium addidit elementum divinum, secernendum esse utrumque elementum, atque a Christo historico demendum, quod per «transfigurationem et defigurationem» fidelium additum fuit. Immo in ipso elemento historico «factorum logica», ut aiunt, id omne eliminare iubet, quod circumstantiis personae, loci, aetatis etc. non convenit. Sic tandem Christus historicus talis erit, quem ipsi volunt. «Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere: quidquid vero paribus in adiunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt.»<sup>1)</sup> Refutationem istorum philosophematum philosophis relinquimus. β) Hypothesis proposita etiam in se prorsus gratuita immo falsa est. Evangelistae enim manifesto describere volunt historiam Christi, et non historiam fidelium Christi, ut patet ex tota indole Evangeliorum. Sic e. g. Lucas in ipso suo exordio (1, 1 sqq) scribit: «Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum... visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.» Nonne evidenter his verbis exprimitur, Evangelistam non velle narrare fidem Theophili aliorumque christianorum coaevorum, sed e contrario fidem eorum confirmare voluisse ex historia ipsius Christi, quam post sedulam inquisitionem testium fideliter narraturus esset. Neque de entusiasmo tantum loquuntur Evangelia, quo Christus excipiebatur, sed de contradictionibus etiam scandalisque non solum ex parte adversariorum, sed haud raro etiam ex parte discipulorum. γ) Tempore, quo Evangelia in lucem prodierunt, superstites adhuc erant haud pauci coevi inimicissimi Christi, qui si vera non fuissent, quae ab Evangelistis narrabantur, certe reclamassent. δ) Tandem data licet non concessa hypothesi oppositionis inter Iesum historicum et Iesum fidei explican-

---

<sup>1)</sup> Enc. «Pascendi», Denzinger 2096. 2072. 2076. Cf. Egger, Ench. Dogm. spec. n. 7.

dum semper remanet, quomodo fides in Christum Deum totaque religio christiana oriri, conservari et propagari potuit, si Christo fidei non respondet Christus historiae. Nonne insaniebant homines illius temporis, si Iesum, in quo nihil divini agnovit historia, sic de repente ut Deum habebant et pro eo mori non dubitabant?<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### De vaticiniis messianis.

**Thesis 29.** *Inde ab exordio Deus homini lapso Salvatorem (Messiam) promisit, ipsius ideam saeculorum decursu magis magisque delineavit eiusque adventum ita praeparavit, ut universalis esset non solum Iudaeorum, sed et gentium exspectatio futuri Salvatoris.*<sup>2)</sup> 120

Laetissima Salvatoris promissio, quae protoevangelium merito dicitur, ita sonat (Gen. 3, 15): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa (hebr. ipsum) conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius.* Rationalistae hunc locum de naturali aversione hominum contra serpentes explicant: sed inepte. Sententia divina enim non contra serpentem naturalem, qui certe loqui non potest, sed contra serpentem spirituales i. e. contra diabolum, qui sub larva huius animalis Evam seduxerat, lata fuit. Porro poena diabolo intentata haec est, ut ipse, qui mulierem vicerat, a muliere iterum per unum ex eius posteris vinceretur. Victoria autem de diabolo manifeste in eo consistere debet, ut ruina spiritualis, quam ipse generi humano intulit, vindicetur hominique bona ablata restituantur.

<sup>1)</sup> Cf. Felder, *Iesus Christus* I ed 3. pag. 81—85. Optime dicit Esser (*Iesus Christus. Vorträge auf dem Hochschulkurs zu Freiburg* i. Br. 2. Aufl. Freib. 1911 S. 377): «Hinter dem biblischen Iesus, dem vom Glauben des Urchristentums übermalten Iesus, schafft man sich einen leeren Raum, füllt diesen mit einigen Behauptungen aus und das Resultat nennt man den ‚historischen‘ Iesus.

<sup>2)</sup> Adaequatam vaticiniorum expositionem eorumque vindicias biblicis et apologetis relinquimus. Cf. e. g. Reinke, *Die messian. Weissagungen bei den großen und kleinen Propheten*, 4 Bd (Gießen 1859 ff); idem, *Die messianischen Psalmen*, 2 Bd (1857 f).

Promissio igitur triumphi de diabolo per unum ex posteris Adae perinde valet, ac *promissio Salvatoris seu Messiae*. De Messia hunc celeberrimum locum Genesis non solum intellexerunt Patres, sed ipsi Iudaei, ut tres paraphrases antiquissimae Pseudo-Ionathani, Oncelosi et hierosolymitana testantur.<sup>1)</sup> Pugna et victoria seminis mulieris, quae in *capite* s. Scripturae praedicta fuit, in *fine* illius ut factum completum exhibetur (Apoc. c. 12): *Et signum magnum apparuit in coelo; mulier amictu sole... et in utero habens. Et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura... Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocabatur diabolus et satanas.* — His breviter praelibatis uberius ostendemus, quomodo *idea* Messiae a prophetis expressa eiusque imago novis successive additis lineamentis et coloribus velut depicta fuerit.

121 1. In primis itaque *genus* designatur ac magis magisque determinatur usque ad ipsam benedictam Salvatoris matrem.

a. In protoevangelio enim iuxta dicta Messias ex *genere humano* promittitur. In benedictione noachica (Gen. 9, 26 sq) *ramus* huius stipitis adumbratur: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus eius. Dilatet Deus Iaphet et habitet in tabernaculis Sem;* benedictio videlicet generis humani a Sem auspicabitur et in Iaphet transferetur. «Ex Sem enim, inquit *Cornelius a Lapide* (i. h. l.) post Hieronymum, Chrysostomum aliosque, orti sunt Iudaei et Christus, qui primi habuerunt Dei templum, cultum et Ecclesiam, in quam deinde gentiles transtulit Christus, ex utriusque faciens unam Ecclesiam, eiusque amplitudinem et caput ex Sem, idest ex Ierusalem et Iudaeis, in Iaphet i. e. Romam et gentiles transtulit.»

b. In promissionibus, quas Deus Abraham, Isaac et Iacob dedit, iam designatur *gens*, ex qua Messias oriturus esset, scilicet gens Iudaeorum: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* (Gen. 22, 18; cf. 26, 4; 28, 14). Ergo non solum posterii carnales Abrahae i. e. Iudaei, sed *omnes gentes* in ipso benedicentur. Atqui haec benedictio nulla alia

<sup>1)</sup> Cf. Kaulen-Hoberg, Einleitung i. d. hl. Schrift 5. Aufl. n. 131 ff (Freiburg 1911).

esse potest, quam benedictio spiritualis, scilicet reparatio hominis lapsi. Salvator ergo ex semine patriarcharum i. e. ex natione Iudaeorum erit. Idem continetur in celebri vaticinio *Balaam* (Num. 24, 17): *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel* etc.

c. Porro Iacob moribundus *tribum* indigitat, ex qua Messias descenderet (Gen. 49, 8—10; cf. Apoc. 5, 5): *Iuda, te laudabunt fratres tui... Catulus leonis Iuda... Non auferetur sceptrum de Iuda* etc. De qua prophetia statim uberius.

d. Designatur *familia*, ex qua procreandus esset Messias: *Orietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet* (Is. 11, 1); *et: Ecce dies veniunt et suscitabo David germen iustum... et hoc est nomen quod vocabunt illum: Dominus iustus noster* (Ier. 23, 5 sq.; cf. II. Reg. 7, 13 sq). Unde sciscitante Christo: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David* (Matth. 22, 42).

e. *Mater* denique praedicatur celeberrimo vaticinio *Isaiae* (7, 14): *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel.*<sup>1)</sup> Hoc loco de Messia eiusque virgine matre sermonem esse, liquet: α) Quia hic filius vocatur *Emmanuel* i. e. nobiscum Deus (cf. Is. 8, 8), et *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis* (ib. 9, 6). β) Quia domui Davidis promittitur signum extraordinarium, ex quo liberatio ab hostibus, qui exitium familiae davidicae minabantur, certo constet. Hoc signum est: *virgo* (ha alma i. e. virgo abscondita, quae nunquam aspectibus virorum patuerat), quae est virga ex radice Iesse, hunc florem scilicet Emmanuelem paritura est. γ) Quia non solum Matthaeus (1, 22 sq) et interpretes christiani hunc locum ita intellexerunt, sed etiam veteres Iudaei, immo et gentiles partum virgineum Messiae expectabant.<sup>2)</sup>

2. Praedicatur *tempus adventus*. a. Iacobus enim patriarcha morti proximus benedicens Iudae ait (Gen. 49, 10):

<sup>1)</sup> De occasione huius prophetiae cf. Haneberg l. c. S. 301 f.

<sup>2)</sup> Huetius, *Demonst. evang. prop.* 9 c. 9 § 4; Perrone, *Praelect. theol.* t. 6 p. 2 c. 2 prop. 2; cf. etiam meam *Dogmat. spec.* n. 320.

*Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est (Schiloh), et ipse erit expectatio gentium.* In hoc vaticinio: α) nomine «Schiloh» non potest alius intelligi quam *Messias*. Id patet tum ex ipsis verbis: quis enim alius dici potest antonomastice «mittendus», ὁ ἐρχόμενος, expectatio gentium; tum ex constante traditione veterum Iudaeorum; tum ex diversis paraphrasis antiquis, quae voci «Schiloh» expresse addunt «Messiam»; tum demum et maxime ex constante interpretatione Patrum.<sup>1)</sup> ρ) Indicium *adventus* Messiae hoc praedicitur, quod usque ad illum non auferetur sceptrum et dux de Iuda i. e. principatus seu autonomia de tribu Iuda. In quo duo continentur: scilicet usque ad adventum Messiae sceptrum de Iuda non auferri, postea vero auferri. Primum indicium est certum nec aliter verba intelligi possunt; de altero indicio dubitari potest, eo quod particula *donec* exprimit quidem necessario continuationem rei usque ad certum tempus, non vero eius finem adveniente hoc tempore. Sensus ergo vaticinii certe est is, sceptrum de Iuda usque ad Messiam non auferri; non vero necessario is, illo adveniente sceptrum auferri (cf. Ps. 109, 1; Matth. 1, 25). Nihilominus longe probabilior nobis videtur sensus posterior; tum quia *donec* communius significat id, quod antea factum non est, postea factum esse; tum quia omnes Patres et veteres interpretes hoc vaticinium ita intellexerunt; tum quia reapse, ut postea videbimus, Christo adveniente sceptrum materiale et temporale de Iuda ablatum et in sceptrum spirituale et aeternum commutatum fuit.

**b.** Longe clarius, paene ad instar historiographi, Daniel hoc tempus determinavit celeberrimo vaticinio (9, 24 sqq): *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et propheta et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et animadvertite:*

<sup>1)</sup> «Schiloh» nonnulli derivant a radice *schil*, alii a *schala*, alii a *schelloh*, et pro diversa derivatione «schiloh» interpretantur ut «semen» (Iudae) catexochen, vel ut «regem pacificum», vel ut eum, «cuius est» i. e. sceptrum.

*ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Duo in hoc vaticinio certissima sunt: α) Agitur de Messia, ut tum ex eius nominibus tum ex effectibus adventus eiusdem apparet. Dicitur enim antonomastice Christus (hebr. Maschiach), dux, sanctus sanctorum, in cuius adventu consummabitur praevaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas et adducetur iustitia sempiterna, prophetiae antiqui foederis implebuntur eiusque sacrificia cessabunt, et novum foedus inaugurabitur. In quem vero, quaeso, alium haec quadrant, nisi in solum Messiam? β) Praedicatur *definita epocha* cum certo initio, fine et determinatis segmentis, in quibus adventus, vita et mors Messiae, aedificatio et finale urbis Ierusalem gentisque Iudaicae excidium decurrent. Tota epocha componitur septuaginta hebdomadibus, quarum unaquaeque *septem annis* constat. Nequeunt enim hoc nomine intelligi hebdomades ordinariae dierum; quia intra spatium 17 mensium impleri non poterant ea omnia, quae de aedificatione urbis et de Messia dicuntur, et nemo somniavit, Messiam tempore Danielis venisse. Neque etiam cum rabbinis modernis hebdomades iubilaeorum aut saeculorum intelligi possunt; tum quia hoc est plane gratuitum et contra usum Scripturae, tum quia urbis templique excidium in hac hypothesi longe posterius accidere debuisset, ac revera accidit. Relinquitur ergo, ut hebdomas Danielis pro septenniis accipiat, quod usui Scripturae optime congruit (cf. Gen. 29, 27; Lev. 25, 8; 26, 34—43), et antiquorum Iudaeorum interpretatione firmatur.

c. Tertium est vaticinium Aggaei (2, 7 sqq): *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram et*

*mare et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hoc porro vaticinium messianum esse, affirmat Paulus (Hebr. 12, 26), concedunt rabbini, et clarescit ex ipso textu. Iudaeorum enim senes ex captivitate babylonica reduces valde moerebant, quod templum secundum tantum distaret a templo salomonico, cuius gloriam et magnificentiam adhuc viderant. Quos consolatur propheta dicens, longe maiorem futuram gloriam secundi templi prae priore, eo quod *desideratus gentibus*, qui profecto alius esse nequit quam Messias, sua praesentia domum istam gloria implebit et pacem dabit. Exinde ad determinandum tempus adventus Messiae conclusio deducitur magni momenti, scilicet Messiam venturum esse *ante excidium templi et urbis Ierusalem.*

- 123 3. Praedicitur *locus nativitatis* apud Michaeam (5, 2): *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis* etc. Hoc vaticinium tam clarum fuit, ut Magis et Herodi sciscitantibus, ubi Christus nasceretur, principes sacerdotum et scribae incunctanter responderent: *In Bethlehem Iudae; sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* (Matth. 2, 5. 6; Ioan. 7, 42).

4. Praedicitur totum quodammodo *vitae curriculum* Messiae cum adiunctis omnino singularibus. Sic stellae apparitio in eius nativitate: *Orietur stella ex Iacob* (Num. 24, 17). — Eius praecursor: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam* (Mal. 3, 1; cf. Is. 40, 3). — Fuga in Aegyptum: *Ex Aegypto vocavi filium meum* (Os. 11, 1). — Infantium caedes (Ier. 31, 15; cf. Matth. 2, 18). — Paupertas Messiae: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea* (Ps. 87, 16). — Mansuetudo: *Ecce servus meus; suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi Spiritum meum super eum, iudicium genti-*

*bus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam; nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet; in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus* (Is. 42, 1—4; cf. Matth. 12, 18). — *Miracula: Deus ipse veniet et salvabit vos... Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* (Is. 35, 4 sqq; cf. Matth. 11, 1 sqq).

5. Praedicitur *munus*; scilicet Messias pacturus est foedus novum, non cum singulari populo sed cum universo genere humano, cuius erit doctor, salvator et legislator. Legimus enim (Ier. 31, 31 sq): *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Iuda foedus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum* (cf. ib. 31, 27; Mal. 1, 10 sqq); et (Is. 55, 4; cf. 42, 1): *Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus; iterum* (62, 1. 2): *Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Iustus eius et Salvator eius ut lampas accendatur. Et videbunt gentes Iustum tuum et cuncti reges inclytum tuum.* 124

6. Praedicitur *dignitas* Messiae. Erit enim rex: *Exultabis, filia Sion... Ecce rex tuus veniet tibi iustus et Salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinae... et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae* (Zach. 9, 9. 10; cf. Dan. 2, 44); et (Ps. 2, 6): *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* — Sacerdos: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Ps. 109, 4). — Legislator, Propheta, Salvator, ut constat ex vaticiniis prius citatis. — Immo Messias satis clare praedicitur ut filius Dei et verus Deus; dicitur enim *Emmanuel i. e. nobiscum Deus* (Is. 7, 14); *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis* (ib. 9, 6); et (Ps. 2, 7): *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; et (Ps. 109, 3): *Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* (cf. Ps. 44, 7 sq).

7. Maxime praedicitur *passio et mors* cum omnibus 125

suis circumstantiis: Ingressus triumphalis in Ierusalem (Zach. 9, 9). — Proditio Iudae: *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos; magnificavit super me supplantationem* (Ps. 40, 10). — Eius venditio: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatum sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et proieci illos in domum Domini* (Zach. 11, 12 sq). — Desertio suorum: *Percute pastorem, et dispergentur oves* (Zach. 13, 7). — Contumeliae ipsi irrogatae, ac mansuetudo, qua illas pertulit: *Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum* (Ps. 21, 7—9). Et: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* (Is. 50, 6). Item: *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet* (Is. 53, 7). — Condemnatio et cruxifixio: *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est* (Is. 53, 12); et: *Concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (Ps. 21, 17 sq). — Fel et acetum, quo potatur: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (Ps. 68, 22). — Sors missa in vestes eius et quaedam aliae circumstantiae mortis: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (Ps. 21, 19); *Os non confringent* (Num. 9, 12); *Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua* (Is. 53, 9); *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum* (Is. 11, 10).

8. Praedicitur resurrectio et exaltatio: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne* (Os. 13, 14; cf. I. Cor. 15, 55); et: *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (Ps. 15, 10; cf. Act. 2, 31). Et: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit; et in conspectu eius obtulerunt*

*eum. Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient (Dan. 7, 13 sq).*

9. *Conversio gentium: Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam, in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino... Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus (Is. 66, 18 sqq). Rursus (2, 2 sq): Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exhibit lex et verbum Domini de Ierusalem. Similia alibi passim.<sup>1)</sup>* 126

Concludo igitur: Praefata vaticinia, quae facillime augeri possent,<sup>2)</sup> in seipsis, maxime vero in suo complexu spectata tam clare atque signanter, tam copiose atque constanter, luce magis magisque crescente ac splendente ideam Messiae venturi exhibent, ut mirum non sit, non solum gentem iudaicam, cui immediate istae prophetiae dabantur, sed totum genus humanum, cui non potuerunt omnino ignotae permanere, Messiam venturum exspectasse. Et revera haec *exspectatio universalis* erat. Cum Ioannes Baptista in deserto suam praedicationem inciperet, miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent: *Tu quis es? ... Propheta (ὁ προφήτης) es tu?* (Ioan. 1, 21). Lucas narrat (3, 15): *Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse sit Christus (ὁ Χριστός) etc. Simeon erat exspectans consolationem Israel (ib. 2, 25), Anna prophetissa loquebatur de illo (Iesu) omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel*

<sup>1)</sup> Cf. Ps. 2, 8; 21, 28; 71, 8; Ier. 3, 17; 16, 19; Mich. 4, 1 etc.

<sup>2)</sup> Consule inter alios s. Chrysost. lib. Quod Christus sit Deus (Migne t. 1 pg. 682 sqq), ubi copiosissime ista vaticinia proponuntur et ad Christum applicantur.

(v. 38); Ioseph ab Arimathaea, synedrii membrum, *et ipse erat expectans regnum Dei* (Marc. 15, 43).<sup>1)</sup> Eadem universalis expectatio colligitur ex multis pseudomessiis, qui surrexerunt, denique ex variis traditionibus et mythis omnium ferme populorum (50).

- 127 **Scholion.** Ad vaticinia messiana etiam *typi* revocantur tum *personales* tum *reales*. — Praecipui *typi reales* sunt: agnus paschalis (Ex. 12, 5; I. Cor. 5, 7); manna (Ex. 16, 14; Ioan. 6, 31); hoedus emissarius (Lev. 16, 20 sqq); aqua de petra (Ex. 17, 6; I Cor. 10, 4); serpens aeneus (Num. 21, 8; Ioan. 3, 14); Sion et Ierusalem (Is. 28, 16; Hebr. 12, 22); arca testamenti, templum, sacrificia etc. (cf. libr. Lev. et ep. ad Hebr. per totum). Praecipui *typi personales* sunt: Adam (Rom. 5, 14); Noe (I Petr. 3, 20); Melchisedech (Ps. 109; Hebr. c. 5 et 7); Isaac (Gen. c. 22); Ioseph Aegyptiacus (Gen. cc. 37. 39—45); Moyses (Deut. 18, 15); David et Salomon passim; Ionas (Matth. 12, 39 sq); totus populus israeliticus (I Cor. 10, 6). Unde s. Augustinus:<sup>2)</sup> «Dico illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam; totumque illud regnum gentis Hebraeorum magnum quendam, quia et magni cuiusdam, fuisse prophetam.»

- 128 **Thesis 30.** *Praedicta vaticinia messiana: α) nec alio tempore quam tempore Christi; β) nec in alia persona quam in Christo; γ) utique vero in Iesu Christo ad amussim impleta, et sic ipso eventu ut vera vaticinia comprobata sunt.*

1. *Praefata vaticinia non ante Iesum Christum impleta sunt.*

Iuxta vaticinium *Iacobi* enim sceptrum usque ad adventum Messiae apud tribum Iuda permanere, postea vero, saltem si vaticinium iuxta sensum obvium et interpretationem Patrum<sup>3)</sup> intelligitur, a Iuda sceptrum auferri debuit. Atqui usque ad Iesum Christum reapse sceptrum apud Iudam permansit; licet non semper sub eadem regiminis forma. Usque ad captivitatem babylonicam enim sceptrum erat

<sup>1)</sup> Cf. Matth. 11, 3; Ioan. 4, 25.

<sup>2)</sup> Contr. Faust. l. 22 c. 24.

<sup>3)</sup> Cf. e. g. s. Chrysost. lib. Quod Christus sit Deus n. 3 (Mign. t. 1 p. 686).

penes reges ex familia David, qui fuit ex tribu Iuda. Post captivitatem babylonicam, licet non essent amplius reges ex tribu Iuda, nihilominus principatus apud eam remansit. Ad tribum Iuda enim pertinebat Ierusalem, quae erat et permansit metropolis reipublicae iudaicae; tribus Iuda sub se collegit tribum Benjamin et Levitas omnesque Iudaeos, qui post discessionem sub Roboamo remanserant. Cum igitur Machabaei, qui erant ex tribu Levi, dominarentur Iudaeis, sceptrum a Iuda non auferebatur, quia et ipsi quodammodo ad tribum Iuda pertinebant et ab illa in principes eligebantur. Hic status rei publicae iudaicae duravit usque ad Iesu Christi tempus, quo principatus iam ad Herodem alienigenam et ad Romanos transiit regnumque iudaicum magis magisque ad interitum vergere coepit, donec sub Tito Ierusalem subversa totusque populus dispersus est, ut ne umbra quidem sceptri penes tribum Iuda permanserit.<sup>1)</sup>

Manifestius adhuc ex Danielis vaticinio constat, Messiam non potuisse advenire *ante* tempora Iesu Christi, quippe quum iuxta dicta (122) septuaginta hebdomades de spatio minore quadringentorum annorum intelligi nequeant.

## 2. *Non post Christum impleta sunt.*

Iuxta saepe laudata vaticinia enim sceptrum usque ad adventum Messiae adhuc penes Iudam permanebit; Messias glorificabit templum praesentia sua ac populo Iudaico praedicabit, sed ab eo negabitur et occidetur, in cuius sceleris poenam civitas et sanctuarium dissipabitur. Atqui vix ac Iesus Christus a Iudaeis crucifixus fuerat eiusque Evangelium praedicari coeperat, Ierusalem destructa, templum funditus eversum, populus dispersus sceptrumque a Iuda penitus ablatum est. Messias ergo certissime saltem ante 18 saecula iam advenit, nec amplius expectari debet. — Haec maxime confirmantur ex universali expectatione Messiae non solum apud Iudaeos, sed etiam apud Samaritanos atque gentiles tempore Iesu Christi viventes. Confirmatur etiam ex tot pseudomessiis, qui illo tempore surrexerunt fidemque apud multos invenerunt (126).

<sup>1)</sup> Cf. Felten, Neutestamentliche Zeitgeschichte oder Judentum und Heidentum zur Zeit Christi und der Apostel. Bd 1 (Regensburg 1910).

130 3. *Ad amussim in Christo Iesu impleta sunt.*

a. Sane quod *tempus* attinet, iam negative ostendimus, illud nec antecedere nec subsequi posse epocham, in qua vixit Iesus Christus. Sed hoc positivis etiam argumentis constat. *Primo* enim impletum conspiciamus vaticinium *Iacobaeum*. Tempore enim Iesu Christi sceptrum sensu materiali et litterali ablatum est a tribu Iuda, sensu vero spirituali et sublimiore ei collatum est, iuxta illud: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (Luc. 1, 32 sq). — *Secundo*; hebdomades quoque *Danielis* ad amussim in Christo impletae sunt. Quamvis enim terminum, a quo computandae sunt istae hebdomades, praecise, et ut ita dicam, ad diem determinare difficile sit, atque reapse ab aliis aliter determinetur: hoc tamen argumenti substantiam non tangit. Sive enim hebdomades ab edicto Cyri, sive ab edicto Darii Hidaspis, sive a primo, sive, quod probabilius est, a secundo decreto Artaxerxis Longimani (anno regni eius vigesimo, scilicet circiter 454 ante Christum), computentur; in omni hypothesis inconcussum manet, quod prius probavimus, Messiam illa epocha venisse, qua vixit Iesus Christus. De ipso etiam, et de ipso solo verificatur, quod a populo suo negatus et occisus est, quod sub ipso defecit hostia, quod infra hebdomadem i. e. triennio suae praedicationis et quadrienio post suam mortem pactum suum confirmavit per conversionem multorum ex iudaismo et longe plurium ex gentilismo, quod denique dissipata est civitas ac sanctuarium, cuius desolatio usque adhuc perdurat, ita ut Iulianus apostata, qui Danielis vaticinium falsitatis arguere volens templum hierosolymitanum reaedicare suscipiebat, eius veritati nolens servire.<sup>1)</sup> — *Tertio*; ea etiam quae *Aggaeus* prophetavit de commotione coeli et terrae et gentium in adventu Messiae, nec non de gloria templi et de pace subsequutura, egregie conveniunt in Christum Iesum. Tunc enim, inquit *Augustinus*,<sup>2)</sup> Deus «movit coelum angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram

---

1) Cf. s. Augustin. contr. Faust. l. 12 c. 44.

2) De civit. Dei l. 18 c. 35.

ingente-miraculo de ipso virginis partu (et tot aliis, quae hunc sunt consecuta). Movit mare et aridam, cum et insulis et in orbe toto Christus annuntiatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem.» Praeterea Christus docuit in templo ipsumque implevit gloria sua, ipse in nativitate, in vita et morte se exhibuit ut principem pacis, pacem hominibus bonae voluntatis attulit, et sic ipso eventu ostendit se desideratum cunctis gentibus.

b. Vaticinia de *persona* Messiae pariter in Christo Iesu, in eoque solo et quidem perfectissime impleta sunt. Ad hoc probandum comparare sufficit prophetas cum Evangeliiis. Omnia namque, quae de familia, matre, loco nativitatis, infantia, de toto curriculo vitae, de qualitatibus et praerogativis, de munere, simul vero de humilitate Messiae, nec non de abiectioibus in vita et morte, ac tandem de gloria eius et conversione gentium praenuntiata sunt (121 sqq): omnia, inquam, tam exacte impleta videmus, ut vaticinia veluti exemplar se habeant, cui tota vita et mors Iesu Christi conformata est. Quare tum Christus tum Apostoli et evangelistae fidenter iterum iterumque ad ista vaticinia appellare Iudaeosque ad scrutandas Scripturas provocare eorumque incredulitatem ex propriis ipsorum libris convincere poterant.

c. Confirmatur nostra propositio ex desperatis Iudaeorum et rationalistarum hypothesebus, qui gratuito atque prorsus absurde vaticinium Iacobi ad Moysen vel ad Davidem vel ad Nabuchodonosorem aut ad Cyrum retulerunt; vaticinium Danielis vero vel de Agrippa iuniore, vel de Cyro, vel de Nehemia, vel de Antiocho Epiphane, vel denique de Alexandro M., de Seleuco II. aut IV. intellexerunt. Nempe isti fuerunt *sancta sanctorum, per quos finem accepit peccatum et adducta est iustitia sempiterna!!* Tandem Iudaei, cum insistentibus Christianis quid responderent non invenirent, diram imprecationem protulerunt in omnes, qui tempus de adventu Messiae scrutarentur. 131

Concludimus ergo thesim. Omnia indicia, ex quibus aliquam prophetiam ut veram et cognoscibilem demonstravimus (99), in vaticiniis messianis concurrunt. Praenuntiati sunt enim plurimi eventus remotissimi, post multa saecula

futuri, pendentes non ab una sed a quamplurimis causis liberis, determinati quoad tempus, locum aliaque minutissima adiuncta; praedicti sunt asseveranter, constanter maioreque semper claritate. Haec autem revera in Christo Iesu evenerunt tam mirabili consonantia inter prophetiam et historiam, ut nulla alia ratio sufficiens huius consonantiae esse possit, quam praescientia divina. Vaticinia ergo messiana *vera vaticinia* sunt et Iesum Christum ut *verum Messiam* demonstrant; quemadmodum et Apostolus dicit: *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est* (II Cor. 1, 20).<sup>1)</sup>

132 **Obiectio 1.** Vaticinia messiana clara non sunt, sed admodum obscura et dubia valde, ut ex variis eorum interpretationibus patet. — Resp. a. Imprimis falsum est, omnia vaticinia de Messia fuisse obscura. Quid e. g. clarius praedici potest, quam eius nativitas in Bethlehem, eius passio, mors, subsequens gloria et conversio gentium? Certe sacerdotes Iudaei minime dubiam putabant prophetiam de loco nativitatis, sed sciscitanti Herodi, ubi Christus nasceretur, incunctanter responderunt: *In Bethlehem Iudae: sic enim scriptum est per prophetam* etc. (Matth. 2, 5). Neque dubiam putabant prophetiam de ortu Messiae ex progenie David (Matth. 12, 23; 22, 42). Et sane si dubia fuissent vaticinia messiana, undenam fuit tunc temporis illa expectatio universalis ac constans omnium Iudaeorum, Samaritanorum, immo et gentilium? b. Difficultas et dissensio in interpretandis vaticiniis messianis non fuit circa *substantiam* istorum vaticiniorum, sed circa adiuncta accidentaliter. Talis autem difficultas facile explicatur ex ipsa natura vaticinii, quod plerumque velo variarum imaginum et symbolorum iuxta morem Orientalium involutum est. Hoc tamen velum per adimpletionem vaticinii aufertur.

**Obiectio 2.** Vaticinia sibi invicem repugnant, cum iuxta alia Messias humilis, pauper et abiectus esse perhibetur, iuxta alia vero gloriosus et magnificus. Unde plures Iudaei duos Messias venturos putarunt. — Resp. Neque vaticinia sibi contradicunt, neque duplicem Messiam admittere co-

<sup>1)</sup> Cf. Grimm, Das Leben Jesu, Bd 3 Kap. 6. (2. Aufl. Regensburg 1897), et Kirchenlexikon (Freiburg 1892) art. „Messias“ auctore Schanz.

gunt; sed duplicem tantummodo statum, abiectiois et exaltationis, praenuntiant, scilicet *eas quae in Christo sunt passionibus et posteriores glorias* (I Petr. 1, 11; cf. Luc. 24, 26 sq; Ps. 109, 7; Is. 53, 10 sq; Phil. 2, 8 sq).

**Obiectio 3.** Saltem non omnia vaticinia impleta sunt: puta quod Messias erit rex potentissimus, quod subiecturus sibi est omnes hostes pacemque dabit perpetuam et universalem, non solum inter homines, sed etiam inter bestias (cf. Is. 11, 6 sqq; 2, 4; 65, 25; Ps. 71 etc.). — Resp. Vaticinia non sunt impleta sensu materiali, quo ea intellexerunt Iudaei carnales, *Tr.*; sensu spirituali et sublimiore, qui erat intentus a prophetis, *Subd.*: ita tamen intelligenda sunt, ut ea omnia, quae nondum perfecte impleta sunt hucusque, certe impleantur in secundo Christi adventu, *Conc.*; ita ut vaticinium aliquod nec adimpletum nec adimplendum sit, *Nego*. Equidem Iudaei saltem plurimi iam *primum* adventum Messiae gloriosum regnumque temporale ab ipso expectarunt; sed in hoc errabant gravissime. Nonne Daniel aperte praedixit, futurum esse, ut Messias, deleta iniquitate et adducta iustitia sempiterna, a suis negetur et occidatur? Nonne praedictum est, Messiam atterendum esse propter peccata nostra et vulnerandum propter scelera nostra? Et similia quam plurima, quae omnia impleta sunt.<sup>1)</sup> — Interim non negamus, quaedam ex messianis vaticiniis nondum perfecte impleta, sed implenda esse in *secundo* Christi adventu.

### ARTICULUS III.

#### De ipsa Christi persona.

*Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege* (Gal. 4, 4). *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth* (Ioan. 1, 45). Examinemus ergo, utrum Iesus filius Ioseph a Nazareth revera sit ille, *qui venturus est, an alium expectare debeamus* (Luc. 7, 20). Ante omnia vero ipsum interrogemus: *tu, quis es? quid dicis de teipso?* 133

<sup>1)</sup> Cf. Felder, Jesus Christus I ed. 3 (1923) S. 149—198: Inhalt des messianischen Bewußtseins Jesu.

**Thesis 31.** *Christus α) seipsum ut legatum divinum ipsumque Messiam perhibuit, testimoniique veritatem β) admiranda sapientia ac γ) sanctitate probavit, δ) eiusque Pater caelestis approbavit.*

Necesse non est, ut hoc loco iam Christi *divinitatem* probemus, sed sufficit pro scopo nostro eius legationem divinam veritatemque testimonii demonstrare. Si enim Christus est legatus divinus fideque dignus, vera quoque erit revelatio christiana; demonstratio autem revelationis christianae est pensum primi tractatus Theologiae fundamentalis. Si quis nihilominus divinitatem Christi tamquam veritatem fundamentalem totius christianismi hoc loco tractare voluerit, id faciat utique. Nolumus contendere, utrum generalis an specialis Dogmatica sit aptior locus; dummodo non bis tractetur eadem res.

**A. Christus seipsum ut legatum divinum ipsumque Messiam perhibuit.**

Sane 1. Christus *expresse* testatur, se a Deo missum esse: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me* (Ioan. 7, 16); et: *Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit* (v. 29); iterum: *Ego enim ex Deo processi et veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit* (8, 42; cf. 17, 3). Porro mulieri samaritanae confitenti: *Scio, quia Messias venit*, protestatur: *Ego sum, qui loquor tecum* (Ioan. 4, 25 sq; cf. Luc. 4, 17 sqq).

2. *Aequivalenter.* Sicut enim a prophetis Messias nominatur Emmanuel, Deus, Fortis, Princeps pacis, Pater futuri saeculi, Salvator, ex utero Dei patris genitus, filius hominis simpliciter seu catexochen (Dan. 7, 13): ita Iesus se dicit *Filium Dei, unum cum Patre*, qui est *via, veritas et vita, lux mundi, resurrectio et vita, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, qui est panis de coelo descendens*.<sup>1)</sup> Praecipue vero se *filium hominis* dicere amat; quod ridiculum esset, si esset homo sicut alii.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Ioan. 5, 17 sq.; 6, 51; 8, 12. 54; 10, 30; 11, 25; 14, 6; 17, 5; Matth. 28, 18.

<sup>2)</sup> Quis non videat manifestam allusionem Christi ante tribunal Caiphae (Luc. 22, 69): «Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei» ad illud Danielis: «Aspiciebam ergo in

3. Testimonium divinae suae missionis Christus non semel sed saepe, non ambigue ac haesitanter, sed clarissime et confidenter, non clanculum, sed publice et coram magistratibus sacris et politicis, coram amicis et inimicis, in vita et in morte professus est, hoc testimonium suo sanguine confirmavit atque a discipulis fidem absolutam divinae suae missionis postulavit.<sup>1)</sup> — Quaeritur iam, utrum testimonium Christi de seipso sit fide dignum. Valor cuiuslibet testimonii a *scientia* et *veracitate* testis pendet, si nimirum nec deceptus est nec decipere voluit. Christus autem non tantum scientiam et veracitatem sufficientem, sed sapientiam et sanctitatem plane divinam habuit, ideoque testis est omni exceptione maior. — Dico igitur:

**B.** *Admiranda Christi sapientia evidenter demonstrat, eum non fuisse deceptum.* 134

Ad aliquam taxandam Christi sapientiam, sequentes animadversiones inservient.

1. Iam in puero duodenni *stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius* (Luc. 2, 47).

2. Statim in exordio vitae publicae habuit admirandum illum sermonem in monte (Matth. 5), quo sublimissima vita moralis et ascetica delineatur. Cumque prima vice in civitate sua Nazareth die sabbati prophetam Isaiam explicaret, *omnes testimonium illi dabant et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius et dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?* (Luc. 4, 22).

3. Turbae ita ab ore eius pendebant, ut integros dies apud eum sustinerent; quia *nunquam sic homo locutus est*

---

visione noctis, et ecce, cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat» etc.

<sup>1)</sup> Cf. Matth. 16, 16; 26, 64; Ioan. 9, 35—38; 14, 1 etc.; cf. Dogmat. special. n. 203 sq. — Obiiciunt quidam auctores moderni (Weiss, Loisy), Iesum circa finem vitae docuisse, se esse Messiam, non ante. Sed hoc est aperte falsum, ut inter alia apparet ex sermone in monte (Matth. c. 5), in synagoga Nazareth (Luc. 4, 17 sqq), ex colloquio cum Nicodemo, cum muliere Samaritana (Ioan. c. 3 et 4) etc., quae satis clare Christi persuasionem de sua messianitate demonstrant, nec versus finem vitae acciderunt. Felder, *Iesus Christus* I ed. 3. (1923) S. 173—198: *Der Messiasbegriff Jesu Christi*.

(Ioan. 7, 46), quia loquebatur *tamquam potestatem habens et non sicut scribae eorum et pharisaei* (Matth. 7, 29).

4. Non solum plebi indoctae, sed etiam scribis et pharisaeis signa sapientiae suae exhibuit, captiosissima eorum sophismata confundens eisque silentium imponens, ita ut deinceps nemo amplius eum interrogare auderet (cf. Luc. 20, 40).

5. Doctrinam religiosam et moralem proposuit non solum puram ab omni errore, sed tam sanctam et sublimem, qualis nunquam hucusque audita fuerat. Huic sapientiae caelesti aequalem coniunxit prudentiam in fundanda Ecclesia, instituendis sacramentis, ferendis legibus atque in tota oeconomia novi foederis ordinanda.

6. Quoad modum docendi verificatur vaticinium: *Diffusa est gratia in labiis tuis* (Ps. 44, 3). Loquebatur enim admirabili auctoritate et gratia, sublimitate coniuncta cum simplicitate omnium captui accommodata, sine ulla titubatione et ambiguitate, mente tranquilla et semper sui com-pote, ut ipsi ministri pharisaeorum fateri cogerentur: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* (Ioan. 7, 46).

7. Adverte denique, quod Iesus fuerit faber et filius fabri, qui nunquam scholas visitavit, nec unquam litteras didicit (Ioan. 7, 15). Sapientiam igitur habuit divinitus infusam, ut ipse testatur: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me* (v. 16).

135 C. Admiranda vitae sanctitas omnem deceptionem voluntariam ex parte Christi absolute excludit.

1. In primis tanta morum integritas tantaque puritas semper in eo eluxit, ut fidenter inimicos maxime malevolos provocare posset: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Ioan. 8, 46). Neque aliud in eo reprehendendum invenire potuerunt, quam quod sabbatum violaret aegrotos sanando, quod ad homines peccatores diverteret et cum illis manducaret, aliaque huiusmodi, quae in summam ipsius laudem cedere debebant.

2. Omnium virtutum exemplar sublimissimum se exhibuit. Sane emicuit in Christo *caritas* flagrantissima *erga Deum*, cuius gloriam unice quaerebat (Ioan. 8, 50), cuius zelus eum comedit (2, 17), cuius voluntatem facere ipsi ci-

bus fuit (4, 34); *caritas erga proximos*, quorum salutem unice anhelabat, in quorum commodum se suaque omnia impendit, labores, sudores, lacrimas, potestatem miraculorum, ipsum sanguinem, cuius vita brevi hoc compendio perstringitur: *pertransiit benefaciendo* (Act. 10, 38); *caritas erga omnes*, maxime erga pauperes, laborantes et angustiatos, parvulos ipsosque infensissimos inimicos. Emicuit *humilitas* stupenda, abhorrens ab honoribus atque contemptum, ignominiam omnisque generis ludibria generose amplectens, ita ut vermīs videretur, non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Emicuit *obedientia* usque ad mortem, mortem autem crucis; emicuit *patientia*, *mansuetudo*, *quies animi* et *fortitudo* inter atrocissima tormenta. His aliisque virtutibus omnibus florebat noster Iesus per totam vitam, maxime vero in morte, ita ut iuxta dictum s. *Augustini*<sup>1)</sup> «lignum istud, ubi fixerant membra morientis, etiam cathedra fiat magistri docentis». Quis unquam ab origine mundi inter homines vel a longe simile vidit? Immo finge, Filium Dei de caelo descendere ad homines imbuendos virtutum praeceptis et exemplis, an convenientius illum quam sub persona Iesu Christi tibi repraesentare poteris?

Concludo ergo: Quo sapientior et sanctior est testis, eo securius est eius testimonium. Atqui nemo unquam sanctior et sapientior vixit Iesu Christo. Ergo verum est testimonium, quod de seipso perhibuit. Vel a contrario: Testimonium, quo Christus seipsum ut Messiam et Deum exhibuit, necessario aut verum est aut deliramentum hominis phrenetici aut blasphemia impostoris daemoniaci. Atqui hoc posterius ne rationalistae quidem admittunt, qui Iesum saltem ut hominem sapientem immo ut hominem idealem admirantur. Ergo. Si quis nihilominus talem virum cum perfidis Iudaeis ut daemoniacum aut cum Herode ut stultum aut cum quibusdam impiis infidelibus modernis tamquam hominem «pathologice» taxandum<sup>2)</sup> blasphemat, is profecto omnes leges psychologicas et morales funditus vertit, ac ipsi *lumini rebellis* est (Iob 24, 13).

<sup>1)</sup> In Ioan. tract. 119.

<sup>2)</sup> Cf. Kneib, *Moderne Leben-Iesu-Forschung unter dem Einflusse der Psychiatrie* (Mainz 1908).

**D. Pater caelestis Christi testimonium approbavit.**

Prima ac quasi anticipata approbatio fuit in eius *annuntiatione* et *nativitate* (Luc. 1, 31 sqq. 78; 2, 11 sqq). Secunda fuit ad Iordanem in *baptismo*, cum Spiritus sanctus in specie columbae super eum descendit, et vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matth. 3, 17). Tertia fuit in *transfiguratione* (Matth. 17, 5): *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*. Quarta fuit *instante passione* (Ioan. 12, 28): *Venit ergo vox de coelo: et clarificavi, et iterum clarificabo*. — His testimoniis oralibus accesserunt testimonia divina realia, videlicet miracula aliaque signa supernaturalia, quibus Deus missionem Christi approbavit. De quibus in sequentibus.

## ARTICULUS IV.

**De miraculis Christi.**

136 Praecipuum argumentum divinae missionis Christi, ad quod et ipse saepissime provocavit, sunt *miracula*. Hinc mirari non debemus, quod tum Iudaei antiqui tum moderni increduli omni vi contra illa digladiantur, diversa licet ratione. Iudaei enim nec miraculorum possibilitatem generatim nec facta miraculosa ipsius Christi negabant, sed ea influxui daemoniaco adscribebant (Matth. 12, 24; Luc. 11, 15). Rationalistae vero aliique increduli recentiores, eo quod omne miraculum impossibile iudicant (88), consequenter facta Christi vel historice negant vel philosophice a ratione miraculi detorquent. Quidam enim narrationem evangelicam miraculorum ut fabulas ac mythos aut allegorias, vel saltem ut exaggerationes rumoresque incertos vulgi traducunt. Alii facta quoad substantiam admittunt; at ea naturaliter explicare satagunt ex irritatione nervorum et phantasiae, ex magnetismo animali aliisque virtutibus et artibus occultis, quas Christus in Aegypto didicerit. — Ad vindicanda igitur contra praefatos adversarios miracula Christi sit:

137 **Thesis 32.** *Christus patravit α) innumera miracula omnis generis, β) quae sunt historice certissima, γ) philosophice verissima, δ) signaque evidentissima divinae suae missionis.*

Ut miracula Christi divinam eius missionem demonstrent, haec tria copulative constare debent: *primo* quod facta illa miraculosa, quae de Christo narrantur, reapse contigerint; *secundo* quod ipsis insit ratio veri miraculi, ita ut nonnisi per virtutem divinam explicari possint; *tertio* quod revera ad contestandam divinam missionem Christi patrata fuerint. Breviter: constare debet de veritate *historica*, *philosophica* et *theologica* miraculorum Christi (92). Atqui de his evidentissime constat. Sane

**A. Christus patravit innumera omnisque generis miracula.** Praecipua sunt:

1. In *natura insensata*: aquam in vinum convertit, ventis et mari imperat, ambulat super undas maris, multiplicat panes et pisces, maledictione sua continuo arefacit ficulneam, efficit piscaturam mirabilem etc. Huc referri possunt miracula a Patre ad fidem Christo conciliandam patrata in ipsius natiuitate, in baptismo, transfiguratione aliisque occasionibus, maxime in morte: sol obscuratur, terra tremit, velum et petrae scissa sunt, mortui resurgunt etc.

2. In *hominibus* innumerae sanationes miraculosae, ita ut ipse Christus discipulis Ioannis dicere potuerit: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (Luc. 7, 22); et evangelista: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes* (Luc. 6, 19). Huc maxime pertinet *resuscitatio* trium mortuorum, praesertim Lazari iam quatruiduani.

3. Denique ad miracula revocare possumus eiectionem daemoniorum, quippe quae solis viribus naturae certe fieri nequeat: *Obtulerunt ei multos daemonia habentes, et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit* (Matth. 8, 16; cf. Luc. 6, 18 et alibi passim).

**B. Praefata miracula sunt historice certissima.**

138

Hoc iam ostendimus, cum de veracitate Evangeliorum ageremus (115). Demonstravimus enim, evangelistas, qui miracula Christi narrant, esse testes fide dignissimos omni-que exceptione maiores. — Attamen non soli evangelistae, amici Christi, sed etiam infensissimi inimici testes miraculorum Christi sunt. Iudaei enim, sive coevi sive posteriores, nunquam facta historica miraculorum negabant, sed

ea daemoni adscribebant.<sup>1)</sup> Pagani quoque e. g. *Celsus*, *Porphyrius*, *Iulianus* apostata, non ipsa signa negabant, sed praestigiis ea tribuebant; prouti ex Origene,<sup>2)</sup> Tertulliano,<sup>3)</sup> Cyrillo Alex.<sup>4)</sup> aliisque Patribus constat. Hinc *Arnobius*<sup>5)</sup> in sua apologia pro miraculis Christi iure meritoque testes invocat «gentes, populos, nationes et incredulum illud genus humanum, quod nisi aperta res esset et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, nunquam rebus huiusmodi credulitatis suae praeberet assensum».

**Obiectio.** Contra veritatem historicam miraculorum Christi adversarii opponunt diversas relationes evangelistarum circa idem miraculum;<sup>6)</sup> at haec diversitas circumstantias tantum accidentales afficit, et potius *ἐναντιοφανείας* quam veram repugnantiam constituit, ut auctores biblici ostendunt.<sup>7)</sup>

139 **C.** *Sunt philosophice verissima*; scilicet sunt vera miracula; quae nec causis naturalibus nec artibus magicis nec influxui diabolico, sed unice interventui divino adscribi queunt.

1. *Daemonibus et artibus magicis* miracula Christi attribuerunt antiqui Iudaei et pagani. At stultissime. Calumniam Iudaeorum ipse Christus repercutere dignatus est: *Si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eiicio daemones, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri*

---

<sup>1)</sup> Ioan. 11, 47: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Cf. Matth. 9, 34; Ioan. c. 9; 11, 47. Iosephus Flavius (Antiq. Iud. l. 18 c. 3) Christum vocat «mirabilium operum effectorem». Talmud pariter concedit miracula, sed ea Beelzebub adscribit; liber Toldoth Iesu ea explicat per ineffabile nomen Dei, quod Iesus clam e templo surripuerit.

<sup>2)</sup> Contr. Cels. l. 1 n. 38.

<sup>3)</sup> Apolog. c. 5 et 21.

<sup>4)</sup> Adv. Iul. l. 6.

<sup>5)</sup> Adv. gent. l. 1 c. 54.

<sup>6)</sup> Huiusmodi diversitates occurrunt apud Matth. 8, 28 coll. Marc. 5, 1; Luc. 8, 26; item Matth. 20, 30 coll. Marc. 10, 46 et Luc. 18, 35; item Matth. 8, 5 coll. Luc. 7, 1; Matth. 9, 18 coll. Marc. 5, 23.

<sup>7)</sup> Cf. Grimm, Die Einheit der vier Evangelien (Regensburg 1868) S. 389 f, 577 Anm. etc.

*erunt. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei etc.* (Matth. 12, 26 sqq; cf. Marc. 3, 26). Triplex hic innuitur argumentum valde obvium et ad hominem. *Primum*: daemones fundaverunt regnum peccati illudque pro viribus promovent, ergo se invicem non expellunt. *Secundum*: daemones omnes odio flagrant contra Deum et hominem, eiectio daemonis autem cedit in salutem hominis et gloriam Dei. *Tertio*: eiectio daemonum a Iudaeis ipsis semper habebatur ut opus divinum, cur ergo in solo Christo id daemonei adscribunt? — Gravissima ista calumnia Iudaeorum fuit simul rebellio contra apertam veritatem et blasphemia contra Spiritum sanctum, qui sanctificando animas daemones expellit. Unde subdit Christus (v. 31): *Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur.*

Calumniam *magiae*, quam pagani miraculis Christi impingebant, transmittimus. Vel enim nomine magiae intelligitur commercium diabolicum, et hoc iam exclusimus: vel intelligitur ars mira faciendi ope virium occultarum, de quibus in sequente puncto. Ceterum iam *Arnobius*<sup>1)</sup> a paganis exposulavit: «Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis, qui unquam fuere per saecula, consimile aliquid Christo *millesima ex parte* qui fecerit?»

2. Non *causis naturalibus*, inquam. Id patet tum ex *natura* istorum miraculorum, quorum plurima fuerunt primi ordinis ut suscitatio mortuorum, illuminatio caecorum etc.; tum ex *adiunctis*, quippe cum Christus vel solo imperio illa patraret vel talibus uteretur mediis, quae nullam habebant proportionem cum effectu intento, e. g. sputum et lutum ad sanandos oculos; tum ex *inquisitione et examine* legaliter instituto ab infensissimis eius adversariis (Ioan. 9, 13 sqq); tum ex *effectu*, quem ista miracula produxerunt, siquidem non plebs tantum indocta, sed sapientes quoque Iudaei (Nicodemus, Gamaliel etc.) et postea mundus totus praecipue propter miracula in Christum crediderunt; tum demum ex ipso *modo agendi incredulorum*, qui toti in eo sunt, ut veritatem historicam miraculorum Christi vel omnino negent

---

<sup>1)</sup> Adv. gent. l. 1.

vel ita extenuent, ut vix vestigium miraculi remaneat. Sentiant enim increduli, causam ipsorum desperatam esse, si vera sunt, quae evangelistae narrant, quia ipsa natura rationalis cum Nicodemo pronuntiat: *Nemo potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (Ioan. 3, 2).

**Obiectio.** Christus *fidem* postulavit eique miracula adscripsit (cf. e. g. Matth. 8, 13; Marc. 6, 5 sq; 10, 52). Miracula Christi ergo per *imaginationem*, vel ut phaenomena *magnetismi*, *hypnotismi*, *spiritismi* etc. explicari possunt.

Resp. **a.** Christus non *semper* exegit fidem saepeque operabatur miracula, ubi deerat fides; neque semper *ab iis eam exegit, qui sanabantur*; neque eam postulavit ut causam, sed ut *conditionem*, quia miracula religionis non ostentationis causa patrare voluit (Matth. 8, 13. 26; 15, 28; Luc. 7, 11 sqq, et alibi passim). — **b.** Quantacunque sit vis fidei aut imaginationis, nemo tamen dixerit, per eam caecos illuminari, panes multiplicari, tempestates sedari, mortuos suscitari. — **c.** Neque phaenomena magnetica, hypnotica etc. cum miraculis Christi vel a longe comparari possunt (93); et si comparari possent, nihil increduli inde proficerent. Hypnotismus namque, magnetismus, spiritismus, tabulae rotantes etc. sunt gloriosa inventa saeculi nostri luminosi (!), de quibus idiotae Galilaei ne somniabantur quidem. Undenam ergo Christus ea habuit? — **d.** Ponamus denique, miracula naturaliter fieri posse, et Dominum Iesum, nescio quomodo, hac virtute naturali instructum fuisse; semper tamen verum manet, quod ipse sua miracula tamquam vera miracula et sigilla divinae *suae missionis* proposuit, et propter illa fidem postulavit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre* (Ioan. 10, 37 sq). Quomodocunque ergo miracula Christi explicentur, semper relinquitur hoc dilemma: Aut Christus est verus legatus Dei, cui credere debemus, aut est mendax impostor eiusque imposturis Deus cooperatus est innumerosque homines bonae et optimae voluntatis in errorem impulit. At blasphemiam tam horrendam ne rationalista quidem, sed solus atheista effutire audebit. Ergo

relinquitur, ut Christo tamquam vero legato divino credere debeamus.<sup>1)</sup>

**D. *Sunt signa evidentissima divinae missionis.*** Et qui- 140  
dem dupliciter:

1. *Generatim.* Miracula enim, quia sola virtute divina fieri possunt, sunt sigillum divinum, quo illud, cui apponuntur, tamquam res divina comprobatur (91). Atqui Christus miracula patravit ad demonstrandam suam missionem. Christi missio ergo divina est eiusque doctrina vera. Minor constat expressis et solemnibus protestationibus Christi. Per miracula enim discipulis Ioannis se ut verum Messiam demonstrat: *Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis, quia caeci vident, claudi ambulant* etc. (Luc. 7, 22). Ad miracula provocat, ut demonstret Iudaeis et Apostolis, se unum cum Patre et Filium Dei esse (Ioan. 11, 42 sq; 14, 10; 15, 24). Et paulo ante passionem unum ex stupendissimis miraculis, scilicet resurrectionem Lazari quatridentarii coram ingente multitudine patrat eo fine, ut credant: *quia tu me misisti* (Ioan. 11, 42). Per miracula denique discipuli eius ad fidem perducebantur: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli eius* (Ioan. 2, 11); et Nicodemus ait (3, 2): *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (cf. 12, 37; 20, 31).

2. *Speciatim.* Miracula Christi non utcumque divinam 141  
eius missionem probabant, sed simul *symbolice*, in quo haec missio consisteret, indicabant. Hoc Patres saepe docent. «Habent (miracula), inquit s. *Augustinus*,<sup>2)</sup> si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, verbum nobis est.» Et *Gregorius M.*:<sup>3)</sup> «Opera eius et per potentiam aliud ostendunt et per mysterium aliud loquuntur.» Idem ex attenta comparatione miraculorum cum doctrina Christi ultro elucet. Sic institutioni sanctissimae Eucharistiae miraculum multiplicationis

<sup>1)</sup> Cf. Fonck, Die Wunder des Herrn im Evangelium 1. Teil 2. Aufl. (Innsbruck 1907) S. 56 ff.

<sup>2)</sup> In Ioan. tr. 24; cf. Serm. 98, 3.

<sup>3)</sup> Hom. 2 in Evang.

panum praemisit (Ioan. c. 6). Ut ostenderet, se esse lucem mundi, caecos illuminavit (ib. 9, 5 sq). Morbos corporis sanat ad demonstrandum, se animas a peccatorum vulneribus curare (Matth. 9, 6 sqq). *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita*; et in signum veritatis Lazarum quatriduanum resuscitat (Ioan. 11, 25 sqq).<sup>1)</sup>

## ARTICULUS V.

### De vaticiniis Christi.

- 142 Prophetia sensu stricto est praedictio certa futuri aliquis eventus, qui in causis naturalibus praesciri non potest; sensu latiore est manifestatio veritatum absconditarum, praesertim secretorum cordis seu cardiognosia (96). Utroque modo Christus suam divinam missionem demonstravit. Cardiognosiam enim saepe ostendit; sic peccata mulieris samaritanae et accusatorum mulieris in adulterio deprehensae (Ioan. 4, 18; 8, 7 sq.), secreta cordis adversariorum et discipulorum (Matth. 9, 4; 12, 25; Ioan. 2, 24 etc.) manifestavit. Porro secreta cordium nullus hominum, immo nec angelus certo cognoscere potest; iuxta illud: *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (II Paral. 6, 30). Multa alia etiam Christus patefecit, quae naturaliter sciri nequeunt; vidit enim Nathanaelem sub ficu (Ioan. 1, 48), staterem in ore piscis in mari (Matth. 17, 26), vidit mortem Lazari longe positi (Ioan. 11, 14) etc.

At omissio hoc argumento, licet efficace divinae missionis Christi, statim ad *prophetias proprie dictas* convertimur, et dicimus:

- 143 **Thesis 33.** *Vaticinia a Christo edita divinam eius missionem evidenter demonstrant.*

Superius (96, 4) demonstravimus, prophetias, dummodo verae prophetiae sint, nonnisi a Deo procedere posse, ideoque tamquam vera argumenta divinae missionis prophetae ac consequenter revelationis ab ipso factae considerata esse. Ad vindicandam igitur thesim sufficit, si ostendimus, α) Christum reapse plura praedixisse, β) eius praedictiones characterem verae prophetiae habere. Dico igitur:

<sup>1)</sup> Cf. Lactant., Inst. div. l. 4 n. 26. — Fonck, l. c. S. 96 ff.

**A. Christus revera plurima praedixit.<sup>1)</sup>**

Sane 1. praenuntiavit *passionem, mortem et resurrectionem* cum plurimis adiunctis: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et illudent ei et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget* (Marc. 10, 33 sq.; Matth. 20, 19). Praedixit varia adiuncta in solemni ingressu in Ierusalem, in ultima coena (Marc. 14, 13 sq; Luc. 22, 10 sq; Matth. 21, 2 sq); praedixit prodicionem Iudae, trinam negationem Petri et fugam discipulorum (Matth. 26, 21 sqq; Marc. 14, 18 sqq). Nec praeterire licet praedictionem Evangelii de Maria Magdalena, quae Christi pedes unxerat (Matth. 26, 13).

Obiiciunt increduli: Christum naturaliter praevidere potuisse mortem violentam a Iudaeis ipsi infensissimis inferendam. Resp. Esto, talem mortem verisimilem fuisse, at certe locum, tempus et cetera adiuncta supplicii naturaliter nemo praevidere potuit, multo minus resurrectionem tertia die. — Obiiciunt praeterea, Christum non post tres dies et noctes, ut ipse praedixerat (Matth. 12, 40), surrexisse, sed post unum diem et duas noctes; ergo non erat verum vaticinium. Resp. In hac computatione pars pro toto sumitur. Christus namque partem diei veneris, integrum sabbatum et partem dominicae in sepulcro fuit. Igitur revera tertia die surrexit. Phrasis autem «tertia die» cum aliis phrasibus «post tres dies» aut «post tres dies et noctes», usu apud Iudaeos non insolito (cf. Gen. 42, 17 sq) identica est.<sup>2)</sup>

2. *Christus accuratissime praedixit excidium urbis et templi hierosolymitani* (Matth. 24, 2 sqq; Marc. 13, 6 sqq; Luc. 21, 9 sqq). His locis praenuntiantur:

a. *tempus* eversionis, scilicet antequam praeterierit «generatio haec». Et revera vastatio urbis subsecuta est anno 37. post Christi mortem.

b. Praenuntiantur *adiuncta* eversionem urbis praecedentia: pseudoprophetae, terrae motus, seditiones, fames, terro-

<sup>1)</sup> Cf. Schmid, Christus als Prophet, praesertim cap. 2 et 4 (Brixen 1892), ubi vaticinia Christi optime collecta et defensa reperiuntur.

<sup>2)</sup> Cf. Reinerding, Theolog. fundam. p. 2 n. 257.

resque de caelo et signa magna, persecutio Apostolorum, praedicatio Evangelii in universo orbe. Quae omnia reipsa evenerunt. Nam teste *Flavio Iosepho*<sup>1)</sup> plures surrexerunt pseudoprophetae; teste *Tacito*<sup>2)</sup> «hoc tempus fuit opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum»; et «visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collucescere templum, expansae repente delubri fores et audita maior humana vox, excedere deos: simul ingens motus excedentium.»<sup>3)</sup> Praeterea iidem auctores nec non *Suetonius* ac *Dio Cassius* narrant, eodem tempore varias provincias terrae motibus, fame et peste iterato vastatas fuisse. Denique praetereundum non est monitum Christi, ut cum viderint «circumdari ab exercitu Ierusalem», statim fugiant. Huius moniti enim memores Christiani in oppidum Pellam fugientes exitium evaserunt.<sup>4)</sup>

c. Praedicitur ipsa *obsidio et eversio urbis* eiusque inaudita *atrocitas*; quae omnia ad amussim impleta sunt. Narrant enim *Iosephus Flavius*, *Eusebius* alique historici inclusionem urbis per hostilem exercitum, abominationes in templo, nefanda in praegnantibus et nutrientibus, famem et gladium certatim saevientem, stragem Iudaeorum inauditam ac tandem urbem et templum funditus destructa et solo coaequata. Et ne quid deesset ad litteralem prophetiae adimplentionem, sub Iuliano apostata, qui ad novum templum aedificandum ipsa antiqui templi fundamenta effodi iusserat, «metuendi globi flammaram», ut dicit gentilis scriptor *Amianus Marcellinus*,<sup>5)</sup> a coepto desistere coegerunt, ita ut ad apicem verificaretur vaticinium Christi: *Non relinquetur lapis super lapidem.*

3. Denique Christus praedixit *Iudaeorum perditionem et dispersionem* in omnes gentes (Matth. 21, 43; Luc. 21, 24). Impletionem vero nostris quoque temporibus oculis cerimus. «Maneat, inquit s. *Augustinus*,<sup>6)</sup> gens Iudaeorum,

<sup>1)</sup> De bello iud. l. 11.

<sup>2)</sup> Hist. l. 1 c. 2.

<sup>3)</sup> L. 5 c. 13.

<sup>4)</sup> Ios. Flav. l. 2 c. 41.

<sup>5)</sup> Rer. gest. l. 23.

<sup>6)</sup> In Ps. 58 serm. 1 n. 21; cf. de fide c. 6 n. 9; cf. Hieron. in Soph. 1, 5; Chrysost. «Quod Christus sit Deus» n. 16 sq.

nec sic victi sunt, ut a victoribus absorberentur. Non sine causa Cain ille est, qui quum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum, quod habent Iudaei, tenent omnino reliquias legis suae, circumciduntur, sabbata servant, pascha immolant, azyma comedunt. Sunt ergo Iudaei, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus... Per omnes gentes dispersi sunt Iudaei, testes iniquitatis suae et veritatis nostrae.»

4. Tandem a Domino praedicta sunt *fata Ecclesiae totiusque mundi*. a. Missio Spiritus sancti (Ioan. 14, 16), debile Ecclesiae initium et successivum incrementum per totum mundum sub parabolis grani sinapis et fermenti (Matth. 13, 31 sq), et expressis verbis (Matth. 24, 14): *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe... et tunc veniet consummatio*; et (Luc. 13, 29): *Venient ab Oriente et Occidente et Aquilone et Austro, et accumbent in regno Dei*. — b. Persecutiones contra Ecclesiam: *Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus* (Matth. 10, 17 sq; cf. Matth. 24, 9; Luc. 21, 12). — c. Stabilitas Ecclesiae: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). — d. Status declivior fidei in genere humano ad exitum vergente: *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum* (ib. 24, 12). — e. Tandem Christi adventus ad iudicium, resurrectio mortuorum et consummatio saeculi (Matth. 24; Marc. 13; Luc. 21).

**B. Praedictiones Christi rationem verae prophetiae habent.** 144

Cum de prophetia generatim ageremus (99), plura exhibuimus indicia, quibus praedictio aliqua ut vera prophetia cognosci et a meris praesensionibus, a coniecturis probabilibus aut casu impletis nec non a praedictionibus a daemone suggestis discerni potest. Talia indicia sunt: si eventus plane ab arbitrio Dei vel alicuius hominis ignoti aut etiam multorum hominum pendet; si valde remoti, complexi, inopinati aut etiam omnino improbabilis ac contra communem ordinem rerum sunt, et nihilominus clare, deter-

minate ac certe praenuntiantur; et si unice ad gloriam Dei atque ad destructionem regni diaboli cedunt.

Atqui omnia ista indicia in vaticiniis Christi concurrunt. Nam a. *obiectum* eorum non est unum vel alterum, sed sunt omnino plurima, secretissima et remotissima; quae partim a divina voluntate, partim a diversis causis liberis, atque a tali complexu adiunctorum pendent, ut nullus intellectus creatus ea naturaliter scire potuerit. — b. *Modus* praedictionis est absque omni ambiguitate et haesitatione, clarus, certus et firmus. — c. *Complementum* est historice certissimum, ita ut nulla prophetia Christi ab adversariis falsitatis argui potuerit. Quaedam utique nondum evenerunt, sed eventura firmiter credimus: «Nos, inquit s. *Augustinus*,<sup>1)</sup> quia omnia ista impleta sunt, sicut ea in libris legimus, qui longe antequam haec complerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur et praesentia iam videntur, aedificamur ad fidem, ut etiam illa, quae restant, sustinentes et perseverantes in Domino sine dubitatione ventura credamus.» — d. Omnia denique vaticinia aequae ac miracula Christi unice in gloriam Dei animarumque salutem tendunt.

Vis, quae vaticiniis Christi inest ad demonstrandam veritatem christianae religionis, tanto lumine fulget, ut adversarii ad absurdam hypothesim confugerint, vaticinia post eorum impletionem facta, seu potius conficta esse. *Absurdam*, inquam, hypothesim; cum genus humanum illo tempore plane hebes et vecors esse debuisset, si fictis prophetiis ab impostoribus sibi illudi permisisset. Si quis nunc vaticinia, quibus fata Napoleonis praedicta exhiberentur, de repente sine argumentis historicis proferret, ut amens haberetur. Sed quid est Napoleon respectu Christi? Nonne amici et inimici Christi vigilaverunt, ne historiae eius fabulae et fraudes immiscerentur?

## ARTICULUS VI.

### De resurrectione Christi.

145 **Thesis 34.** *Praecipuum missionis Christi argumentum ac veluti sigillum est ipsius resurrectio a mortuis, quae et*

<sup>1)</sup> De catech. rud. c. 24.

*positive invictis argumentis probatur et negative absurdis adversariorum hypothesebus mire illustratur.*

Mors Christi eiusque resurrectio a mortuis est dogma fundamentale nostrae religionis, quod profiteamur in symbolo Apostolico, ac definitur in conc. *Ephesino* (can. 12): «Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est et vivificator ut Deus: a. s.»<sup>1)</sup> — Christus ipse iterato resurrectionem suam praedixit, et ad eam tamquam ad praecipuum argumentum ac veluti sigillum divinae suae legationis provocavit: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ioniae prophetae* (Matth. 12, 39; cf. Luc. 11, 29). Apostoli quoque resurrectionem Domini ut demonstrationis christianae compendium exhibent (Act. 1, 22; I Cor. 15, 14 sq.). Idem bene intellexerunt Iudaei eaque de causa custodes sepulcri a Pilato petierunt (Matth. 27, 64); intellexerunt quoque sequiores increduli usque ad nostra tempora, ideoque omnem lapidem movebant ad convellendum istud dogma fundamentale nostrae religionis. Sed frustra, nam de hoc maxime dogmate valent verba psal-  
tis: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

**A. Resurrectio Christi prae primis positive probatur invicta.** 146

1. Ex testimonio multorum testium oculatorum, quibus Dominus post resurrectionem apparuit. Testes oculati in historia sacra exhibentur sequentes: Maria Magdalena cum reliquis mulieribus, discipuli euntes in Emaus, b. Petrus, Apostoli omnes excepto Thoma, iidem cum Thoma, discipuli piscantes ad mare Tiberiadis, plus quam quingenti fratres simul, Iacobus et Paulus seorsim, tandem discipuli ascendente Domino in monte Oliveti.<sup>2)</sup> Haec omnia complectitur Lucas (Act. 1, 3): *Quibus praebeuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei.*

<sup>1)</sup> Denzinger, 124.

<sup>2)</sup> Cf. Matth. 28, 9; Marc. 16, 9. 14; Luc. c. 24; Ioan. 20, 14 sqq; 21, 1; I Cor. 15, 5 sqq.

Atqui de *scientia* et *veracitate* istorum testium dubitare omnino nefas est. Nam et ipsi prius increduli fuerunt et revera multis argumentis opus fuit, ut ad fidem permoverentur: visus, auditus, tactus concurrere debebant ad discutienda discipulorum dubia de Christi resurrectione. Incredulitati discipulorum adde eorum *timiditatem*, quae tanta fuit, ut omnes in passione Domini fugam caperent, ianuis clausis se occultarent et Petrus ipse mulierculae voce perterritus Christum ter negaret. Nonne in hypothesi adversariorum naturam intra paucas horas exuere debuissent, si post ignominiosam mortem sui magistri eius resurrectionem sine causa confinxissent et coram potentissimis et infensissimis hostibus praedicassent? Si igitur Apostoli, non obstante sua imbecillitate et incredulitate immediate praecedente, intrepidi iam prodeunt et in mundo universo testimonium reddunt resurrectionis Domini proprioque sanguine testimonium obsignant; profecto hoc esse nequit fraus et mendacium, sed vis veritatis ac mutatio dexterarum Excelsi (Ps. 76, 11).

2. Confirmatur ex testimonio militum, custodum sepulcri, et ex modo agendi Iudaeorum. De militibus enim refert Matthaeus (28, 11): *Quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quae facta fuerant. Iudaei autem quid fecerunt? Congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus, et si hoc auditum fuerit a praeside, nos suadebimus ei et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Iudaeos usque in hodiernum diem* (Matth. 28, 12 sqq).

Ergo ex ipsa adversariorum confessione et modo agendi constat imprimis, corpus Domini post triduum non fuisse amplius in sepulcro; constat insuper, hoc corpus modo naturaliter plane inexplicabili evanuisse. Ipsa etenim narratio de corpore suffurato ex sepulcro, quod lapide munitum erat et militibus stipatum; maxime vero testimonium custodum dormientium, ad quod Iudaei provocarunt, liquido demonstrant, causam eorum omnino desperatam fuisse. Quos facete s.

*Augustinus*<sup>1)</sup> irridet: «Dormientes testes adhibes; vère tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti».

**B. Resurrectio Christi ex absurdis adversariorum hypothesibus illustratur.** 147

Sicut lux de tenebris, ita veritas resurrectionis dominicae ex stultis obiectionibus incredulorum magis adhuc effulget.

1. Primam hypothesim de *fraude* et *furto* discipulorum iam tetigimus. Eam ipse atheus Strauss ut stultam explodit.<sup>2)</sup>

2. Secunda est hypothesis *mortis apparentis*, quam *Paulus* a Heidelberg, *Wegscheider* alique rationalistae biblici proponunt. Dicunt enim, Christum in cruce non vere mortuum, sed tantum deliquio consopitum fuisse, ex quo unguentis odoriferis in sepulcro excitatus atque a discipulis liberatus aliquamdiu adhuc vixerit, sicque fabulae resurrectionis ansam praeberit. — At haec hypothesis testimonio non solum evangelistarum, sed etiam centurionis (Marc. 15, 44), ac modo agendi Iudaeorum (Matth. 27, 63 sq), ac demum indoli et timiditati discipulorum apertissime contradicit. Sed his etiam sepositis, qui fieri potest, ut homo flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, lancea in latere percussus, post ultimi sanguinis et aquae effusionem e cruce depositus, linteis unguentisque circumligatus ac sepultus — ad vitam resurgat? — Neque omittendum est, quod haec hypothesis nedum Apostolos, sed Christum ipsum ut falsum prophetam et impostorem sistit.

Obiiciunt: *Pilatus miratur, si iam obiisset* (Marc. 15, 44). Resp. Pilatus mirabatur ante acceptam relationem centurionis de morte Christi, eo quod crucifixi communiter ultra tres horas vivere solerent; unde etiam ad accelerandam mortem crurifragium adhibebatur. Multoque magis mirari potuit attenta Christi animi fortitudine plus quam humana, cuius ipse testis fuerat. At post auditam relationem centurionis de *transfixione lateris*, et praesertim post sepulturam certe non amplius miratus fuerit!

<sup>1)</sup> In Ps. 63 ad v. 7.

<sup>2)</sup> Leben Jesu II S. 685 (3. Aufl.).

3. Hypothesis *visionis* seu *hallucinationis*, quam Strauss, Renan alique increduli obtrudunt, fingit Christum non realiter resurrexisse nec discipulis apparuisse, sed eosdem hanc resurrectionem sibi imaginatos esse. Has visiones imaginarias autem explicant ex statu exaltato et nervoso, in quo discipuli et maxime Magdalena tunc fuerint. — Etiam Modernismus resurrectionem Christi negat tamquam factum historicum, utpote «nec demonstratum nec demonstrabile». Apparitiones vero ab hagiographis narratas nil aliud esse dicit, quam meras hallucinationes seu *visiones subiectivas* («religiöse innere Erlebnisse») vel persuasionem de resurrectione *pneumatica* id est de vita immortalis Christi in coelo.<sup>1)</sup>

At novissima ista inventio perfidiae nedum omnino insufficiens est, quia quaestionem de corpore Christi ex sepulcro sublato non solvit; sed plane absurda esse apprehenditur, si a. attendatur ipsa historia evangelica, quae apertissime *reales apparitiones* ipsius Christi, non vero visiones ecstaticas narrat. — b. Si attendatur dispositio discipulorum; tantum enim abest, ut viventem Christum sibi fingerent, ut post iteratas apparitiones adhuc dubitarent, nec solo visu contenti essent, sed experimentum tactus postularent. — c. Si attendatur multitudo testium diversae indolis, qui omnes simul Christum viderunt, cum eo colloquebantur et convescebantur, ab eo increpabantur et de regno Dei instruebantur. — d. Si denique haec hypothesis comparetur cum religione christiana, cuius veluti sigillum est resurrectio Christi. Factum enim tam grande et momenti vere mundialis, qualis est religio christiana etiam *materialiter ut factum* considerata, profecto per hallucinationem alicuius mulierculae et paucorum piscatorum Galilaeae non explicatur. — e. Hypothesim modernistarum expresse damnavit Decretum «Lamentabili» (error 36): «Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum

<sup>1)</sup> Harnack distinguit inter ‚Osterbotschaft‘ et ‚Osterglaube‘ (Wesen des Christentums S. 101 ff): «Was sich auch immer am Grabe und in den Erscheinungen zugetragen haben mag — eines steht fest: von diesem Grabe hat der unzerstörbare Glaube an die Ueberwindung des Todes und an ein ewiges Leben seinen Ursprung genommen.»

ordinis mere supernaturalis nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.» Et (error 37): «Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortalis apud Deum.»<sup>1)</sup>

Opponunt increduli evangelistarum discrepantiam in relatione resurrectionis; ast immerito. Haec discrepantia enim non est *circa substantiam facti*, nimirum circa ipsam resurrectionem et apparitionem Christi resurgentis; sed circa adiuncta accidentaliter temporis et ordinis apparitionum. Atqui discrepantia testium circa adiuncta, si plenus adsit consensus circa substantiam facti, a criticis non consideratur ut praeiudicium veritatis historicae, sed ut eius confirmatio, quia independentia testium ab invicem inde concluditur. Ceterum evangelistarum dissonantia in referenda Christi resurrectione non est realis sed apparens, ut biblici ostendunt.<sup>2)</sup> 148

**Scholion.** Resurrectio Domini suum complementum habet in gloriosa eius *ascensione* et *missione Spiritus sancti* in Apostolos. Utrumque factum est omnino certissimum. Nam **a.** illud experti et testati sunt discipuli, qui proprio sanguine testimonii veritatem obsignarunt. **b.** Testis missionis Spiritus sancti et indirecte ascensionis Domini, a quo missus est Spiritus sanctus, fuit ingens illa multitudo, quae die Pentecostes Hierosolimam confluxerat, et sonum de caelo advenientis spiritus audierat (Act. 2, 1 sq). **c.** Testis fuit totus, ut ita dicam, mundus per Spiritum sanctum ad religionem crucis conversus.

## CAPUT II.

### De opere Christi.

F. Meffert, Das Urchristentum, M. Gladbach 1920. F. M. Baumgarten, Das Wirken der katholischen Kirche auf dem Erdenrund, Berlin 1901. S. Weber, Evangelium und Arbeit, 2. Aufl. Freiburg 1920. A. Steinmann, Sklavenlos und alte Kirche, 4. Aufl. M. Gladbach 1922. H. Pesch, Die soziale Befähigung der Kirche, Berlin

<sup>1)</sup> Denzinger, 2036 sq.

<sup>2)</sup> Cf. Grimm, Die Einheit der vier Evangelien, S. 709 ff.

1899. J. Balmes, Briefe an einen Zweifler, 3. Aufl. (97—120 Das Blut der Martyrer), Regensburg 1864.

- 149 Opus Christi est *religio christiana*, cuius veritatem hucusque ex divino eius auctore probavimus. Iam opus ipsum scilicet religionem a Christo fundatam eiusque indolem ac faciem, ut ita dicam, supernaturalem considerabimus. Inde enim clare apparebit, quoniam „*non fuit ex hominibus consilium hoc et opus, sed ex Deo*”; propterea nec ab *hominibus dissolvi potuit* (Act. 5, 38 sq). Primo ergo *indolem divinam religionis christianae* in se considerabimus; deinde mirabilem eius *propagationem et conservationem fructusque* supernaturales tam in *martyribus* quam in *toto mundo* productos expendemus (cf. Matth. 13, 31—34). Inter opera Christi utique recensenda etiam esset institutio *Ecclesiae*, quae revera nil aliud est, quam religio christiana in concreto spectata. Quoniam vero tractatus de Ecclesia specialem locum Theologiae fundamentalis sibi vindicat, hinc modo eam omittimus.

## ARTICULUS I.

### Indoles religionis christianae.

Munus religionis est, ut hominem proxime ad *Dei cultum* et remote ad *finem ultimum* per *verum dogma*, per *iustam regulam morum* et per *efficacia motiva ac media salutis* conducat. Quo purius ergo dogma, quo sanctior regula, quo efficaciora in aliqua religione habentur motiva mediaque salutis, eo securiores profecto erimus de illius veritate et divinitate. Atqui tribus hisce praerogativis lucidissime fulget religio christiana. Sufficiat ad probationem rapida quaedam et obvia consideratio.<sup>1)</sup>

- 150 **Thesis 35.** *Veritas religionis christianae ex praecellentia sui dogmatis legitime infertur.*

Praerogativae praecipuae dogmatis christiani sunt puritas, sublimitas, simplicitas, claritas et certitudo.

1. *Puritas* tanta est, ut nihil unquam erroneum, nihil a ratione alienum, nihil inhonestum sive in doctrina sive

<sup>1)</sup> Uberius de hac re agit Theolog. cursus compl. t. 3 § 3 (Migne pg. 274—341).

in cultu religionis christianae inveniri potuerit. Increduli omnem quidem lapidem moverunt, ut contradictionem inter rationem et mysteria reperirent, sed frustra. Inanis enim huius contradictionis species, ut conc. *Vatican.* (Sess. III cap. 4)<sup>1)</sup> dixit, vel ex male intellectis dogmatibus vel ex male intellectis effatis rationis potissimum oritur. Doctrinae christianae puritas magis adhuc fulget, si eam cum religionibus paganorum et systematibus philosophorum comparemus, quae tot erroribus etiam gravissimis scatebant. Immo, quod amplius est, Christus etiam religionem mosaicam ab imperfectionibus, quae «traditio seniorum» (Marc. 7, 3 sq) successu temporis admiscuerat, purgavit.

2. *Sublimitas* doctrinae christianae apparet ex veritatibus ordinis supernaturalis, quas continet. Christus enim doctrinam proposuit plane divinam, naturale rationis lumen prorsus transcendentem. α) Docet Deum unum in natura, trinum in personis atque ideo vitam quandam Internam in Deo tam foecundam, actuosam et beatam nobis manifestavit, qualem Aristoteles in primo motore (τὸ πρῶτον κινεῖν ἀκίνητον)<sup>2)</sup> ne suspicari quidem potuit. β) Docuit infinitam Dei ad hominem condescensionem et hominis ad Deum sublimationem, ita ut Deus factus sit homo, et homo fieret Deus, ut Patres saepe dicunt. γ) Docuit oeconomiam divinam tam mirabilem, ut omnes exigentiae divinae maiestatis cum indigentis humanae miseriae amico foedere consociarentur, et tota natura creata per Christum mediatorem ad suum principium revocaretur. — Atqui doctrina tam sublimis simul et pura non potest aliam originem habere quam divinam. Unde merito gloriatur Apostolus (I Cor. 2, 6 sq): *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.*

3. *Simplicitas* et *claritas* sunt aliae dotes religionis christianae eo admirabiliores, quo magis cum sublimitate pugnare videntur. Profecto, nonne in scientiis humanis, quae

<sup>1)</sup> Denzinger 1797.

<sup>2)</sup> Metaph. I. 3 n. 8 (1012b 31 ed, Bekker, Berlin 1831).

sunt profundiora et sublimiora, solent etiam esse magis dubia, perplexa, difficilia intellectu atque adeo paucis tantum et elevatis ingeniis pervia? Longe vero aliter res se habet in mysteriis christianis. Cum enim haec non nitantur *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (I. Cor. 2, 4), hinc nil aliud requiritur ad suscipiendam doctrinam christianam, quam bona voluntas, qua verbum fidei suscipitur. Videlicet Christus non instituit *scholam*, sed *Ecclesiam*; neque misit Apostolos, ut coram electis discipulis praelectiones haberent, sed ut praedicarent universae creaturae; neque doctum systema proposuit, sed symbolum fidei, mysteriaque sublimissima formulis expressit simplicissimis, e. g. baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc est corpus meum, Verbum caro factum est, etc.

4. Quarta proprietas vere divina religionis christianae est *certitudo absoluta*, qua proponitur et qua suscipi debet. Christus enim doctrinam suam proposuit non ut opinionem humanam, sed ut doctrinam Patris (Ioan. 1, 18; 7, 16), eiusque veritatem demonstravit operibus divinis (10, 38). Unde etiam fides postulatur eadem, quae Deo debetur (14, 1), sub poena damnationis (Marc. 16, 16); non enim est *verbum hominum*, sed *est vere verbum Dei* (I Thess. 2, 13; Iud. v. 3).

5. Ultima proprietas verae religionis esse debet *universalitas*, ita scilicet, ut in praesente quoque generis humani conditione ab *omnibus* expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possit (conc. Vatic. Sess. III cap. 2)<sup>1)</sup>. Hanc autem universalitatem christianae religioni revera competere, docet historia. In omnem quippe terram exivit sonus Apostolorum, in dies crescebat numerus credentium, ac brevi fides christiana annuntiabatur in universo mundo (Rom. 1, 8; 10, 18; Act. 5, 14). Merito etiam scribere potuit s. *Thomas*:<sup>2)</sup> «Nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam aeternam, quan-

<sup>1)</sup> Denzinger 1786.

<sup>2)</sup> Opusc. 7 De exposit. symb. c. 1.

tum post adventum Christi scit una vetula per fidem, et ideo dicitur (Is. 11, 9): *Repleta est terra scientia Domini.*»

Proprietates enumeratae certe indubii characteres sunt originis divinae doctrinae Christi, sive absolute et in se, sive comparate ad religiones paganas et systemata religiosa philosophorum omnium temporum considerentur.

**Thesis 36.** *Veritas religionis christianae eodem iure α) 151 ex regula morum, atque β) ex motivis mediisque salutis infertur.*

**A.** *Ex regula morum*, inquam; ut ex praeclaris ac plane divinis proprietatibus eius elucet. Est enim:

1. *Regula universalissima*, quae nihil in homine inordinatum relinquit. Traduntur praecepta respectu Dei, respectu proximi et sui ipsius; praecepta pro omnibus hominibus cuiuscunque nationis et conditionis, pro superioribus et subditis, pro clericis et laicis, pro servis et liberis, pro singulis et integra societate. Nullum est vitium, quod non prohibetur, nulla virtus quae non praecipitur aut saltem commendatur. Nec opera tantum externa, sed verba, desideria, cogitationes et quidquid est in homine, ab hac regula attingitur. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum* (Tit. 2, 11 sqq). Et (Phil. 4, 8): *Quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque iusta, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.*

2. Est *regula sanctissima et sublimissima*. Non solum dicitur (I Thess. 4, 3): *Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*; sed etiam dicitur: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (Matth. 5, 48). Hinc non solum praecepta, sed etiam consilia dantur; virtutes non communes sed altissimae commendantur. Omnia autem tamquam «vinculo perfectionis» (Col. 3, 14) caritate

colligata sunt, quae caritas, ut cl. *Perrone* ait,<sup>1)</sup> «ad instar universalis fluidi, quod omnia et singula societatis membra atque integrum corpus permeat atque pervadit, ei vitam ac motum communicat, illudque nectit et ambit, ut unum quid cum Deo ac cum societate universa quodammodo efficiat.»

3. Est simul *sapientissima* ac maxime, ut ita dicam, *practica*; quippe quae vitiorum radicem detegat ac resecet. Cum enim radix omnium peccatorum sit triplex: *concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae* (I Ioan. 2, 16), triplex Christus opposuit remedium: mortificationem carnis, paupertatem spiritus et humilitatem cordis. «Sic caelestis medicus, inquit *Gregor. M.*,<sup>2)</sup> singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeciperet humilitatem.»

4. Est regula *simplicissima et clarissima, omnium cap-tui accommodata*. Christus enim plerumque brevibus, claris et efficacibus sententiis suam doctrinam complectitur (sermo in monte), parabolis et exemplis aptissimis illustrat et memoriae commendat, suisque verbis *intellectum dat par-vulis* (Ps. 118, 130; cf. Matth. 13). Pulcherrime s. *Augu-stinus* hanc proprietatem doctrinae Christi omnibus sese accommodantis et insinuantis exponit:<sup>3)</sup> «Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem et ad rei familiaris societatem casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus non ad illudendum imbecillio-rem sexum, sed sinceris amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis

<sup>1)</sup> De vera relig. n. 329.

<sup>2)</sup> Hom. 32 in Evangel.

<sup>3)</sup> De morib. l. 1 c. 30 n. 63.

necessitudinem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles et ad consulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia et omnibus caritas et nulli debeatur iniuria.»

5. Denique haec regula nihil dubium aut instabile habet, sed est *certissima et firmissima*, prolata absque ulla haesitatione, ambiguitate aut contradictione. *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei* (Matth. 7, 29). Unde ipse *Rousseau*<sup>1)</sup> legem evangelicam miratur, quod sit «semper tuta, semper vera, semper unica, sibi semper constans.»

**B. Motiva et media salutis**, quae religio christiana proponit, admirandam vim habent, ut hominem a vitiis revocent atque ad virtutem summamque perfectionem perducant.

1. *Motiva* praecipua sunt: pulchritudo virtutis ac turpitudine peccati in genere et in specie, quae in s. Scriptura ad vivum depinguntur; praemiorum magnitudo poenarumque atrocitas ac aeternitas, quae in altera vita homines pro eorum meritis vel demeritis certissime exspectant; spes veniae de peccatis etiam nefandis; iudicia Dei abyssus multa, praesertim contra obstinatos; infinita pulchritudo et perfectio Dei, eiusque caritas ac misericordia cuius non est numerus, et bonitas cuius infinitus est thesaurus; exemplum sanctorum, b. Mariae V. ipsiusque Christi, qui per omnia nobis similis factus est suavitateque ineffabili ad suam sequelam nos admonet.

<sup>1)</sup> Emile c. 3.

2. *Media salutis sunt plane innumera et efficacissima.* Quid enim aptius efficaciusque septem sacramentis, de quibus conc. *Florentinum* (decret. pro Armenis)<sup>1)</sup> scribit: «Per baptismum spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter et corporaliter prout animae expedit, per extremam unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur.» His adde sacrificium missae, realem praesentiam Christi in sacramento altaris, s. Scripturam, sacramentalia, orationem, et tot alia media saluberrima, praesertim medium mediorum ipsam Ecclesiam. Hisce adminiculis externis ac veluti canalibus nobis communicatur *gratia interna*, quae nos aspirando praevenit, adiuvando prosequitur et ad finem usque comitatur; unde homo christianus fidenter dicere potest: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13).

Profecto nulla unquam religio ab hominibus inventa, nullum systema ethicum philosophorum vel a longe similem habuit regulam, similia proposuit motiva ac media. Quaeenam enim religio curam habuit pauperum, miserorum, afflictorum, uxorum, infantium? Quaeenam puritatem cordis, sanctitatem animae, virginitatem, castitatem, dilectionem inimicorum commendavit? Quaeenam vitiorum radicem detexit ac resecavit, motiva et media efficacia proposuit? Immo vero nulla fuit religio, nullus philosophus, qui doctrinam moralem non turpissimis commaculaverit erroribus (72 sqq).<sup>2)</sup>

## ARTICULUS II.

### **Religionis christianae propagatio, conservatio et fructus mirabiles in martyribus et renovatione generis humani.**

152 **Thesis 37.** *Religionis christianae propagatio et conser-*

<sup>1)</sup> Denzinger 695.

<sup>2)</sup> Obiectiones contra dogmata christiana suis locis solventur; obiectiones contra doctrinam moralem mox, ubi de fructibus religionis christianae agemus, tanguntur. Cf. Kneib, *Die ‚Jenseitsmoral‘ im Kampf um ihre Grundlagen*, S. 211 ff. Mausbach, *Die kathol. Moral*, 3. Aufl. (Köln 1911).

*vatio naturaliter explicari nequit, sed divinae gratiae adscribi debet.*

Ad thesis probationem prius factum propagationis et conservationis exponemus; deinde vero demonstrabimus, hoc factum non mediis naturalibus, sed supernaturalibus dumtaxat explicari posse.

**A. Exponitur factum propagationis ac conservationis religionis christianae cum mirabilibus suis adiunctis.** — Perpendantur sequentia:

**1. Propagatio rapidissima et amplissima.** Quae constat:

**a. ex s. Scriptura.** In ipsa statim die Pentecostes appositae sunt animae circiter tria millia, et: *Dominus augebat, qui salvi fierent, quotidie* (Act. 2, 41. 47). Paucis annis elapsis scribit Apostolus (Rom. 1, 8; cf. Col. 1, 6): *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*. In Actibus Apostolorum narratur, quomodo in diversis partibus terrae Evangelium praedicatum et susceptum fuerit (cf. I Petr. 1, 1).

**b. Patres antiquissimi idem testantur.** Sic *Clemens Rom.*<sup>1)</sup> loquitur de «multitudine ingente electorum». *Ignatius M.* dicit:<sup>2)</sup> «Ecclesiam Christi a terrae fine usque in finem dilatata esse.» Iuxta *Iustinum Mart.*<sup>3)</sup> «nullum genus hominum est, in quo non per nomen crucifixi Iesu preces et gratiarum actiones Patri et creatori universorum fiant». Notum quoque est illud *Tertulliani*:<sup>4)</sup> «Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis templa reliquimus».

**c. Historici pagani idem testantur.** *Tacitus*<sup>5)</sup> e. g. loquitur de «ingenti multitudine» Christianorum; *Seneca*<sup>6)</sup> de consuetudine (religionis christianae) «per omnes iam terras recepta». *Plinius*<sup>7)</sup> ad Traianum scribit: «Visa est mihi res digna consultatione maxime propter periclitantium nu-

<sup>1)</sup> Ep. I ad Cor. c. 6.

<sup>2)</sup> Ad Philad.

<sup>3)</sup> Dialog. cum Tryph. n. 117.

<sup>4)</sup> Apolog. c. 37; cf. Adv. Iud. c. 7; Lact., De mort. persec. n. 4; Inst. l. 5 n. 23.

<sup>5)</sup> Annal. l. 15 c. 44.

<sup>6)</sup> Apud August., De civit. Dei l. 6 c. 11 n. 36.

<sup>7)</sup> Ep. 10 n. 97.

merum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros christianae superstitionis contagio pervagata est, ... prope iam desolata templa coepisse celebrari et sacra solemnia diu intermissa repeti; passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emtor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si fiat poenitentiae locus.» — Ex his aliisque testimoniis satis superque constat non solum rapida, sed amplissima quoque christianae religionis propagatio; eaque non in una solum mundi plaga vel in uno populo vel apud solos barbaros aut homines rudes, sed ubique terrarum apud omnes populos hominumque classes.

2. *Obstacula gravissima interna et externa.*

a. *Interna*, inquam. Quid enim homini tam difficile immo naturaliter impossibile esse potest, quam captivare intellectum in obsequium illius fidei, cuius obiectum praecipuum est Deus unus et trinus, Deus incarnatus, qui natus est ex virgine, crucifixus, mortuus, sepultus resurrexit, cuius caro manducatur a fidelibus, et alia sexcenta mysteria, quae non solum sensibus, sed iuxta incredulos etiam rationi repugnant? Atqui haec fides exigitur a Christiano, eaque tam firma, ut nulla deliberata dubitatio admittatur atque vita potius quam fides perdat. — Quid porro homini tam difficile est immo naturaliter impossibile, quam terrena despiciere, crucem portare, seipsum mortificare, humilitatem colere, iniurias condonare, mortem potius subire quam peccatum committere? Atqui haec aliaque multa, quae inclinationibus naturalibus quam maxime repugnant, a Christiano exiguntur. Et hanc nihilominus religionem innumeri homines superbi, carnales, avari sponte amplectebantur. — Quid tandem homini difficilius quam praeiudicia inveterata deponere, consuetudines gratas relinquere, ferrea naturae vincula rumpere, veteremque hominem exuere et novum induere? Tale autem iugum omni Christiano imponitur, et talis nihilominus religio tam rapide per universum orbem propagabatur.

b. Difficultatibus internis accesserunt impedimenta gra-

vissima *externa*: horrenda morum corruptela, philosophorum irrisio, sacerdotum idolorum calumniae, contemptus et «odium generis humani» ut Tacitus (l. c.) loquitur;<sup>1)</sup> instituta et leges civiles, tota vita publica idolorum cultu infecta, studium nationale, persecutio demum tyrannorum crudelissima, ita ut mundus et infernus contra religionem christianam coniuraverint.

3. *Media naturaliter plane insufficientia, immo fere nulla.*

Media quippe naturalia, quibus magni effectus produci solent, sunt scientia, divitiae, nobilitas, potentia, vis armorum, irritamenta et blandimenta passionum, quibus homo excitatus ardua saepe et magna molitur. Nil tale autem, immo contrarium in propagatione religionis christianae locum habuit. Duodecim enim piscatores galilaei, pauperes, idiotae, inermes, sine sacculo et sine pera orbem peragrantes religionem fundaverunt, quae omnibus passionibus bellum indicit. Quapropter merito scribit Apostolus (I Cor. 1, 27 sq): *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret.* Pulchre Augustinus de Christo crucifixo ait:<sup>2)</sup> «Effectus probavit virtutem: domuit orbem, non ferro sed ligno.»

---

<sup>1)</sup> Refert s. Augustinus (De civit. Dei l. 2 c. 3), omnes clades, quibus per certa intervalla locorum et temporum genus humanum affligebatur, Christianis imputari consuevisse, iuxta certum et vulgare proverbium: «Pluvia defecit, causa Christiani.»

<sup>2)</sup> Enarrat. in Ps. 54 n. 12. Pulchre etiam Chrysostomus (Quod Christus sit Deus n. 14: «Ne parietem quidem unum quisquam possit extruere lapidibus et calce utens, si expellatur et impediatur; hi (Apostoli) vero tot ecclesias ubique terrarum aedificaverunt, percussi, vincti, pulsi, fugati, facultatibus mulctati, flagellati, iugulati, combusti, demersi una cum discipulis. Et aedificabant non lapidibus, sed animabus et institutis, quod plane difficilius est, quam lapidibus construere. Non enim par est murum construere et animam tanto tempore a daemonibus agitatam ad resipiscendum persuadere, ut ab insania illa desistat et ad tantam perveniat temperantiam. Atamen hoc potuerunt nudi et calceis carentes, unica induti tunica per universum orbem circumeuntes; habebant enim commilitantem Christum.»

4. *Effectus vere divinus, scilicet innovatio et renovatio mundi moralis.* Propter specialem tamen vim demonstrativam, quae huic argumento inest, postea specialem thesin desuper statuemus.

- 153 5. Quod de facto propagationis, etiam de facto *conservationis* religionis christianae dicendum est. Quamvis enim concedi debeat, omni institutioni, cum semel sat altas et amplas radices egerit, etiam quandam *naturalem*, ut ita dicam, stabilitatem ac vim conservatricem inesse; nihilominus ex altera parte omnes institutiones mere humanae successu temporis quasi proprio pondere deficiunt ac tandem ad interitum vergunt; quod in florentissimis imperiis omnibusque sectis et systematibus perspicere licet. Religio autem et Ecclesia Christi ferme bis mille annis integra, firma et semper iuvenescens perduravit, et quidem in mediis procellis perduravit. Hostibus *externis* enim, paganis, ludaeis, barbaris, Muhamedanis mox subsequebantur et coniungebantur hostes *interni*, scilicet haeretici, schismatici, imperatores et magistratus iura Ecclesiae invadentes, sectarii, apostatae et filii perduelles. Isti omnes unanimi et continuo conatu Ecclesiam Christi aggrediebantur, ita ut vix ad momentum perfecta pace gauderet. Arma autem, quibus utebantur, fuerunt innumera omnisque generis; scilicet vis et pecunia, perfidae calumniae fraudesque vulpinae, corruptio ac seductio, leges iniquae, praesertim vero scholae influxui Ecclesiae subductae et typographia,<sup>1)</sup> quae immensum damnum religioni bonisque moribus inferunt, ut lucuosa experientia quotidie testatur. Ecclesia vero vix aliud plerumque opponere potuit, quam patientiam. — Facunde haec exponit Leo XIII. in nuperrima Encycl. *Annum ingressi sumus* (19. Mart. 1902), quam suum testamentum ipse appellat.

- 154 B. *Facti explicatio.* Omnis effectus causam proportionatam habere debet. Factum autem, de quo agimus, causam

<sup>1)</sup> Narrat cl. Perrone (Praelect. theol. vol. 1 n. 396); quod anno 1827 iam numerabantur 5,000.000 volumina impressa operum Voltaire, Rousseau, Helvetii, Diderot etc. — Quid hodie de colluvie ephemeridum, quae in toto fere orbe religionem impugnant, dicendum erit!

proportionatam *naturalem* non habuit, cum ex demonstratis propagationi religionis crucis omnia naturaliter obessent, nihil prodesset. Multo minus hoc factum interventui *diaboli* adscribi potest, ut per se patet (139). Relinquitur ergo, illud *Deum* habere auctorem. Hoc confirmat etiam historia.

1. Christus enim ipse Apostolis assistentiam *supernaturalem* donumque miraculorum promisit (Act. 1, 8): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae*; et (Marc. 16, 17 sq): *Signa eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt.*

2. Apostoli reipsa innumera *miracula* patrarunt. Sic legimus (Act. 2, 43): *Multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Ierusalem fiebant*; iterum (5, 14 sqq): *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas eiicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concorrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Ierusalem; afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes.*<sup>1)</sup> — Veritas porro historica et philosophica istorum miraculorum iisdem ferme argumentis constat, ac veritas miraculorum Christi (138 sq). Incredulis vero, qui praefracte ea negant, cum s. *Augustino*<sup>2)</sup> dicimus: «Si miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine aliis miraculis credidit.»

3. Aliud medium supernaturale consistebat in *donis*, quae Spiritus sanctus primum die Pentecostes in Apostolos (Act. 2, 4), deinde etiam in discipulos largiter effudit. Tales effusiones factae leguntur: Samariae per impositionem manuum Petri et Ioannis (Act. 8, 17); in conversione Cornelii centurionis (ib. 10, 44); in baptismo et confirmatione discipulorum Ioannis (19, 6) etc. Porro ex his donis superna-

<sup>1)</sup> Cf. Act. 5, 1 sqq; 6, 8; 9, 40; 19, 11; Hebr. 2, 4.

<sup>2)</sup> De civit. Dei l. 22 c. 5; cf. c. 8.

turalibus b. Paulus Evangelii veritatem Galatis probat (3, 1 sqq): *O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati? ... Hoc solum a vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? ... Qui ergo tribuit vobis Spiritum et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Idem Apostolus varia praecepta circa usum horum donorum dat Corinthiis (ep. I c. 14).

4. Miracula et dona Spiritus sancti in morte Apostolorum *non desierunt*, licet rariora fierent, eo quod religione christiana solidata, non amplius tanta fuit eorum necessitas.<sup>1)</sup> Historia ecclesiastica innumera refert miracula, tanta publicitate facta testiumque nube confirmata, ut omnem veritatem historicam in dubium vocare debeat is, qui illis fidem detrectat. Sane omnes apologetae antiqui: *Iustinus Mart.*,<sup>2)</sup> *Irenaeus*,<sup>3)</sup> *Origenes*,<sup>4)</sup> *Tertullianus*,<sup>5)</sup> *Lactantius*<sup>6)</sup> etc. in suis apologiis religionis christianae contra

<sup>1)</sup> Cf. Greg. M., Hom. 29 in Evang.

<sup>2)</sup> Apolog. 1, 6; Dialog. c. Tryph. n. 88.

<sup>3)</sup> Adv. haeres. l. 2 c. 32 n. 4: «Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit.»

<sup>4)</sup> Contr. Cels. l. 1 n. 2 et 46; l. 2 n. 8.

<sup>5)</sup> Ad Scapul. c. 2 et 4, et Apolog. c. 23 n. 93: «Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem a daemone agi constet. Iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aequè producat aliquis ex his, qui de Deo pati existimantur... nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius, *quid hac probatione fidelius?*»

<sup>6)</sup> Instit. div. l. 4 n. 27. Plurima miracula facta suo tempore narrat s. Augustinus (De civit. Dei l. 22). Inter alia scribit de s. Stephano (c. 8 n. 20): «Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantum velim scribere, quae per hunc martyrem, i. e. gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri.» Celeberrimum est miraculum, quod in persecutione vandalica sub Hunnerico rege *Tipasae*, Mauretaniae urbe, contigit. Cum enim omnibus incolis et vicinis illius urbis lingua in odium fidei funditus eruta fuisset, clare nihilominus distincteque loqui pergebant. Eorum plurimi Constantinopolim se receperunt, ibique multo tempore vivi testes miraculi pro religione christiana

paganos et Iudaeos ad miracula, ad eiectiones daemonum aliaque charismata divina provocarunt. Ipsi vero Iudaei et pagani miracula non negarunt nec negare potuerunt, sed ad artes magicas provocarunt.<sup>1)</sup> Notum denique est, miraculis sanctorum Augustini, Bonifatii, Francisci Xaverii aliorumque virorum apostolicorum conversos fuisse Anglos, Germanos, Indos, Iapones aliasque gentes paganas.

**Thesis 38.** *Fructus mirabiles, quos religio christiana in mundo produxit, eius originem divinam invicte demonstrant.* 155

Claritatis causa distinguimus fructus in ordine *moralis* et *sociali*, iisque enumeratis *consequentiam* pro thesi deducimus.

**A. Christianae religionis fructus.**

1. In ordine *moralis*. Quam profunda fuerit abyssus vitiorum, in quaolvebatur misera proles Adami ante Christi adventum, alibi iam exposuimus (45). Dii paganorum «non numina colendorum, sed crimina erant colentium,»<sup>2)</sup> ut signanter loquitur *Augustinus*. Ex cultu disce mores.<sup>3)</sup> Quam laeta autem per Christum inducta fuerit morum innovatio, testantur:

a. *Actus et epistolae Apostolorum*. Sic Act. 2, 42 sqq describitur vita mirabilis primorum Christianorum. Nimirum erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus; habebant omnia communia, et erant collaudantes Deum; multitudinis credentium erat cor unum et anima una (4, 32). Paulus vero enumeratis vitiis paganorum subdit (I Cor. 6, 11): *Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine D. N. I. C.*

patrati exstiterunt; inter quos Reparatus subdiaconus in ipsa aula imperatoris commorabatur. Rem gestam multi scriptores coevi: Victor a Vita, Evagrius, Procopius, Comes Marcellinus, Gregorius M., ipseque Iustinianus imperator in suo edicto, ac philosophus platonius Aeneas a Gaza commemorant; unde de miraculi veritate ne levissimum quidem dubium moveri potest. (Cf. Stolberg, Geschichte der Relig. Iesu Christi Bd. 15 S. 191 ff; Gutberlet, Apolog. Bd. 2 S. 308).

<sup>1)</sup> Sic Celsus ap. Orig. l. 1 n. 16; Iulianus apostata ap. s. Cyrill. Alex. l. 10; Suetonius in vita Neronis; Lucianus, De morte Peregrini.

<sup>2)</sup> De civit. Dei l. 4 c. 23 n. 2.

<sup>3)</sup> Cf. Felten, Neutestamentliche Zeitgeschichte Bd. 2 Abschn. 6.

**b. Testantur Patres.** Audiatur, quomodo e. g. *Clemens Rom.*<sup>1)</sup> primitivam Ecclesiam describit: «Quis apud vos diversatus virtute omni plenam firmamque ac stabilem fidem vestram non probavit? sobriamque et moderatam in Christo pietatem non est admiratus? splendidos ac liberales hospitalitatis vestrae mores non praedicavit?... Omnia enim sine personarum intuitu a vobis fiebant, et in Dei legibus ambulabatis, praepositis vestris subditi, et presbyteros, qui sunt inter vos, debito honore prosequentes.... Omnes humili animo eratis, in nullo inani gloriationi dediti, aliorum iugo subiecti potius quam alios vobis subiicientes, lubentius dantes quam accipientes: Dei viatico contenti, et ad verba eius diligenter attendentes intime recondita in visceribus servabatis, eiusque passiones vobis prae oculis erant. Sic alta et beata pax, cum inexplebili benefaciendi desiderio, omnibus data fuit; plena etiam super omnes Spiritus sancti effusio facta est; sanctaque voluntate pleni, bona animi promptitudine, cum pia confidentia, manus vestras ad Deum omnipotentem extendistis, supplicantes ei, ut esset erga vos animo propitio, si quid inviti peccassetis. Labor omnis et contentio vestra diu noctuque pro universa fraternitate erat, ut numerus electorum eius cum commiseratione et conscientia salvaretur. Sinceri inter vos invicem, innoxii, et omnis iniuriae immemores eratis. Seditio omnis et scissura vobis abominanda erat; proximorum delicta lugebatis, illorum defectus vestros censebatis: propter benefacta nulla poenitentia ducti, ad omne bonum opus prompti eratis. Ornati veneranda et omnibus numeris absoluta conversatione, omnia in timore eius peragebatis: mandata et praecepta Domini in latitudine cordis vestri altius insculpebantur» etc. — Neque dicas, hunc fervorem primorum Christianorum statim deferbuisse. Licet enim non semper eadem sanctitate floruerint Christiani, eorum tamen mores constanter adeo distabant a paganorum corruptela, ut Tertullianus asserere potuerit, «Christianos non aliunde esse noscibiles, quam de emendatione vitiorum.»<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Ep. ad Cor. n. 1 sq.

<sup>2)</sup> Ad Scapul. c. 2; cf. Apolog. c. 44 n. 148. Consule alios apologetas, e. g. Iustin. M., Apolog.; Athenag., Leg. pro christ.; Minut.

c. *Pagani* tantum abest, ut his contradicerent, ut et ipsi praeclara testimonia de Christianorum probitate ederent. Sic *Iulianus* apostata<sup>1)</sup> suos hortatur, ut convertant oculos «ad ea, quibus Christianorum religio crevit, i. e. ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam et ad sanctimoniam, quam simulant». Magnificum eloquium, quo Plinius mores Christianorum extollit, iam commemoravimus (119).

2. Fructus in ordine *sociali*<sup>2)</sup> breviter tangimus, cum 156 nimis amplam materiam contineant et aliunde satis noti sint. Commemorari debent praecipue sequentes:

a. *Renovatio societatis domesticae*. Sublata enim est polygamia et vagus concubitus, restituta indissolubilitas et unitas matrimonii, iura uxorum et filiorum amice composita sunt cum officio subiectionis sub potestate patrisfamilias.

b. *Renovatio societatis civilis*. Frangebatur enim absolutismus despoticus principum ex una parte, et imponebatur subditi obedientia «propter conscientiam» (Rom. 13, 5) ex altera parte.

c. *Renovatio societatis nationalis*. In religione namque christiana *non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus* (Col. 3, 11; cf. Eph. 2, 13 sq). In die Pentecostes (Act. 2, 8 sq) initium sumpsit laetissima omnium populorum adunatio, quae nostris temporibus, simul cum religione christiana, proh dolor, in dies magis ad interitum vergit.

d. *Renovatio denique totius societatis humanae*. Omnes quippe homines fratres sunt in Christo, qui eundem Patrem habent in caelis ipsum Deum, eandemque matrem in terris sanctam Ecclesiam. Hoc dogmate servitus paganorum in radice iam sublata erat. Profecto, in sola religione christiana vera reperitur libertas, aequalitas et fraternitas.

e. Accedunt innumera alia bona *physica* tam spiritualia, quam materialia, quae Christianismus in mundum invexit;

Felix., Oct. c. 31 sq; ad Diognet. c. 5 sq; August., De morib. eccl. c. 31 sq; Lact., Instit. div. l. 3 n. 26.

<sup>1)</sup> Ap. Cyrill. Alex. l. 10 c. 97; cf. Lucian., De morte Peregrini.

<sup>2)</sup> De conditione sociali in paganismo cf. Felten, l. c. Abschn. 5.

cuiusmodi sunt scientiae, artes, cultura et instructio publica, atque innumera alia bona, quae ad vitam honeste et iucunde agendam conducunt. — De saluberrimo religionis christianae seu, quod perinde est, Ecclesiae catholicae influxu in societatem humanam ex professo agit Leo XIII. in suis encyclicis, quae legi ac perpendi quam quod maxime merentur.<sup>1)</sup>

**B. Consequentia** ex praefatis factis ultro sequitur:

157 1. Sicut enim arboris bonitas ex fructibus materialibus, ita religionis veritas et bonitas fructibus moralibus dignoscitur. Sed religionis christianae fructus sunt plane caelestes. Ergo et ipsa religio caelestis est (cf. Matth. 7, 18; 15, 13.)

2. Notum est, quam difficilis sit vitiorum emendatio, passionum refraenatio, victoria de gravibus tentationibus, virtutum exercitium per notabile tempus multoque magis per totam vitam continuatum. In tractatu de gratia ex professo demonstrabitur, haec omnia solis viribus naturalibus moraliter impossibilia esse. Atqui iuxta dicta homines innumeri, postquam religionem christianam amplexi sunt, repente vitam flagitiosissimam mutaverunt virtutesque plane heroicas, non obstantibus gravissimis difficultatibus internis et externis, per totam vitam exercuerunt. Quare cum Origene<sup>2)</sup> inferre possumus: «Divinitatis testes sunt tot ecclesiae hominum, qui a vitiorum colluvie aversi conditori se totos addicunt et in omnibus illi placere student.»

3. Constat praeterea ex historia, paganos omnes, non exceptis iis, qui apicem culturae attigerunt, in profundum corruptionis morales prolapsos fuisse. Celeberrimi item philosophi virtutes quidem docuerunt, nullus autem teste *Tullio*<sup>3)</sup> repertus est «ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat, qui disciplinam suam non potius ostentationem scientiae quam legem vitae putaverit, qui obtemperaverit ipse sibi et decretis suis paruerit.» Atqui religio christiana non solum virtutes docuit, sed produxit. Ergo est religio vera.

<sup>1)</sup> Praesertim: *Inscrutabili Dei consilio* 21. Apr. 1878, *Immortale Dei* 1. Nov. 1885, *Rerum novarum* 15. Mai. 1891. Cf. Pesch, *Die soziale Befähigung der Kirche*, 3. Aufl. (Berlin 1911); Albertus, *Sozialpolitik der Kirche* (Regensburg 1881).

<sup>2)</sup> Contr. Celsum I. 1 n. 47.

<sup>3)</sup> Quaest. Tuscul. II, 4.

«Quod illi (barbari), ita *Lactantius*,<sup>1)</sup> poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque a philosophis fieri posse viderunt, sola haec efficit doctrina caelestis, quia sola sapientia est... Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effraenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo et pecuniam suam plenis manibus largientem» etc.

**Thesis 39.** *Martyrium christianum veritatem religionis christianae invicte probat.* 158

Pro more primo *factum historicum* breviter proponemus, deinde *consequentiam* ex eo deducemus.

**A. Factum historicum cum suis circumstantiis.**

1. *Ingens fuit martyrum numerus*; et quidem omnis aetatis, sexus, conditionis et nationis. Id testantur antiquissimi apologetae et historici christiani: *Quadratus, Aristides, Iustinus M., Tertullianus, Athenagoras, Eusebius*. Iuxta *Eusebium*<sup>2)</sup> innumera fuit multitudo eorum, qui sub Diocletiano passi sunt. «Ecclesia, inquit *Irenaeus*,<sup>3)</sup> in omni loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum permittit ad Patrem.» Teste *Lactantio*:<sup>4)</sup> «vexabatur universa terra, et praeter Gallias ab oriente usque ad occidentem tres acerbissimae bestiae saeviebant.» Idem testantur historici pagani. *Tacitus* e. g. loquitur «de multitudine ingenti» eorum, qui sub Nerone patiebantur.<sup>5)</sup> Neque decem persecutionibus imperatorum romanorum finitis cessavit martyrium christianum. Posterioribus namque

<sup>1)</sup> Instit. div. I. 3 n. 26.

<sup>2)</sup> Hist. Eccl. I. 8. c. 1 sq.

<sup>3)</sup> Adv. haer. I. 4 c. 33 n. 9.

<sup>4)</sup> De mort. persec. n. 16.

<sup>5)</sup> Annal. I. 15 n. 44. Cf. s. Augustinum (De civit. Dei I. 18 c. 52), ubi decem persecutiones enumerat. — Increduli numerum martyrum imminuere conati sunt, innixi praesertim testimonio Origenis (c. Cels. I. 3, 8): „Ὅλῖγοι κατὰ καιροὺς καὶ σφόδρα εὐαρίθμητοι ὑπὲρ τῆς Χριστιανῶν θροσεβείας τεθνήκασιν.“ At Origenes hoc loco numerum martyrum non absolute parvum dicit, sed in comparatione ad numerum Christianorum, qui persecutioni superstites fuerunt. Alibi vero; e. g. Hom. 9 in Iosue de magnis Christianorum persecutionibus loquitur. Cf. Acta mart. P. Ruinart, ubi dissertatio Dodwellii «de paucitate martyrum» invicte refellitur.

saeculis Vandali, Persae, Iapones, Sinenses etc. ad nostra usque tempora persecutionem instaurarunt; persecutoribus paganis coniungebantur haeretici et schismatici.

2. *Horrenda et diuturna martyrum supplicia* constant ex auctoribus christianis ethnicisque, ex actis martyrum ac martyrologiis, et quasi ob oculos nobis ponuntur per icones et instrumenta martyrii, quae ex catacumbis eruta sunt. Nero «quaesitissimis poenis» affecit Christianos (Tacitus l. c.). «Exquisitos dolores, inquit *Lactantius*,<sup>1)</sup> corporibus immittunt et nihil aliud evitant, quam ut torti moriantur.» Et *Cyprianus*:<sup>2)</sup> «Tormenta venerunt et tormenta sine fine tormentis, sine exitu damnationis, sine solatio mortis, tormenta quae ad coronam non facile dimittant, sed tamdiu torqueant, quamdiu deficient.» Cruciatus *corporis* saepe coniungebantur cruciatus *animi* propter pudicitiae pericula<sup>3)</sup> affectionemque ad carnem et sanguinem.<sup>4)</sup>

3. *Causa martyrii sanctissima fuit*; videlicet vel christianae religionis professio generatim, ut in ethnicorum persecutionibus;<sup>5)</sup> vel dogmatis catholici assertio speciatim, ut in persecutione vandalica; vel firma ad catholicam Ecclesiam adhaesio, ut in persecutione anglica; vel disciplinae et iurium Ecclesiae defensio ut in particularibus casibus. Causam martyrii nervose exprimit *Tertullianus*<sup>6)</sup> provocans ad acta iudicialia paganorum: «Vestros iam contestamur actus..

<sup>1)</sup> De mort. persec. n. 15; cf. Euseb. l. c. l. 8 c. 9 sq.

<sup>2)</sup> Ep. 8 al. 11, 1.

<sup>3)</sup> Teste Tertulliano (Apolog. c. 50 n. 176) virgines christianae magis timuerunt, si ad *lenones* quam si ad *leones* damnarentur (cf. Lact., Instit. div. l. 5 n. 13; Eusebius l. c. l. 8 c. 1).

<sup>4)</sup> «Maiorem violentiam, inquit Augustinus (Enarr. in Ps. 47, 13), habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii, ne paterentur? Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur. Quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legimus in passione b. Perpetuae? Facta sunt ista. Sed lacrimae quantaelibet et quantolibet impetu fluere, quando ardorem caritatis extinguere?»

<sup>5)</sup> Ipsum nomen «Christianus» pro crimine habebatur, morte dignum. Cf. Pieper, Christentum, römisches Kaisertum und heidnischer Staat (Münster 1907).

<sup>6)</sup> Apolog. c. 44 n. 148.

de vestris semper aestuat carcer; de vestris semper metalla suspirant... Nemo illic Christianus, nisi hoc tantum (i. e. propter fidem christianam); aut si et aliud, iam non est Christianus».

4. *Modus, quo martyres patiebantur* plane mirabilis fuit:

a. Propter heroicam animi *fortitudinem*, qua tormenta tolerabant. Dum enim abnegando facillime a cruciatibus se eximere et saepissime magna etiam bona temporalia consequi potuissent, id minime fecerunt, sed invicta constantia ac saepe etiam magna animi hilaritate in tormentis usque ad mortem sustinuerunt. «Eorum (martyrum) strenuitatem ac tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? Qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intestinas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam qui aderant miserarentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret vel ingemisceret, omnibus ostendentes martyres Christi se tunc, cum torquerentur, a carne peregrinatos fuisse aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum.»<sup>1)</sup>

b. Propter *alias eximias virtutes*, quas martyres ostendebant: zelum, caritatem, amorem erga inimicos, humilitatem, contemptum mundi ac desiderium ardens patriae caelestis. «Quomodo ampullae unguentorum, quanto magis frangebantur, tanto amplius odor diffundebatur.» Ita pulchre *Augustinus*.<sup>2)</sup>

c. Propter *sapientissima responsa*, quibus fidei suae rationem coram iudicibus reddebant, ita ut verificaretur promissio Domini (Luc. 21, 15): *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*.

d. Denique propter innumera *miracula*, quae tum in ipsis martyriis tum ad martyrum tumulos patrata sunt.

**B. Consequentia** facti expositi haec est: *Religio, cuius veritatem tot et tales testes proprio sanguine asserunt, certe vera est*. Ut haec consequentia melius perspiciatur, adverte martyrium tam *in se*, quam *in suis effectibus* considerari posse.

<sup>1)</sup> Ita in epist. smyrnensi de mart. Polycarpi c. 2.

<sup>2)</sup> Sermo 273 n. 5.

1. Martyrium in se consideratum, ut ipsa vox significat, est *testimonium*, idque duplex, scilicet subiectivum invictae *persuasionis*, et obiectivum *historicae veritatis*.

a. Testimonium, inquam, *invictae persuasionis*. — Nisi enim martyribus de veritate religionis christianae firmissime persuasum fuisset, profecto nunquam tam atrocia tormenta pro ea sustinuissent. Atqui talis persuasio a pondere tantum veritatis procedere potuit. Impossibile enim est, ut homines innumeri, inter quos plurimi fuerant doctissimi, prudentissimi vel etiam philosophi sceptici, qui non absque diuturna inquisitione religionem christianam amplexi sunt, certitudinem tam inconcussam ex errore et mendacio, ex fictis miraculis ac vaticiniis hauserint. Hoc siquidem naturae intellectus et experientiae repugnat. Ergo martyrum invicta persuasio signum est veritatis.

b. Testimonium *historicae veritatis*. Martyres enim sanguinem suum non solum ad manifestandam et asserendam subiectivam suam *persuasionem* de veritate religionis christianae, sed ad contestanda *facta historica*, quibus fides innititur, fuderunt. *Eritis mihi testes* (Act. 1, 8), inquit Christus ad Apostolos; et revera *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi* (4, 33). Obiectum videlicet testimonii apostolici sanguine obsignati est opus redemptionis humanae, cuius veluti sigillum resurrectio Christi fuit. Quod autem Apostoli ut testes *immediati* asseruerant, idipsum martyres subsequentes ut testes *mediati* sanguine suo confirmarunt. Atqui nullum aliud factum historicum reperitur, pro cuius veritate myriades testium et talium testium sanguinem suum fuderunt. Si ergo de testimonio martyrum dubitare fas esset, de omni testimonio et consequenter de omni facto historico dubitari posset.

2. Martyrium etiam suis *effectibus* ineluctabile veritatis argumentum praebet. Dum enim poenae atroces, quae hominibus facinorosis infliguntur, alios naturaliter ab eorum imitatione deterrent, contrarium accidit in martyribus, iuxta notum illud *Tertulliani* effatum: «semen est sanguis christianorum». <sup>1)</sup> Nulla autem alia ratio sufficiens huius effectus

<sup>1)</sup> Apolog. c. 50 n. 176: «Cruciate, torquete, dammate, atterite nos: probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra . . . Nec

assignari potest, quam heroicae martyrum virtutes, quae non solum in admirationem rapiebant, sed etiam ad imitationem provocabant. Intelligebant profecto spectatores, vanam non esse eam fidem neque fallacem eam spem, pro qua tam gloriose ac virtuose certabatur. Nam, ut scite observat s. *Hieronymus*,<sup>1)</sup> «cum quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiae Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, quod nisi *verum esset Evangelium, numquam sanguine defenderetur*. Neque enim delicata et divitiis studens ac segura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. *Hic triumphus est Dei Apostolorumque victoria*». <sup>2)</sup>

### ARTICULUS III.

#### Difficultates.

**A.** Contra argumentum ex *rapida propagatione* religionis christianae rationalistae varias opponunt causas naturales, ex quibus hoc factum naturaliter explicari possit. 160

**a.** Prima causa iuxta ipsos est *fanatismus religiosus*, qui incredibili aestu homines abripit; ut in rapida latissimaque propagatione Muhamedanismi, Arianismi aliarumque sectarum contigit.

**b.** Secunda causa fuit *miseria religiosa*, quae tunc temporis summum gradum attigerat quaeque puriori religioni, qualis certe erat religio christiana, saltem negative viam sternebat.

**c.** Accedit tertio *indoles* religionis christianae, quae sinum aperit omnibus peccatoribus,<sup>3)</sup> et praemia aeterna quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra: illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum».

<sup>1)</sup> Ep. 120 ad Hedib. c. 11.

<sup>2)</sup> Cf. Clem. Rom., Ep. ad Cor.; Iust. M., Apolog. 2 n. 10 sq; Iren., Adv. haer. 1. 4 c. 33; Cypr., Ep. 58; Lact., Instit. div. 1. 5 c. 13 Cf. Hurter, dissert. «Martyrum sanguis vox veritatis» (opusc. IV pg. 143—188).

<sup>3)</sup> «Quisquis mulierum corruptor, quisquis homicida, quisquis piaculo et execrando scelere sese obstrinxit, fidenter adito; etenim simul atque hac aqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam:

promittit levissimis bonis operibus; praesertim vero misericordia in pauperes miseram allicit plebem.

d. Quarto externa etiam *adiuncta favorabilia* accedebant, praesertim adunatio populorum sub uno sceptro romano, quae etiam adunationem in una religione quam maxime promovit.

At istae rationes minime sufficiunt.

*Non prima.* Nam fanaticus religiosus est passio vel effectus passionum. Religio christiana autem passionibus omnibus bellum indicit. Fanaticus vi et armis aliisque mediis violentis uti solet; arma christiana sunt verbum Dei, patientia et caritas. Fanaticus ex praeiudiciis et ignorantia aliisque fontibus impuris oritur; religio christiana praeiudicia dissipat mentemque ab errore et vitiis liberat. Neganda proinde est paritas inter propagationem Muhamedanismi, Arianismi aliarumque sectarum cum propagatione religionis christianae. Illa enim passionibus blandiebantur, principumque patrociniis fruebantur, humanam superbiam morumque licentiam fovebant; religio Christi vero est religio crucis, quae passionibus omnibus bellum indixit.

*Non secunda.* Quamvis enim miseria religiosa, in qua genus humanum gemebat, desiderium salvatoris excitaret et sic viam christianismo aliquo modo pararet (54), haec tamen causa ad explicandam rapidam propagationem eiusdem religionis christianae minime sufficebat. Falsum quippe est, quod homines ex profundo errorum et vitiorum *naturaliter* ad puriorem religionem se convertunt; sed e contrario, quo fortius aliquis a diabolo est ligatus, eo difficilius plerumque convertitur. Quodsi porro difficile non erat, idololatricam stultitiae arguere, certe non facile, immo naturaliter impossibile fuit, homines inducere, ut religionem crucis amplecterentur atque Deum crucifixum adorarent.

*Non tertia.* Promissiones enim et praemia in religione christiana contenta altioris sunt ordinis ac vitam aeternam respiciunt, nullamque vim habent, nisi vera esse credantur. Quare non explicant, sed *supponunt* fidem. Misericordia in

---

quod si iisdem sese flagitiis rursus contaminaverit, efficiam, ut tonso capite et pectore percusso expietur.» Ita Iulianus apostata exprobrat Christianis (ap. Perrone l. c. n. 375).

pauperes vero et reliquae virtutes certe homines ad religionem christianam invitabant; sed hoc ipsum est signum veritatis, quia falsa religio veras virtutes non docet. Quodsi pauperes eleemosynis Christianorum ad fidem alliciebantur, e contrario difficultatibus internis et persecutionibus externis absterrebantur. — Ceterum non pauperes dumtaxat et rudes, sed viros quoque nobilissimos ac doctissimos Ecclesia in suo sinu complectebatur.<sup>1)</sup>

*Non quarta.* Populorum enim sub uno sceptro adunatio utique faciliorem reddidit propagationem religionis christianae ab una gente in aliam, at faciliorem quoque reddidit ipsius suppressionem per potestatem politicam, cuius plenitudo in imperatoribus, iuratis Christi hostibus, tota residebat.

**B.** Contra argumentum ex *fructibus* religionis christianae in ordine morali et sociali: 161

**Obiiciunt** 1. Etiam inter Christianos omnis generis vitia fuerunt, et plane nefanda, qualia nec inter gentes; ut ipse Paulus (I Cor. 5, 1) fatetur, et Patres passim deplo- rant. Legantur e. g. homiliae s. Chrysostomi vel Gregorii M. etc. E contrario etiam penes ethnicos virtus et colebatur et exercebatur a multis. Virginitas praesertim in magno pretio fuit.

Resp. Concedimus, per religionem christianam non omnia vitia reipsa de mundo sublata esse. At  $\alpha$ ): Id tribui non debet religioni sed hominum perversitati, qui medicina divinitus oblata uti noluerunt.  $\beta$ ) Christiani in vitia corruunt, si praeceptis suae religionis non obediunt mediisque gratiae non utuntur; pagani vero exemplis suorum deorum vitia

---

<sup>1)</sup> Iam Celsus, Iulianus, aliique obiiciebant, quod rudes tantum religionem christianam amplecterentur. Quibus apposite respondet Hieronymus (Praef. in l. de viris illust.): «Discant igitur Celsus, Porphyrius et Iulianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores (qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores), quanti et quales viri fundaverint eam et extruxerint, et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere.» Et sane iam publica existerat in ecclesia alexandrina schola a primis Ecclesiae saeculis instituta, in qua viri doctissimi, Ammonius, Pantaenus, Clemens Alex., Origenes etc. floruerunt, et ad quam vel ipsi ethnici turmatim confluebant etc.

sua cohonestare possunt.  $\gamma$ ) Inter vitiosos Christianos pluri fuerunt et sunt, qui nomen quidem Christiani habent, re autem iamdiu fidem abiecerant.  $\delta$ ) Quidquid tandem sit de vitiis Christianorum, ea ferme evanescunt in comparatione ad corruptionem mundi pagani; sicut vicissim virtutes paganorum, maxime eorum qui cultura florebant, rarissimae exceptiones fuerunt.<sup>1)</sup>

**Obiiciunt 2.** Christianismus bono sociali minime profuit, sed nocuit. Docet enim terrena despicere et amare caelestia; naturae eiusque affectibus bellum indicit; mundum ut vallem lacrimarum considerat; libertati, civilisationi et progressui opponitur; hominemque abiectum efficit, atque ad officia societatis, ad industriam et mercaturam, maxime ad bella gerenda ineptum facit, etc. Talis religio autem prosperitati civium et felicitati temporali profecto non consulit. Et revera florentissimum imperium romanum, statim ac Christianismus invaluit, ad interitum vergere coepit.

Resp. Christiana religio: „*docet terrena despicere et amare caelestia;*” non ita tamen, ut nulla cura habeatur prosperitatis terrenae, sed cura moderata et ordinata exigitur. Christus enim non dixit, ut *unice*, sed ut *primum* quaeramus regnum Dei et iustitiam eius (Matth. 6, 33). Et certe si homines hunc semper ordinem tenerent, bona temporalia sufficienter et plus quam sufficienter procul dubio eis adiiicerentur.

„*Naturae eiusque affectibus bellum indicit.*” — *Dist.* naturae corruptae et affectibus inordinatis, C.; naturae sanae et affectibus ordinatis, N. Quis autem ignorat, passiones indomitas esse segetem fertilissimam spinarum, quibus contactus est mundus, iuxta illud (Iac. 4, 1 sq): *Unde bella*

---

<sup>1)</sup> Ipsi scriptores ethnici Plinius, Tacitus, Aristophanes, Lucianus generalem corruptelam mundi pagani, praesertim crimen nefandum sodomiae prope commune, testantur: «Omnia, inquit Seneca (De ira, II. 8), sceleribus ac vitiis plena sunt; plus committitur, quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu quocunque visum est, libido se impingit. Nec furtiva iam scelera sunt, praeter oculos eunt» etc. Idem testatur Apostolus (Rom. 1 24 sqq). Cf. Weiß, Apologie, Bd 5 Die Vollkommenheit 7. Vortr. 4. Aufl. (Freiburg 1905).

*et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris?* et (Prov. 14, 34): *miseros autem facit populos peccatum.*

„*Mundum ut vallem lacrimarum considerat.*” — An im-merito? Nonne Sisyphei sortem partiuntur illi, qui terram in paradisum convertere satagunt? Ceterum si quae in hac vita est vera pax et gaudium, ea certe in religione christiana reperiuntur. Quod autem de singulis, etiam de populis valet; nam *beatus populus, cuius Dominus Deus eius* (Ps. 143, 15).

„*Libertati, civilisationi et progressui opponitur.*” — Nego; immo Christianismus iugum servitutis fregit, barbaras nationes domuit, scientias, artes omnemque veram culturam promovit. Licentiae autem morum, civilisationi et progressui fucato saeculi moderni utique merito se opponit religio christiana.<sup>1)</sup>

„*Religio hominem abiectum facit.*” — Nego absurdam calumniam. An abiecti fuerunt tot sancti martyres aliique heroes virtutum, quos Christianismus produxit? An abiectus est omnis sincerus Christianus, qui passiones vincere, Deum colere, proximum diligere omnibusque obligationibus sui status pro posse satisfacere connititur?

„*Ineptum facit ad officia societatis, ad mercaturam et bella gerenda*” etc. — Nego; immo praecepta tradit atque virtutem largitur ad bene, et prout decet, huiusmodi negotia saecularia tractanda. Merito iam s. *Augustinus*<sup>2)</sup> interpellat eos, qui ex hoc capite accusabant nostram religionem: «Qui doctrinam Christi, inquit, adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci red-ditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana: et audeant eam dicere adversam esse reipublicae.»

---

<sup>1)</sup> Lege Encycl. Leonis XIII.: *Libertas praestantissimum naturae bonum*; Kultur und Kirche, Hirtenworte des Kardinal-Bischofs Joachim Pecci (Mainz 1878).

<sup>2)</sup> Ep. 138, 15. .

„*Imperium romanum propter religionem christianam interiit.*” — Nego; sed interiit propter corruptionem morum, propter dissidia intestina et bella civilia, quae iam ante Christum natum exarserant regnumque illud vastissimum intrinsecus ita enervaverant, ut barbaris undique irruentibus diutius resistere non posset. Iam *Augustinus* in primis libris de *Civitate Dei* calumniam eorum repressit, «qui nunc christianis temporibus detrahunt, et mala, quae illa civitas pertulit, Christo imputant.»<sup>1)</sup>

162 C. Contra argumentum ex *martyrio* christiano peti-  
tum: **Obiiciunt** 1. iuxta Patrum axioma «causa martyrem facit, non poena.»<sup>2)</sup> Martyrium per se ergo nil probat, nisi supponatur, Christianos pro causa bona, scilicet pro vera religione passos fuisse. Unde supponitur id, quod est in quaestione.

Resp. Distinguendum est primo inter ordinem *ontologicum* et ordinem *logicum*: In ordine ontologico utique vera religio est causa veri martyrii, et non viceversa, ut patet. In ordine cognitionis autem subdistingui debet inter factum *singulare* et universale. Si de certo aliquo casu agitur, an videlicet hic vel ille homo fuerit verus martyr, primo utique de causa quaeri debet, pro qua mortuus est. Nostrum argumentum autem non ex facto particulari, sed ex facto universali martyrii christiani cum omnibus suis adiunctis spectato procedit. Hoc tale esse asserimus et probavimus, ut veritas religionis christianae necessario inde concludatur. Sensu igitur exposito intelligendum est effatum Patrum: causa martyrem facit, non poena.

2. *Instant.* Martyrium ex fanatismo, vel ex momentaneo entusiasmo, ut aiunt, vel ex inani gloria vel demum ex vana spe bonorum futurorum explicari potest. Nihil ergo ex martyrio pro veritate religionis christianae concluditur. Et reapse omnes sectae proferunt suos martyres. Iapones alii-que pagani ante plastra idolorum se sternunt in viis, ut ab iis conterantur; viduae Indorum se in ignem immittunt, ut sese maritis vita functis coniungant; omnes denique po-

<sup>1)</sup> L. 1 c. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Cypr., De dupl. mart. c. 6; August. in Ps. 34 n. 8.

puli habent suos heroes, qui se morti tradiderunt pro patria, idemque milites innumeri quotidie faciunt.

Resp. *Dist.* Martyrium *materialiter* spectatum ex allatis causis procedere et explicari potest, *Tr.*; martyrium *formaliter*, i. e. cum omnibus adiunctis superius expositis spectatum, *N.*

Sane *fanatismus* est caecus quidam impetus, quo homo praeceps agitur; martyres vero animum pacatissimum prae-setulerunt ac responsa sapientissima dederunt. Praeterea fanatismus nec omnes nec sapientes invadit nec diuturnus est; martyrium autem in omnibus hominum classibus floruit pluribusque saeculis duravit. Cur tot Christiani in tormentis defecerunt et fidem abiurarunt, si fanatismus ad subeundum martyrium sufficit? — *Inanis gloria* multo etiam minus quam fanatismus explicando martyrio par est. Martyres enim in mundo non gloriam adepti, sed publica infamia notati sunt; plurimi etiam vel in occulto perierunt vel conglobatim necati sunt, ita ut neque apud posteros gloriam sui nominis sperare possent. Ex certa et solida *spe* futurae gloriae et ex sancto quodam entusiasmo, si ita loqui fas est, i. e. ex heroico amore Christi martyrium profecto explicari potest; at spes inanis et fanatismus caecus talem effectum nunquam producere potuissent. Hinc denique apparet, nullam esse paritatem inter nostros martyres illosque homines, qui ab incredulis ob constantiam in subeunda crudeli morte martyribus aequi-parantur. Ingens namque discrimen est tum in *atrocitate* poenarum, tum in *numero* et *conditione* eorum, qui patiebantur, et maxime in *modo*, quo patiebantur; ut facile per se quisque comparatione instituta perspicere potest.<sup>1)</sup>

Concludo iam tractatum verbis pulcherrimis *Pii IX.* 163 (Litter. encycl. 8. Nov. 1846), qui omnia argumenta, quae pro veritate religionis christianae hucusque evolvimus, ita synoptice complectitur:<sup>2)</sup> «Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse*

<sup>1)</sup> Cf. Perrone, Praelect. theol. vol. 1 n. 422 sq.

<sup>2)</sup> Cf. Denzinger 1638.

(Chrys., Interpret. in Is. c. 1), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmitioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum foecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac caelestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutare proferens Christi leges ac maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cuiusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcunque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christo iugo subiecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cuiusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse».

---

## TRACTATUS II. DE TRADITIONE.

Melchior Canus, De locis theologicis l. 3 c. 1—7. S. Rob. Bellarmin, De verbo Dei non scripto l. 4. J. Kleutgen, Die Theologie der Vorzeit I. 2. Aufl., Münster 1867. J. Franzelin, De divina Traditione et Scriptura ed. 4 Romae 1896. J. Perrone, De locis theologicis, Turin 1892. J. A. Möhler, Symbolik 6. Aufl., München-Regensburg 1895. J. Berthier, De locis theologicis, Aug. Taurinorum 1900. L. De San, De divina Traditione et Scriptura, Brugis 1903. Aem. Dorsch, Institutiones theol. fundamentalis II, Oeniponte 1914. L. Billot, De immutabilitate Traditionis contra modernam haeresim Evolutionismi, ed. 2 Romae 1907. J. V. Bainvel, De magisterio vivo et traditione, Paris 1905. G. van Noort, De fontibus revelationis 3. ed., Bussum 1920. H. Felder, Apologetica II, Paderbornae 1920. Chr. Pesch, Institutiones propaedeuticae ad sacram theologiam ed. 7, Friburgi 1924.

Demonstrata *existentia* divinae revelationis, quaeritur 164  
ulterius, *an* et *quo medio* revelatio ad nos usque incorrupta  
derivata fuerit, et quomodo a nobis cognosci possit. Con-  
sentiunt Protestantes cum Catholicis in affirmanda prima  
quaestione; dissentiunt vero circa medium propagationis et  
principium cognitionis. Iuxta Protestantes unicum medium et  
principium cognoscitivum revelationis christianae est s.  
*Scriptura*; iuxta Catholicos est duplex medium principium-  
que cognoscitivum duplex: *Traditio* et *Scriptura*. Auspica-  
bimur tractationem a traditione; ipsa quippe est, a qua non  
solum vera Scripturae interpretatio, sed etiam cognitio de  
eiusdem auctoritate, divinitate et librorum sacrorum canone  
pendet. Traditio ergo est principium cognoscitivum religio-  
nis christianae primarium et independens; Scriptura secun-  
darium et dependens.<sup>1)</sup> Hoc igitur tractatu de *traditione*,  
in sequente de s. *Scriptura* agemus.

---

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, De div. Traditione et Scriptura, prolegom. (ed. 4 Romae 1896); Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 n. 57 ff.

## Prolegomena.

165     **A. Traditionis notio.** Traditio in usu theologico *generice* et *specifice* accipi potest. Traditio primo sensu sumpta dicitur omnis doctrina vel institutum ad religionem pertinens, a maioribus ad posteros transmissum. In hac generali acceptione praescinditur tam ab origine, a qua procedit doctrina, quam a modo, quo propagatur: unde etiam s. Scriptura sub hac generica ratione traditionis comprehenditur. In significatione specifica vero, quatenus traditio a s. Scriptura distinguitur, definiri solet: *doctrina ex fonte divino promanans et viva voce ad posteros transmissa*. In hac definitione duo elementa continentur: scilicet ipsa *doctrina divina*, quae traditur, et *modus* quo traditur, scilicet «viva vox», seu ut Tridentinum (Sess. IV)<sup>1)</sup> dicit, «quasi per manus». Doctrina tradita se habet ut elementum *materiale*, modus tradendi ut elementum *formale*. Specifica traditionis significatio iterum *strictius* vel *largius* sumi potest. Si nomine traditionis intelligitur doctrina religiosa, quae in s. Scriptura non continetur, et *viva tantum* voce ab Apostolis tradita fuit, erit traditio sensu stricto. Conc. *Tridentinum* (l. c.) tales doctrinas vocat «sine scripto traditiones». Sensu largiore vero tota doctrina catholica intelligitur, quatenus viva voce propagatur, licet ex parte saltem *etiam* in Scriptura contineatur.

166     **B. Traditionis divisio.** 1. Ratione *significationis* distinguitur: a) Traditio *objective*, *active* et *adaequate* spectata, quatenus doctrina tradita vel modus traditionis vel utrumque simul consideratur. Sic e. g. Apostolus traditionem objective sumit, cum scribit (II Thess. 2, 14): *Itaque fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis*. Tertullianus vero de *activa* loquitur:<sup>2)</sup> «Harum disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; *traditio* tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.»<sup>3)</sup> Tum doctrina tum modus tradendi continetur verbis Pharisaeorum (Matth. 15, 2): *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* — b) Distinguitur traditio

<sup>1)</sup> Denzinger 783.

<sup>2)</sup> De corona c. 4.

<sup>3)</sup> Cf. Franzelin, l. c. thesi I.

sensu *lato* seu generico, sensu *stricto* seu specifico, et sensu *strictissimo*. Haec ex supra (A) dictis intelliguntur.

2. Ratione *originis* distinguendae sunt traditiones *divinae*, *apostolicae* et *ecclesiasticae*; quatenus doctrina seu institutum ad posteros transmittendum, a Deo vel ab Apostolis vel ab Ecclesia ortum habuit. Traditiones divinae a nonnullis subdividuntur in *dominicas* et *divino-apostolicas*. Haec distinctio, ut ait cl. *Franzelin* (l. c.), non ex diversitate auctoritatis, sed ex diversitate primi promulgatoris pendet. Traditiones dominicae enim appellantur illae, quarum primus visibilis promulgator fuit ipse Christus Dominus; divino-apostolicae vero vocantur illae, quas Apostoli revelante Spiritu sancto primo promulgarunt (cf. e. g. I Cor. 7, 15). A traditionibus divino-apostolicis sedulo secernendae sunt *simpliciter apostolicae*. Illae pro obiecto habent revelationem divinam ab Apostolis promulgatam; istae vero institutiones, quae ab Apostolis tamquam rectoribus Ecclesiae proficiscebantur; e. g. ieiunium quadragesimale, celebratio dominicae loco sabbati. Cum potestas legifera Apostolorum in Ecclesia perduraverit, traditiones simpliciter apostolicae etiam *ecclesiasticae* dici possent; at communiter traditiones ecclesiasticae eae vocantur, quas auctoritas ecclesiastica post tempora Apostolorum instituit, e. g. quaedam caeremoniae in administratione sacramentorum.

3. Ratione *materiae* traditio distinguitur  $\alpha$ ) in *constitutivam* (*distinctam*), quae continet dogmata in Scripturis non contenta; et *interpretativam*, quae eadem habet ac Scriptura. Haec dicitur *inhaesiva*, si doctrina aliqua eadem claritate in traditione et Scriptura continetur; *declarativa*, si traditio clarius eam proponit quam Scriptura.  $\beta$ ) Praeterea traditiones ratione materiae sunt vel *dogmaticae*, quae ad fidem et mores pertinent; vel *disciplinares*, quae disciplinam et politiam externam, caeremonias et alia instituta ad religionem pertinentia respiciunt.

4. Ratione *modi propagandi* dividuntur traditiones in *scriptas* et *orales*; seu accuratius in illas, quae scriptae sunt: vel  $\alpha$ ) in s. Scriptura, vel  $\beta$ ) in documentis posterioribus e. g. in libris Patrum, vel quae  $\gamma$ ) nullo modo scriptae, sed tantum viva voce et praxi Ecclesiae propagatae sunt.

5. Sunt aliae quoque divisiones, quae ex ipsis nominibus intelliguntur, e. g. *universalis* et *particularis* seu *localis*, *perpetua* et *temporalis*, *necessaria* et *libera*. — Quomodo vero dignosci possit origo alicuius traditionis, an divina sit vel apostolica vel mere ecclesiastica, apparebit ex dicendis de criteriis traditionis divinae.

167 C. *Doctrina catholica* de traditione in conc. *Tridentino* (Sess. IV)<sup>1)</sup> proponitur. Videlicet salutaris doctrina et morum disciplina continetur «in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt». Has Scripturas «nec non traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel orôtenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas et continua successione in Ecclesia catholica conservatas sancta synodus pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur». «Si quis autem... traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.<sup>2)</sup> Denique sancta synodus decernit, ut nemo «contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat».<sup>3)</sup> — Ex doctrina catholica ergo α) est duplex medium divinitus institutum ad conservandam et propagandam religionem christianam, Scriptura et traditio, qua divina revelatio «quasi per manus» i. e. viva voce ad nos pervenit (traditio *active* spectata). — β) Hinc praeter verbum Dei scriptum admitti etiam debet verbum Dei traditum (traditio *objective* spectata). — γ) In Ecclesia continetur magisterium divinum, quod non solum viva voce doctrinam christianam propagat, sed ipsam s. Scripturam authentice explicat.

D. Principium cognoscitivum *reformatorum* saec. 16 ad sequentia capita revocatur:

1. Scriptura sacra est medium *adaequatum*, quo totum verbum Dei ad salutem necessarium continetur.

<sup>1)</sup> Denzinger 783.

<sup>2)</sup> Ibid. 784.

<sup>3)</sup> Ibid. 786.

2. Scriptura est medium *unicum*, quo verbum Dei continetur, et unica *regula*, «secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oportet».

3. Reiicienda proinde est traditio divina tamquam fons fidei a Scriptura distinctus. Admittunt vero quidam recentiores Protestantes traditionem *inhaesivam* et *declarativam*, non quidem ut regulam, sed ut *testimonium historicum* fidei et adiumentum scientificum interpretationis s. Scripturae. Resurrectionem Christi, inquit, aequaliter refert Scriptura ac traditio; alia vero dogmata, puta Eucharistiam pro parvulis non esse necessariam, clarius ex traditione quam ex s. Scriptura constare concedunt.<sup>1)</sup>

4. Praeter s. Scripturam nullus habetur *iudex fidei*, sed omnis Christianus ex sola s. Scriptura debet «decernere et iudicare de dogmatibus», ut *Lutherus* scribit.<sup>2)</sup>

His positis agemus  $\alpha$ ) de existentia traditionis divinae;  $\beta$ ) de criteriis, quibus cognoscitur;  $\gamma$ ) de eiusdem perfectione et progressu.

## CAPUT I.

### De existentia traditionis divinae.

Traditio ex dictis in suo conceptu adaequato tum doctrinam, quae traditur, tum medium, quo traditur, complexitur. Primo igitur medium seu organum traditionis i. e. traditionem *active spectatam*, deinde depositum traditum fidei i. e. traditionem *objective spectatam* declarabimus et demonstrabimus. 168

## ARTICULUS I.

### De existentia traditionis active spectatae seu de organo propagandae et conservandae revelationis.

Quaestio non est, utrum Evangelium etiam viva voce propagatum et conservatum fuerit, nec ne. Hoc certe Protestantes non negant; siquidem et ipsi suos *praedicantes* ha-

<sup>1)</sup> Cf. Shuttelworth ap. Card. Mazzella, De relig. et Eccl. n. 324 (ed. 4 Romae 1892).

<sup>2)</sup> Formulae concord. epitome ap. Meyer, Libri symb. Luth. pg. 350; Niemeyr, Collect. Confess. Reform.

bent. Nihilominus traditionem *divinam* non admittunt; quia ministri verbi ex sententia Protestantium non habent auctoritatem divinam, sed mere humanam, exigendam ad unicam normam divinam s. Scripturae. Quaestio igitur de existentia traditionis divinae revocatur ad quaestionem, an praesto sit magisterium vivum fidei cum *auctoritate divina*. Hoc magisterium appellari potest magisterium *authenticum simpliciter* seu *authenticum divinum*. Generatim enim magister *authenticus* ille dicitur, qui non solum *doctrinam* sufficientem, sed etiam *ius* et *officium* docendi habet. Hoc officium vel ab auctoritate civili vel ab auctoritate ecclesiastica vel ab ipso Deo committi potest; et sic magisterium authenticum mere *humanum* vel *ecclesiasticum* vel *divinum* esse potest. In praesente sermo est de magisterio ab ipso Deo instituto ad conservandam et propagandam revelationem divinam; fides quippe divina necessario magisterio divino innititur.<sup>1)</sup> Hoc magisterium appellamus *authenticum simpliciter* seu *per eminentiam*, eiusque conditiones et prae-rogative sunt:  $\alpha$ ) missio divina,  $\beta$ ) charisma veritatis seu infallibilitas,  $\gamma$ ) ius exigendi fidem.<sup>2)</sup>

Liquet, traditionem divinam ab existentia huius magisterii authentici totam dependere, eoque stante vel cadente et ipsam stare vel cadere necessario. Agitur ergo de veritate fundamentali, ad quam probandam statuitur:

169 **Thesis 40.** *Christus instituit magisterium authenticum tamquam organum stabile, ordinarium et necessarium ad propagandam et conservandam religionem ab ipso revelatam. Existit ergo traditio divina active spectata.*

**Declaratio. a.** Nomine magisterii authentici intelligimus magisterium cum auctoritate divina, ut supra declaravimus; id est tale magisterium, quod pro se habet *missionem divinam*, *charisma veritatis* et *ius exigendi fidem*. Contendimus porro, non solum Christum et Apostolos huiusmodi magisterio insignitos fuisse, quod adversarii concedunt; sed

<sup>1)</sup> Etiam magisterium *ecclesiasticum* aliquo modo *divinum* est, quia auctoritati divinae innititur. Sed de hoc postea (n. 464 sq.).

<sup>2)</sup> Cf. etiam Scheeben, Handbuch d. kath. Dogmatik Bd 1 S. 43 ff (Freiburg 1873) ubi magisterium authenticum acute describitur.

illud ex institutione Christi in Ecclesia stabile esse, atque etiam post exaratam s. Scripturam permanere debuisse. Contendimus insuper, hoc magisterium esse medium *ordinarium* pro Christianis cuiusvis conditionis; non solum extraordinarium, puta pro iis, qui Scripturas non habent aut non intelligunt. Denique illud *necessarium* et *obligatorium* esse dicimus, ita ut omnes huic magisterio subiecti esse atque ab eo fidem desumere debeant.

b. Argumenta ad probandam thesim tam ex Scriptura, quam ex traditione depromimus. Hoc prima fronte circulatio esse videatur; et revera talis a Protestantibus nobis obiiicitur. Quomodo enim ad demonstrandam traditionem argumentum ex traditione sine petitione principii adhiberi potest? Quomodo ad Scripturam provocare licet, cum iuxta doctrinam catholicam inspiratio, canon et interpretatio Scripturae a traditione pendeant? At hic circulus non est nisi apparens. Omitto enim, Theologiam fundamentalem, ut statim a limine observavimus (22), esse veram Theologiam supernaturalem, ideoque *pro fidelibus* argumenta ex fontibus revelationis sine circulo vitioso peti posse ac debere. Omitto insuper, *Protestantes orthodoxos inspirationem* s. Scripturae admittere, eamque proinde cum his adversariis ut commune principium supponi posse. — His, inquam, omissis nostra argumentatio etiam mere *apologetice* spectata immunis est a circulatione. Quod enim α) usum *Scripturae* attinet, ad probandam thesim sufficit auctoritas *historica aliquorum librorum* et sensus hermeneutice *evidens aliquorum testimoniorum*. Inde enim iam constat, Christum Dominum, quem ex tractatu de vera religione ut legatum divinitus missum supponimus, revera magisterium authenticum instituisse. Nequaquam autem ad probandam thesim necesse est, ut inspirationem ss. librorum, integrum canonem et verum sensum secundum totam amplitudinem doctrinae supponamus, quod utique nonnisi ex traditione divina constare potest. β) *Traditio* quoque praeter valorem dogmaticum, quem Catholici credunt, etiam *historicum* habet, quod ipsi Protestantes admittere debent. Undenam enim religio christiana melius cognoscitur, quam ex monumentis et documentis antiquitatis, praesertim ex scriptis ss. Patrum, quo-

rum testimonium etiam mere historice consideratum omni exceptione maius est.<sup>1)</sup>

170 *Demonstratio.* 1. Ex disertis verbis Christi: *Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 19 sq); et (Marc. 16, 15 sq): *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;*<sup>2)</sup> et (Ioan. 14, 16 sq; cf. 15, 26 sq): *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis; iterum* (16, 13): *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (cf. Luc. 24, 47; Act. 1, 8; 9, 15); et (Luc. 10, 16): *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* — His locis evidenter continetur institutio magisterii (μαθητεύσατε, discipulos facite); magisterii *authentici*, quippe quod missione divina, assistentia Christi et Spiritus veritatis ac tanta auctoritate gaudeat, ut qui his testibus et magistris credere noluerit, condemnetur; magisterii *stabilis*, quia se extendit ad omnes gentes, ad universam creaturam (rationabilem), ad extremum terrae, usque ad consummationem saeculi; magisterii *ordinarii* et *necessarii*, cum nemo excipiat, et fides huic praedicationi habenda exigatur simpliciter ut medium salutis.

2. Ex doctrina et praxi Apostolorum. Sane α) Petrus dicit (Act. 5, 32): *Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Paulus vero scribit (I Thess. 2, 13): *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Et quia est verbum Dei, omnes ei obedire tenentur: *ad obediendum fidei* (εἰς ὑπακοὴν πίστεως Rom. 1, 5), et anathema dicitur, si quis illud immutare praesumpserit, etiamsi esset angelus de caelo (Gal. 1, 8). En magisterium authenticum omnibus-

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, thesi 7, Scholion. — Leo XIII. Encycl. «De unitate Ecclesiae» pag. 28 sqq (ed. Friburgi).

<sup>2)</sup> Cf. Corluy, Spicilegium dogmatico-biblicum t. 1 pg. 3 sqq (Gandavi 1884).

que necessarium! —  $\beta$ ) Hoc magisterium non debuit cum Apostolis desinere, sed *perdurare*. Nam idem Apostolus ita instruit Timotheum: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti . . . bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis* (II ep. 1, 13 sq), et (ib. 2, 1 sq): *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu; et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (cf. Tit. 1, 5. 9). Ergo Apostoli doctrinam revelatam tamquam bonum depositum episcopis a se constitutis tradiderunt, qui illud per Spiritum sanctum incorruptum conservare iterumque aliis fidelibus ministris tradere debuerunt. —  $\gamma$ ) Ad hunc finem Christus instituit charisma *doctoratus* in Ecclesia, per quod vera fides infallibiliter conservaretur; ut iterum Paulus docet: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei . . . ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (Eph. 4, 11 sqq). Quomodo, quaeso, ministerium verbi, quod auctoritatem mere humanam habet, sufficiat ad effectum producendum, quem Apostolus praefatis verbis descripsit?

3. Hinc pro thesi novum exurgit argumentum ex natura *fidei*, quae postulatur. Debet enim esse fides *vera* sine omni circumventionem erroris; fides *una*, sicut unus Deus et unum baptisma (Eph. 4, 5); fides *universalis* destinata pro omnibus hominibus; fides tam *firma*, ut in nulla hypothesis ab illa deficere liceat (Gal. 1, 8). Atqui talis fides vel immediatam internam illustrationem vel magisterium authenticum postulat. A priori enim impossibile est, ut scientifica demonstratio vel auctoritas doctrinalis mere humana talem fidem producat; quod etiam experientia luculenter confirmat. Nisi quis ergo cum pseudomysticis gratis et falso immediatam revelationem singulis factam adstruere velit, necessario magisterium authenticum ordinarium et perpetuum in Ecclesia concedere debet.

- 171 4. Accedunt testimonia antiquitatis, ex quibus certissime constat, in Ecclesia inde a temporibus apostolicis semper hoc magisterium authenticum agnitum fuisse. Iam Apostolorum discipulus et Petri successor *Clemens Romanus* scribit:<sup>1)</sup> «Missus est Christus a Deo, et Apostoli a Christo . . . Itaque cum plena vi persuasionis Spiritus sancti egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per *regiones igitur et urbes praedicantes verbum* constituerunt primitias earum, cum Spiritu probassent, in episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant . . . Constituerunt praedictos et deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii probati viri exciperent.» *Ignatius M.* identidem admonet fideles «unanimis esse sententiae episcopi»; et cur? «Quemcunque enim pater familias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus sicut ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum oporteat respicere ut ipsum Dominum.»<sup>2)</sup> En magisterium authenticum!

Saec. 2. et 3. praecipue *Irenaeus* et *Tertullianus* hoc principium catholicum fundamentale inculcant. Irenaei doctrina huc redit: α) Duplex est fons, a quo revelatio hauritur, Scriptura et traditio; non vero traditio illa occulta, ad quam provocant haeretici, sed ea, «quae est *ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur*».<sup>3)</sup> β) Ex utroque fonte haeretici refutantur; sed evenit, «neque *Scripturis iam, neque traditioni* consentire eos» (ib.). γ) Haec traditio autem non est tantum historica, sed *divina*, quia presbyteri, qui successionem habent ab Apostolis, «cum episcopatus successione *charisma veritatis* certum secundum placitum Patris acceperunt».<sup>4)</sup> δ) Inter successores Apostolorum eminet *episcopus Ecclesiae romanae*, ad quam «propter potentiores principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam;» unde «enumeratio successorum s. Petri in cathedra romana est plenissima ostensio veritatis».<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Epist. I ad Cor. n. 42. 44.

<sup>2)</sup> Ep. ad Eph. n. 3—6; cf. ad Philad. n. 2. 3; ad Trallian. n. 7 etc.

<sup>3)</sup> Adv. haer. I. 3 c. 2.

<sup>4)</sup> L. 4 c. 26.

<sup>5)</sup> L. 3 c. 3.

ε) Hinc «non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in *depositorium dives* plenissime in eam contulerunt omnia, quae sunt veritatis, ut omnis, quicumque velit,umat ex ea potum vitae» (ib. c. 4). ζ) Ex his ipse s. Pater concludit, Scripturam *non esse absolute necessariam*: «Quid autem, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum, qui in Christum credunt sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes» (l. c.). η) Ipsa denique *Scriptura non est independens a traditione*, sed per successionem episcoporum «pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima... et lectio sine falsatione et secundum Scripturas expositio legitima». <sup>1)</sup> — Existit ergo iuxta Irenaeum in Ecclesia *magisterium vivum successorum Apostolorum* tamquam medium, per quod infallibiliter revelatio conservatur et propagatur.

Non minus splendidum est testimonium *Tertulliani*. <sup>2)</sup> Expresse enim docet, α) „*viva voce*” doctrinam Apostolorum in Ecclesia tradi, ideoque «omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam... reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum» (cap. 21). Et quomodo iuxta Tertullianum veritas in Ecclesia conservatur? An per solam diligentiam humanam? Minime, sed β) «*per doctorem veritatis* (i. e. Spiritum s.), qui non sinit ecclesias aliter intelligere, aliter credere» (cap. 28). γ) Elementum seu subiectum visibile magisterii ecclesiastici est «*ordo episcoporum*, ita per successiones ab initio decurrens, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae cen-

<sup>1)</sup> L. 4 c. 33 n. 8.

<sup>2)</sup> Praesertim in libro *De praescriptionibus*, qui totus est de hoc argumento; potissimum capitibus 19—22.

sus suos deferunt» (cap. 32). δ) Hinc cum haereicis his non ex Scriptura est dirimenda, sed ex traditione: «Ergo non ad *Scripturas* provocandum est, nec in his constituendum certamen... Ordo rerum desiderat illud prius proponi... quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani; ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum» (cap. 19).

Similia habent *Origenes*,<sup>1)</sup> *Cyprianus*,<sup>2)</sup> *Athanasius*,<sup>3)</sup> *Epiphanius*,<sup>4)</sup> *Augustinus*,<sup>5)</sup> praesertim *Vincentius Lirinensis* in aureo libello *Commonitorium*<sup>6)</sup> inscripto. Collatis his testimoniis facile perspicies, Patres in admittenda traditione divina, seu quod perinde est, in magisterio authentico omnino conspirasse. Patet etiam, quam immerito Protestantes obiiciant, Patres antenicaenos ad traditionem historicam tantum provocare. Nam Patres tum ante-tum post-nicaeni ad traditionem sub utroque respectu provocant, scilicet quatenus est testimonium historicum doctrinae maiorum, et quatenus est medium divinitus institutum ad conservandam divinam revelationem.<sup>7)</sup>

5. Denique institutionem magisterii authentici Leo XIII commemorat ac probat ex «concordia sententiarum».<sup>8)</sup>

**Obiectio.** Si magisterium authenticum ab Apostolis ad successores transiisset, etiam charisma infallibilitatis transire debuit. Sed episcopus infallibiles esse, nemo sanus di-

<sup>1)</sup> De princip. praef. n. 2.

<sup>2)</sup> De unitate Eccl. n. 42. 52.

<sup>3)</sup> De decret. Nicaen. syn. n. 4.

<sup>4)</sup> Haeres. 31.

<sup>5)</sup> Contr. litt. Petil. l. 2 c. 51.

<sup>6)</sup> Praesertim n. 4. 8. 23. 38. 39.

<sup>7)</sup> Cf. Franzelin, thesi 10.

<sup>8)</sup> Encycl. De unitate Ecclesiae (Denzinger 1956 sq): «Ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, utut exstarent divinae Litterae, omnino erat alio quodam principio opus . . . Quamobrem instituit Iesus Christus in Ecclesia *vivum, authenticum*, idemque *perenne magisterium*, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit, eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit.»

cet. Ergo nec magisterium apostolicum in illos transiit. Magisterium authenticum igitur fuit charisma extraordinarium et temporaneum, non munus ordinarium et perpetuum Ecclesiae. — Resp. *Dist. mai.*: Charisma infallibilitatis transire debuit in singulos episcopos, *N.*; transire debuit in episcopatum, «cuius, ut *Cyprianus* loquitur,<sup>1)</sup> a singulis in solidum pars tenetur», *C.* Et sic contradistinguenda est propositio minor. Ex verbis videlicet Christi: *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*; et: *alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis*, nec non ex aliis testimoniis superius allatis manifesto sequitur, magisterium authenticum cum charismate infallibilitatis ad successores transiturum et ad finem usque perduraturum esse eo saltem gradu et intensione, ut depositum fidei integrum custodiretur; alioquin verba Christi et reliqua testimonia non verificarentur. Atqui ad hunc finem obtinendum necessarium et sufficiens erat, ut hocce magisterium cum charismate infallibilitatis successoribus Apostolorum in solidum communicaretur. Longe aliud namque erat munus *Apostolorum* ac *episcoporum*. Apostoli enim religionem Christi revelare Ecclesiamque *fundare*, episcopi revelationem acceptam in Ecclesia *custodire* debebant (I Tim. 6, 20; II Tim. 1, 14); singuli Apostoli habebant auctoritatem universalem et supremam in universam Ecclesiam, singuli episcopi vero constituuntur per *singulas* civitates ad pascendam *partem* gregis Christi (Tit. 1, 5; I Petr. 5, 1—4) dependenter a successore Petri, qui plenitudinem auctoritatis accepit. Hinc mirum non est, si singuli Apostoli, non vero singuli episcopi infallibiles esse debebant.

**Thesis 41.** *Quamvis ex ipsa ordinatione divinae providentiae Apostoli s. Scripturas conscripserint ut fontem, ex quo revelatio hauriri possit; ideo tamen magisterium authenticum non fuit abrogatum, neque Scriptura ut unicus atque independens fons revelationis considerari debet.* 172

Concedunt Protestantes, viventibus adhuc Apostolis, eorum traditionem oralem iure habitam esse ut fontem prin-

<sup>1)</sup> De unit. Eccl. n. 5.

cipalem cognitionis christianae; sed Apostolis defunctis iam solam Scripturam affirmant posse esse fontem cognitionis, quia traditio, non item Scriptura corruptioni est obnoxia. Huius mutationis, inquiunt,<sup>1)</sup> fideles ipsi initio «non erant conscii.» Nos Catholici concedimus, Scripturam divina providentia conscriptam esse ac verbum Dei continere; negamus vero consequentiam, quam haeretici inde deducunt. Si enim argumenta prioris thesisi inspiciantur, statim apparet, magisterium authenticum a Christo absolute et in perpetuum, non ad paucos annos, scilicet usque ad scriptionem librorum sacrorum institutum esse. Quare haec thesis ut corollarium prioris considerari potest. Nihilominus propter rei gravitatem specialibus argumentis, ex parte Scripturae et historiae desumptis, eam probamus.

A. Argumentum ex parte s. *Scripturae* petitur:

1. Ex *origine* Scripturae. α) Si enim libros sacros ab Apostolis conscriptos inspicimus, statim apparet, eos data occasione, ex causis particularibus conscriptos et plerumque ad ecclesias particulares directos fuisse. Immo nonnulli ex his libris nil aliud sunt, quam epistolae ad singularem personam missae. Profecto ne a longe quidem s. Scriptura faciem libri symbolici vel catechismi pro universa Ecclesia exarati prae se fert. β) Adde, quod nec omnes nec soli Apostoli istos libros conscripserint; nec iidem post scriptionem a praedicatione cessaverint. Ex historia ergo ne levissimum quidem indicium prostat, ex intentione Apostolorum vel Spiritus sancti, qui eos in scribendo direxit, oeconomiam fidei mutandam et magisterio orali Scripturam substituendam fuisse ut fontem unicum et independentem revelationis.<sup>2)</sup>

2. Neque huiusmodi mutatio ex *indole* Scripturae, sed contrarium potius eruitur. a. Scriptura, ut iam innuimus, non fuit exarata ad formam catechismi vel symboli vel professionis fidei, unde omnes fideles, quid credere debeant, addiscere possint; sed Scriptura est collectio librorum historicorum, moralium, legalium, prophetorum et epistola-

<sup>1)</sup> Cf. Neander (Hist. dogm. I 76).

<sup>2)</sup> Fatentur id nunc ipsi Protestantes, e. g. Döderlein, Lessing (ap. Franzelin, thesi 7 II 2).

rum, in quibus plurima dogmata per incidens et obiter tantum tanguntur. — **b.** Scriptura non est tam clara, ut omnes sine authentica interpretatione fidem ex ea desumere possint. Hoc et per se evidens est et experientia confirmatur; cum «pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur», ut iam *Vincentius Lir.* scribit.<sup>1)</sup> Ipse b. Petrus (ep. II c. 3, 16) de epistolis Pauli testatur: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* — **c.** Scriptura neque omnia dogmata continet, neque eius auctoritas et canon sine authentico magisterio constare potest, ut alibi demonstrabitur. Immo plura ex s. Scriptura prorsus perdita esse videntur, e. g. epistola ad Corinthios, cuius Apostolus meminit (I Cor. 5, 9).<sup>2)</sup> Sed vix intelligitur, quomodo Deus huiusmodi iacturam permittere potuisset, si Scriptura unicus fons esset revelationis et verbum Dei scriptum unica regula credendi. — **d.** Dato demum, sed non concesso, quod Scriptura ad instar catechismi totam doctrinam christianam clare contineret, nondum sequitur authenticum magisterium superfluum fore. Liber scriptus enim, praesertim ante inventam typographiam, nec omnibus pervius fuit; multoque minus ab omnibus legi et intelligi potuit: Populi rudes ergo, qui ad fidem non minus quam docti vocati et obligati erant, semper ad magisterium orale se recipere debebant.

**3.** Confirmatur *disertis testimoniis* Scripturae. Cum ex Protestantium doctrina nihil credi debeat, nisi quod scriptum est, praetensa ista mutatio oeconomiae fidei in Scripturis expressa esse deberet. Atqui id nullibi legitur; immo contrarium legimus. In Scriptura enim  $\alpha$ ) clare docetur, magisterium authenticum perseverare debere, ut in priore thesi demonstravimus;  $\beta$ ) fideles non ad legendam Scripturam, saltem non unice et primario ad legendam Scripturam provocantur, sed ad obedientiam fidei Apostolis eorumque successoribus praestandam admonentur;  $\gamma$ ) immo expresse fidelibus praecipitur, ut teneant traditiones sive

<sup>1)</sup> Commonit. c. 2.

<sup>2)</sup> Cf. I Par. 29, 29; II Par. 9, 29; III Reg. 4, 32.

verbis sive scriptis acceptas. *Itaque fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram* (II Thess. 2, 14).<sup>1)</sup> Scriptura ergo non est unicus fons revelationis, sed *subsidium* praedicationis, neque est fons independens, sed dependens a doctoribus et pastoribus, qui positi sunt ad custodiendum depositum ac servandam unitatem fidei, ne simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae (Eph. 4, 11 sqq).

173 **B.** Argumentum ex *historia* inde ab exordio generis humani.

1. Per se liquet, homines ante legem scriptam nonnisi magisterio vivo edoctos fuisse: *Scio enim, quod* (Abraham) *praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et iustitiam* (Gen. 18, 19; cf. Iob 8, 8).

2. Neque etiam post legem scriptam traditio et magisterium orale abrogatum est; sed a senioribus et sacerdotibus Iudaei legem discere iuebantur. *Non te praetereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis discas intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum* (Eccli. 8, 11 sq; cf. Ps. 43, 2), et (Mal. 2, 7): *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.*

3. Evangelium primus Christus, deinde Apostoli viva voce praedicarunt, ut notum est. Sed etiam post exaratas Scripturas in primitiva Ecclesia traditio non solum ut *verus*, sed etiam ut *necessarius* fons revelationis habita est. Id iam probavimus disertissimis testimoniis Patrum (171), et confirmatur ex praxi Ecclesiae praesertim in confutandis haereticis. *Sic credit, quae sub caelo est catholica Ecclesia, et omnes episcopi consentiunt nobiscum* — hoc principio utebantur Patres concilii *antiocheni* contra Paulum Samosatenum,<sup>2)</sup> *Irenaeus* et *Tertullianus* contra Gnosticos,<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Cf. I Cor. 7, 17; 11, 23; Col. 2, 6 sq; II Tim. 2, 2; Hebr. 2, 3.

<sup>2)</sup> Mansi t. 1 pg. 1033.

<sup>3)</sup> Ll. cc.

*Cyprianus* contra Novatianos,<sup>1)</sup> *Basilius* contra Semiarianos,<sup>2)</sup> *Gregorius Nazianz.* contra Apollinaristas,<sup>3)</sup> contra Monophysitas *episcopi orientales* in professione fidei praescripta ab Hormisda Pontifice.<sup>4)</sup> — Ipsa Scriptura non independenter a magisterio vivo sed «secundum ecclesiasticam regulam», ut *Clemens Alex.*<sup>5)</sup> dicit, exponebatur; quia ab Ecclesia est «lectio sine falsatione et expositio legitima», ut ab Irenaeo et Tertulliano audivimus (171).

4. E contrario historia *Protestantismi* ad oculos demonstrat, reiecto magisterio authentico *unitatem* fidei ipsamque fidem necessario pessumdari. a. Sane *Lutherus* ipse initio suae apostasiae ad immediatam revelationem Spiritus sancti provocavit: «quisque iudex liberrimus sit omnium, qui docent eum, *intus a Deo solo doctus*». Postea vero, cum innumerae sectae ex hoc principio pullularent, illud revocabat et auctoritatem magisterii proprii urgebat, ita ut ipsi Protestantes passim *duplicem Lutherum* ante et post annum 1525 discernent. b. Recentiores vero Protestantes in diversa abierunt. α) Aliqui ultimam consequentiam ex principio fundamentalī Protestantismi ducere non detrecant, atque id solum ut verum admittunt, quod propria sua ratione de Scripturis et in Scripturis intelligunt: *Rationalistae*. β) Aliis sufficit sensus quidam religiosus et fiducia in Christum, de dogmatibus vero non curant: *Pietistae*. γ) Alii exigunt solum consensum circa articulos fundamentales, quin tamen indicare valeant, quinam illi sint: *Unionistae*. δ) Alii magisterio authentico successorum Apostolorum substituerunt magisterium reformationis saec. 16. et librorum symbolicorum: *Lutherani orthodoxi antiquae professionis*. ε) Alii denique auctoritatem divinam ipsius Ecclesiae admittunt, sed Ecclesiae in abstracto, quae nullibi existit aut nova effusione Spiritus sancti fundanda adhuc est: *Neolutherani, Pseudomystici*.<sup>6)</sup> — Istae sunt praeci-

<sup>1)</sup> Ep. 52 ad Antonian. et alibi.

<sup>2)</sup> Ep. 204 al. 75 ad Neocaesar.

<sup>3)</sup> Ep. 1 ad Celid.

<sup>4)</sup> Harduin. t. 2 pg. 1017; cf. 3 pg. 1080. Vide Franzelin, thesi 8 II.

<sup>5)</sup> Strom. I. 6 pg. 350; cf. I. 7 pg. 542 (Migne, P. Gr. t. 9).

<sup>6)</sup> Vide Jörg, Geschichte des Protestantismus in seiner neuesten

puae hodierni Protestantismi sectae, quae ipso facto ad oculos demonstrant, sublato magisterio authentico unitatem fidei conservari non posse. Multi etiam expresse fatentur, unitatem fidei nec possibilem nec necessariam esse.

5. Pro coronide provocare liceat ad societatem etiam *civilem*, quae ubique gentium praeter leges scriptas etiam magisterium vivum et iudices habet, qui authentice leges interpretantur. Sic iam *Aristoteles*<sup>1)</sup> statuit, rempublicam non solis legibus scriptis, sed etiam *iure animato*, ut ait, i. e. traditione et consuetudine viva regendam esse.

**Obiectio.** Traditio obnoxia est corruptioni, non Scriptura; littera enim scripta manet. *Dist.* Traditio obnoxia est corruptioni, si ab assistentia Spiritus sancti praescinditur, C.; si haec assistentia supponitur, sicuti revera supponi debet, N. Pariter distinguo alteram assertionem; Scriptura non est obnoxia corruptioni, supposita custodia infallibili Ecclesiae C.; sine illa, N. Immo s. Scriptura sine illa revera corruptioni et mutilationi ac falsae interpretationi exponitur, ut historia testatur.

## ARTICULUS II.

### De traditionis obiective spectatae veritate ac amplitudine.

174 Duo quaeruntur:  $\alpha$ ) an revelatio divina revera *incorrupta* ad nos pervenerit;  $\beta$ ) num eadem sit amplitudo verbi Dei scripti et traditi, an potius habeantur traditiones, quae in s. Scriptura non continentur. Respondemus:

**Thesis 42.** *Revelatio divina incorrupte et integre per magisterium authenticum quasi per manus ad nos usque tradita est. Existit ergo traditio divina obiective spectata.*

Ante omnia thesis ex priore articulo immediate consequitur. Si enim Christus Dominus instituit magisterium vi-

---

Entwicklung Bd 1 S. 129 ff et 386, 416 ff (Freiburg 1858); cf. Franzelin, thesi 6 II. Nuperrime plurimi Protestantes nec amplius *symbolum Apostolicum* ut necessarium habent, illudque mere historice, non ut professionem fidei recitant. Vide Hist. pol. Blätter (1893) S. 721 ff: Zerfall im Protestantismus; Huppert, Der deutsche Protestantismus zu Beginn des 20. Jahrhunderts (Köln 1902); Rieder, Krisis im heutigen Protestantismus (Freiburg 1911).

<sup>1)</sup> Polit. I. 3 c. 11.

vum authenticum ad tradendam revelationem, profecto revelatio etiam viva voce incorrupte tradita est. Christus etenim non frustra tale magisterium instituit, nec frustra ad hunc finem Spiritum veritatis dedit. Existentia ergo traditionis divinae *obiectivae*, quam nunc asserimus, est corollarium traditionis divinae *activae*, quam prius probavimus. — Nihilominus thesin expresse demonstramus, et quidem theologicæ, historice et philosophice.

1. *Theologicæ*. Nam a. Christus absolute praedixit: *Ego vobiscum sum; portae inferi non praevallebunt; ille* (Spiritus s.) *docebit vos omnia et suggeret vobis omnia* etc. Atqui praedictiones Christi necessario verificantur. Praeterea Ecclesia simpliciter et absolute dicitur *columna et firmamentum* veritatis (I Tim. 3, 15), omnesque homines sub comminatione aeternae damnationis credere iubentur (Matth. 18, 17). Quomodo autem hoc, nisi revelatio divina reipsa ad nos usque integre et incorrupte pervenit? Ergo existentia traditionis divinae sensu obiectivo theologicæ seu supernaturaliter certa est.

b. Eadem fuit persuasio totius antiquitatis inde a temporibus apostolicis. Ex testimoniis superius allatis (171) elucet persuasio universalis, quod tota doctrina revelata in Ecclesiam tamquam «in depositarium dives», ut *Irenaeus*<sup>1)</sup> dicit, collata fuerit. Idem colligitur ex praxi universali, de qua locuti sumus (173, 3).

2. *Historice constat*, summa sollicitudine et fidelitate successores Apostolorum depositum fidei omni tempore custodisse. Sane a. ex apostolico instituto nemo eligebatur in episcopum, nisi de eiusdem sana fide constaret. Post electionem per litteras synodicas aliis collegis et maxime R. Pontifici suam fidem distincte profitebantur.<sup>2)</sup> Cui com-

<sup>1)</sup> Adv. haer. l. 3 c. 4 n. 1.

<sup>2)</sup> Sic Sophronius Hieros. (Ep. synod. ad Hon. Pont., ap. Hard. t. 3 (pg. 1259) scribit: «Apostolica et prisca traditio in sanctis Dei per totum orbem ecclesiis tenuit, ut qui ad episcopatum provehebantur, iis qui ante ipsos regebant summa sacerdotia, omnia sincere exponerent, quid sentirent et quomodo circa fidem se haberent . . . ne in vacuum currerent.»

munio negabatur, is «Christianus non erat, quia in Ecclesia non erat», ut *Cyprianus* ait.<sup>1)</sup>

b. Series episcoporum orthodoxorum in *diptychis* singularum ecclesiarum descripta servabatur, reiectis iis, qui defectionis a fide suspecti fuerant.<sup>2)</sup>

c. Insurgente *novitate erroris* in aliqua ecclesia episcopi vicini et praesertim Rom. Pontifex certiores reddebantur, ut *communi sententia* error damnaretur.<sup>3)</sup> Maxime vero ad hunc finem convocabant *concilia*, quae praecisione etiam facta ab assistentia Spiritus sancti, medium iam naturaliter efficacissimum erant ad conservandam veram fidem.

d. Semper veluti principium fundamentale in Ecclesia habitum est, *retinendam esse fidem semel traditam*: «Id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab Apostolis;»<sup>4)</sup> et: «nihil innovetur, nisi quod traditum est;»<sup>5)</sup> et: «desinat incessere novitas vetustatem.»<sup>6)</sup>

e. Accedit, quod *episcopi* generatim et in sua universalitate morali revera fuerunt *custodes apti vigilesque depositi fidei*. «Isti episcopi sunt, scribit *Augustinus*,<sup>7)</sup> *docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores* adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bono iudici tribuisti, non potes invenire quod spernas . . . Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit; ideo profanas voces vestrae novitatis expavit.» Haec plus minus etiam de episcopis temporum posteriorum valent, et licet non defuerint in Ecclesia praesules degeneres, generatim tamen sollicitudo integre conservandi depositum fidei

<sup>1)</sup> Ep. 52 ad Antonian.; cf. Greg. M., l. 7 ep. 4 ad Cyriac. Const.

<sup>2)</sup> Cf. Leo M., Ep. 80 c. 3 ad Anat. Notum est, quanto tempore lis esset de restituendo nomine s. Chrysostomi in diptycha, et de delendis nominibus Acacii et successorum ex iisdem.

<sup>3)</sup> Ita factum est in causa Pauli Samosatani, Arii, Nestorii, Eutychianorum et Pelagianorum; cf. Franzelin th. 9, 3.

<sup>4)</sup> Tertull., Contr. Marc. l. 4 c. 5.

<sup>5)</sup> Stephanus Pont. (Cypr. ep. 74).

<sup>6)</sup> Coelestinus Pont., Ep. 21 ad episcop. Galliae n. 2.

<sup>7)</sup> Contr. Iulian. l. 2 n. 37; cf. Athan., De Synod. n. 4. 43; Vincent. Lir., Common. n. 33.

successoribus Apostolorum ad nostra usque tempora communis fuit. His factis historice certissimis sequens superstruitur argumentum: Illa doctrina, quae a custodibus innumeris, vigilantissimis, sollicitudine summa semper conservata fuit, certitudine saltem morali etiam integra et incorrupta permansit. Atqui talis fuit custodia doctrinae apostolicae in Ecclesia catholica. Ergo.

3. *Philosophice* propositio nostra confirmatur ex observatione psychologica simul et experimentalis, quod *error multiplex est, veritas una*: «Ecquid verisimile est, inquit *Tertullianus*,<sup>1)</sup> ut tot ac tantae (ecclesiae) in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus, variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum.» Certe traditio catholicae Ecclesiae ipsa sua unitate et uniformitate veritatis speciem praesefert, haereses sua varietate et dissensione praeiudicium praebent erroris.

**Obiectio.** Si conservatio incorrupta revelationis mere 175 historice et philosophice i. e. ex diligentia morali et fidelitate custodum fidei demonstrari potest, eo ipso consequitur, diligentiam moralem ad conservandam revelationem sufficere. Nulla ergo necessitas fuit magisterii authentici, contra ac prius (170, 3) affirmabatur. — Resp. α) Adverto ante omnia, magisterium authenticum *primario ex institutione Christi* probari, et nonnisi *secundario* ex eiusdem necessitate. β) Argumenta historica et philosophica certitudinem tantum *moralem* producant. Revelatio autem certitudine *fidei divinae* credi debet, quae nonnisi per verbum Dei gignitur. Ergo argumenta historica et philosophica non sufficiunt. γ) Denique, quod caput est, haec argumenta iam supponunt magisterium authenticum; quia mirabilis illa concordia et sollicitudo successorum Apostolorum in custodiendo deposito fidei, quam nos ut merum factum historicum consideravimus, reipsa non est merum factum humanum, sed supernaturale, scilicet fructus charismatis veritatis successoribus Apostolorum collati. Quid sola doctrina et sollicitudo humana in negotio fidei valeant, ad oculos ostendit historia

---

<sup>1)</sup> De praescript. c. 28.

haeresium, praesertim Protestantismi. Quapropter in difficultate proposita negandum est *suppositum* ac si factum historicum sit merum factum naturale.

176 **Thesis 43.** *Verbum Dei traditum latius patet, quam verbum Dei scriptum. Praeter inhaesivas igitur et declarativas admitti etiam debent traditiones constitutivae* (166).

Thesis probatur 1. *ex ipsa Scriptura*. Iam in Evangeliiis legimus, Christum multa fecisse et docuisse, quae scripta non sunt,<sup>1)</sup> quaeque sine dubio ab Apostolis oretenus fidelibus tradita sunt. Quoniam vero Protestantes excipiunt, eo ipso quod scripta non sunt, ea nec ad credendum proposita esse, audiamus Apostolum: *Itaque fratres*, scribit ad Thessalonicenses (ep. II c. 2, 14), *state et tenete traditiones* (τὰς παραδόσεις), *quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Hoc loco α) sermo est de traditionibus non scriptis, in oppositione ad scriptas. β) Eadem utrisque *auctoritas* adscribitur (εἴτε, εἴτε); idem utriusque *obiectum*, scilicet doctrina apostolica in oppositione ad fallacias seductorum, qui incautos per *spiritum* i. e. per praetensas prophetias, aut per *sermonem* i. e. per traditionem spuriam, aut per *epistolam* i. e. per falsificatas litteras apostolicas in errorem inducere student; idem denique *officium* circa scriptas et non scriptas traditiones fidelibus iniungitur, scilicet ut eas *tenere* seu *credere* debeant. Ergo non omnia, quae credi debent, scripta sunt; sed latius patet verbum Dei traditum quam scriptum.

Testimonium per se clarum confirmatur: α) locis parallelis (e. g. I Tim. 6, 20 sq); II Tim. 1, 13 sq; 2, 1—4), in quibus Paulus commendat Timotheo, ut depositum custodiat, ut formam sanorum verborum habeat et audita aliis commendet. Iam vero his locis certe intelligi non potest sola conservatio Scripturae, sed totus thesaurus doctrinae apostolicae et sana intelligentia dogmatum, quae est aliquid a littera mortua distinctum. β) Confirmatur etiam interpre-

---

<sup>1)</sup> Ioan. 16, 12: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; et* (21, 25); *Sunt et alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros; et* (Act. 1, 3): *Per dies quadraginta apparens eis ei loquens de regno Dei.*

tatione Patrum, e. g. *Chrysostomi*, qui (i. h. l. n. 2) scribit: «Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis; et ea quoque sunt fide digna. Quam ob rem Ecclesiae quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio; nihil quaeras amplius». Similia habent *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Ioan. Damascenus*.<sup>1)</sup>

2. *Ex Patribus et conciliis*. Chrysostomum iam audivimus. *Epiphanius*<sup>2)</sup> post allata testimonia Scripturae subiungit: «Sed traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia *scripto*, *traditione* alia sanctissimi Apostoli reliquerunt». *Basilius*<sup>3)</sup> scribit: «Ex asservatis in Ecclesia *dogmatibus* et praedicationibus alia quidem habemus e doctrina *scripto prodita*, alia vero nobis in mysterio tradita recipimus *ex traditione* Apostolorum: quorum utraque *vim eandem* habent ad pietatem etc.» *Augustinus*<sup>4)</sup> de valore baptismi ab haereticis collati ait: «Apostoli autem nihil quidem exinde praeceperunt (in Scripturis), sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt *multa*, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur.» Idem docent concilia, e. g. *Nicaenum* II (act. 7): «Oriens et occidens et aquilo et meridies Spiritus sancti inspiratione consentimus in unum... omnia recipientes, quaecunque s. catholica Ecclesia antiquitus *scripta* et *non scripta* recepit;» et *Constantinop.* IV (act. 10 can. 1): «Si quis traditionem ecclesiasticam sive *scriptam* sive *non scriptam* irritam facit, anathema sit.»<sup>5)</sup>

3. Probatur ex *pluribus veritatibus ad fidem et mores spectantibus*, quae ex s. Scriptura vel nullo modo vel insufficienter probantur, sed ex traditione dumtaxat certo constant. Huiusmodi sunt: *inspiratio* et *canon* s. Scripturae, ut postea ex professo demonstrabitur; *paedobaptismus*<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> De fide orth. l. 4 c. 17.

<sup>2)</sup> Haereses 61 n. 6.

<sup>3)</sup> De Spiritu s. c. 27 n. 66.

<sup>4)</sup> De bapt. l. 5 c. 23. Plura vide ap. Bellarm., De verbo Dei l. 4 c. 7.

<sup>5)</sup> Hard. t. 4 pg. 479 cf. Denzinger 336.

<sup>6)</sup> Origen., l. 5 in ep. ad Rom. c. 9: «Ecclesia ab Apostolis

et *valor baptismi ab haereticis* collati; abrogatio prohibitionis apostolicae *comedendi suffocatum* et *sanguinem* (Act. 15, 29); substitutio *dominicae* in locum sabbati; et alia plura, quorum meminit *Tertullianus*.<sup>1)</sup> «Oblationes pro defunctis, pro natalitiis (martyrum) annua die facimus: die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri (eucharistici) aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et omnem exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque conservatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostulas, *Scripturam nullam invenies: Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.*»

4. Confirmatur ex *modo agendi haereticorum*. a. Antiquissimi etenim haeretici, Gnostici, Valentiniani, Manichaei etc. ad traditionem provocarunt, atque ideo ipso facto hunc fontem fidei agnoverunt. Ecclesia vero non propter recursum ad traditionem, sed propter recursum ad traditiones spurias eos damnavit, ut ab Irenaeo et Tertulliano audivimus (171). — b. Ipsi Protestantes traditionem, quam tantopere exhorrent, nolentes volentes admittere coguntur, ut sua dogmata salvent. Multa enim credunt, quae scripta non sunt. Credunt enim paedobaptismum, valorem baptismi ab haereticis collati, esum licitum sanguinis et suffocati etc.; ante omnia vero credunt, solam Scripturam continere verbum Dei, eamque praecise illis libris constare, qui canone Protestantium comprehenduntur, neque opus esse infallibili interpretatione et magisterio Ecclesiae. Iamvero haec et multa alia dogmata reformationum aut nullo aut insufficiente modo in Scriptura continentur, vel etiam oppositum in eadem legitur. Ergo ipse Protestantismus ad sui systematis defensionem nolens volens ad traditiones confugere debet.<sup>2)</sup>

---

traditionem accepit, etiam parvulis baptismum dare»; cf. Augustin. prius allegatum.

<sup>1)</sup> De corona c. 3.

<sup>2)</sup> Plures ex Protestantibus antiquis et recentioribus saltem

**Obiectio 1.** ex s. Scriptura: **a.** Nihil est addendum verbo Dei (cf. Deut. 4, 2; 12, 32; Gal. 1, 8; Apoc. 22, 18). 177

Resp.  $\alpha$ ) Nihil addendum est erroneum,  $\beta$ ) nihil mere humanum, quasi esset divinum;  $\gamma$ ) utique vero addi potest nova revelatio, sicut revelationi mosaicae accessit christiana, itemque  $\delta$ ) addi potest verbi revelati authentica interpretatio per magisterium divinitus institutum.

**b.** Verbum Dei scriptum sufficit (Ioan. 20, 30. 31; II Tim. 3, 16). — *Dist.*: Sufficit *relative* ad finem, propter quem datum est, *C.*; *absolute* et *exclusive*, *N.* Nullibi enim dicitur, Scripturam *sufficere*, multoque minus *solam* Scripturam independentem ab authentico magisterio sufficere; utique vero relativa quaedam sufficientia commendatur. Profecto, affirmatio sive utilitatis sive necessitatis unius medii ad aliquem finem non est exclusio alterius medii. Cum ergo Ioannes dicit, haec scripta esse, ut credamus, quia Iesus est Christus Filius Dei, et cum Paulus dicit, omnem Scripturam utilem esse ad docendum etc., ut perfectus sit homo Dei: hoc profecto non idem est ac dicere, *solam* Scripturam ad haec *sufficere*; eo vel magis, quia nemo recte appellatur homo Dei, qui non est subiectus successoribus Apostolorum, quique ab iis formam sanorum verborum non habet.

**c.** Traditiones aperte damnantur (Is. 29, 13; Matth. 15, 3; Gal. 1, 14; I Petr. 1, 18). — Resp. Nullibi damnantur traditiones, quas Iudaei a Moyse et Prophetis vel Christiani ab Apostolis acceperunt; sed vel traditiones a quibusdam recentioribus acceptae, quarum aliquae inanes, aliae perniciosae et contra Scripturam erant; vel iudaicae traditiones iam inutiles in lege christiana; vel instituta et corruptelae philosophorum gentilium.<sup>1)</sup>

**Obiectio 2.** Patres passim praedicant «Scripturae plenitudinem»;<sup>2)</sup> ss. litterae iuxta ipsos «perfectae»<sup>3)</sup> sunt, 178

aliquas traditiones revera agnoscunt, e. g. Brentius (in Proleg.), Chemnitius (Exam. conc. Trident. Sess. IV), Krummacher concionator regis Borussiae (a. 1855) aliique (cf. Jörg, Geschichte des Protestantismus Bd 2 S. 39 f).

<sup>1)</sup> Cf. Bellarm., De verbo Dei l. 4 c. 10; Franzelin, thesi 19 Scholion.

<sup>2)</sup> Tertull., Adv. Hermog. c. 22.

<sup>3)</sup> Iren., Adv. haer. l. 2 c. 28 n. 2.

et «sufficiunt per se ad veritatis indicationem». <sup>1)</sup> Simul *negative* docent: «ne minimum quidem absque Scriptura tradi debet»; <sup>2)</sup> «infidelitatis argumentum est aliquid velle superinducere eorum, quae non sunt scripta»; <sup>3)</sup> «si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat»; <sup>4)</sup> et «quod de Scriptura non habet *auctoritatem*, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.» <sup>5)</sup> His et similibus assertionibus traditio catholica manifesto excluditur; immo Patres haud raro traditiones expresse vituperant.

Resp. Cum compendii ratio non permittat, singulos textus obiectos percurrere, generales dumtaxat observationes ad huiusmodi Patrum locutiones intelligendas facimus. Imprimis igitur locutiones *positivae*, quibus sufficientia et perfectio Scripturae praedicatur, *relative* et non absolute sumi debent. *Tertullianus* e. g. docet, Scripturam sufficere ad cognoscendam creationem caeli et terrae; *Irenaeus* de unitate Dei, *Athanasius* de fide in Christum et vanitate idolorum, alii de aliis capitibus loquuntur, quae utique ex sola Scriptura demonstrari et contra haereticos defendi possunt. Immo docent Patres *praecipuos articulos fidei*, qui ab omnibus fidelibus explicite credi debent, in s. Scriptura et in symbolo apostolico, quod veluti Scripturae compendium sit, contineri. Denique iuxta *Augustinum* <sup>6)</sup> eo *sensu indirecto* s. Scriptura sufficiens dici potest, quod, qui Scripturam habet, etiam traditionem et Ecclesiam habet, «quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas».

Quando autem Patres praedicant sufficientiam Scripturae locutionibus *excludentibus*, nolunt excludere tradi-

---

<sup>1)</sup> Athan., Orat. contr. gent.

<sup>2)</sup> Cyrill. Hieros., Catech. 4. 17.

<sup>3)</sup> Basil., Or. de fid. n. 1. 2.

<sup>4)</sup> Chrysost., Hom. in Ps. 95 n. 7.

<sup>5)</sup> Hieron. in Matth. c. 23 v. 35. 36; cf. Mazzella, De religione n. 335 sq.

<sup>6)</sup> Contr. Crescon. l. 1 c. 33 n. 39: «Quamvis huius rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae iam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas».

tionem divinam: sed, ut Card. Franzelin<sup>1)</sup> observat, vetant Patres, α) aliquid proferri ex fontibus *apocryphis*; vel β) urgeri aliquid *contra* Scripturas ex humanis inventis et sophisticis argumentationibus; vel γ) haberi ut revelatum, quod homines *privati* absque auctoritate proferebant. Nul- libi vero Patres ita Scripturae sufficientiam praedicant, ac si ea *sola* et *independenter* a magisterio authentico Ecclesiae et pro *omnibus* fidelibus fons sit *adaequatus* revelationis. Hoc probare deberent reformatores; sed non possunt, quia Patres, ut vidimus, aperte contrarium docent.

**Corollarium.** Ex hucusque demonstratis tota revelatio 179 christiana per authenticum magisterium integre et incorrupte quasi per manus ad nos usque propagata est. Religio hoc modo conservata et propagata communiter appellatur *traditio*. At alia etiam penes antiquos scriptores occurrunt nomina, quae rem eandem designant. Huiusmodi nomina sunt: *conscientia fidei communis*, *sensus ecclesiasticus*, *intellectus catholicus*, *ecclesiastica intelligentia*. Ista nomina, ut patet, directe significant ipsam doctrinam christianam traditam et quasi viventem in Ecclesia. Praeterea traditio vocatur: *praedicatio* (κήρυγμα) *ecclesiastica*, *regula fidei*, *regula veritatis apostolicae*, *intelligendi regula*. His nominibus directe modus et organum tradendi revelationem significatur, indirecte doctrina tradita adsignificatur.<sup>2)</sup>

## CAPUT II.

### De criteriis traditionis divinae.

Demonstrata veritate traditionis divinae inquirendum est, quomodo ea cognoscatur et a traditione humana distinguatur. Itaque α) criterium generale, β) criteria specialia exhibebimus, ex quibus traditio divina dignoscitur.

#### ARTICULUS I.

##### De criterio generali.

**Thesis 44.** *Criterium generale et princeps traditionis* 180

<sup>1)</sup> Thesi 19 IV, ubi hoc multis allatis exemplis ostendit; cf. Bellarmin. l. c; Stapleton, Princip. fid. l. 12 c. 11.

<sup>2)</sup> Vide Franzelin, thesi 11, ubi aequipollentia horum nominum cum nomine «traditio» ex Patribus ostenditur.

*divinae est consensus successorum Apostolorum inter se et maxime cum successore b. Petri, quocunque tempore existens.*

Ad thesis demonstrationem et uberiolem explanationem tria praestabimus:  $\alpha$ ) breviter demonstrabimus, praefatum consensum revera esse criterium traditionis divinae;  $\beta$ ) ostendemus, quomodo hic consensus nobis innotescat, et  $\gamma$ ) qualis consensus exigatur et sufficiat.

**A. Consensus episcoporum inter se et cum Romano Pontifice in rebus fidei et morum est criterium certum traditionis divinae.**

Assertionem, quae veluti corollarium est ex thesibus prioribus, breviter absolvere licet. Sane:

1. Ex demonstratis Christus Apostolos eorumque successores instituit ut magistros authenticos, per quos revelatio integre et incorrupte conservaretur et propagaretur, eosque ad hunc finem charismate veritatis seu infallibilitatis instruxit. Atqui hoc charisma collatum non est *omnibus et singulis* Apostolorum successoribus, sed soli successori b. Petri i. e. Romano Pontifici, reliquis vero nonnisi *collective* et in *unione* cum capite i. e. cum Romano Pontifice seu, ut dici solet, charisma infallibilitatis collatum est collegio *Petro-apostolico*. Ad solum Petrum enim dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18); *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32); *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Ioan. 21, 16 sq); in quibus verbis, ut suo loco demonstrabitur, infallibile magisterium R. Pontificis exprimitur. Reliquis vero Apostolis in corpore dictum est: *Docete omnes gentes . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 19 sq; cf. Ioan. 14, 16. 26). Atqui ex his verbis utique clare eruitur, Apostolorum successoribus infallibilitatem promitti: non vero eruitur, hanc promissionem *ad omnes et singulos* spectare. Verba enim verificantur etiam in hypothese, quod infallibilitas soli *collegio* promissa est. Cum igitur historia doceat, singulos episcopos revera saepe errasse, relinquitur, ut promissio Christi nonnisi de collegio intelligatur. Criterium igitur tra-

ditionis divinae non est sententia unius alteriusve episcopi, sed est *consensus* episcoporum inter se et maxime cum R. Pontifice, cui infallibile magisterium ad personam collatum est.

2. Eadem fuit sententia antiquitatis. Sic *Tertullianus*<sup>1)</sup> scribit: «Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa; hoc est testimonium veritatis.» Iuxta *Cyrillum Alex.*<sup>2)</sup> fit «per suggestionem Spiritus sancti, ne a vero deficient episcopi in *consensione*». Etiam concilia hanc consensionem semper ut tesseram veritatis praedicabant. Sic Patres concilii *antiocheni* contra Paulum Samosatenum concludunt: «qui Filium Dei non esse Deum praedicat, hunc alienum esse ab ecclesiastica regula arbitramur, et omnes ecclesiae catholicae nobiscum consentiunt».<sup>3)</sup> Necessitas vero consensus cum Pontifice Romano signanter exprimitur celeberrimo dicto *Irenaei*.<sup>4)</sup> «Ad hanc Ecclesiam propter potentioris principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.» — Verum de hoc puncto suo loco uberius.

#### B. Quomodo praefatus consensus innotescit?

181

1. Ante omnia duplex consensus custodum fidei distinguendum debet: *praesens* et *praeteritus*; scilicet consensus episcoporum cum R. Pontifice, qui hodie vivunt, et consensus eorum, qui iam obierunt. Consensus *praesens* innotescere potest omnibus illis modis, quibus aliquid ab Ecclesia *sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelatum credendum proponitur* (conc. Vatic. Sess. III cap. 3).<sup>5)</sup> Consensus *praeteritus* nobis innotescit ex documentis scriptis et monumentis artis. Ad *documenta scripta* pertinent praeprimis *symbola* et *professiones fidei*, acta et definitiones *conciliorum*; deinde opera *Patrum*, libri *liturgici* et *sacramentaria*, libri *poenitentiales*,

<sup>1)</sup> De praescript. c. 21; cf. 32. 36.

<sup>2)</sup> Epist. ad Monach.

<sup>3)</sup> Mansi t. 1 p. 1033; cf. supra dicta n. 174, 2.

<sup>4)</sup> Adv. haer. l. 3 c. 3.

<sup>5)</sup> Denzinger 1792.

canones *disciplinae*; praeterea *acta martyrum*, *historia ecclesiastica* generatim et *historia haeresium* in specie etc. Immo ex profana quoque historia, ex scriptis haereticorum et hostium christianae religionis colligi potest, quatenus fuerit fides Ecclesiae. *Monumenta* artis sunt *sculpturae*, *picturae*, *architecturae* aliaque monumenta, quae reperiuntur in catacumbis, sarcophagis, scyphis ac omnis generis suppellectili Christianorum aerae antiquissimae, in quibus quam plurima dogmata ad vivum exhibentur.<sup>1)</sup>

2. Notandum insuper est, praedictum consensum dupliciter innotescere et probari, *directe* et *indirecte*. *Directe* ex testimoniis *immediatis* successorum Apostolorum. Huc praecipue pertinent solennes definitiones conciliorum et R. Pontificum, quae consensum Ecclesiae necessario vel supponunt vel efficiunt. Pertinent deinde testimonia sparsa episcoporum ex diversis temporibus diversisque ecclesiis particularibus; quae testimonia quo uberiora et clariora sunt, eo evidentius consensum Ecclesiae demonstrant. Traditio divina probatur *indirecte* ex iis testimoniis, quae non quidem per se et immediate exhibent consensum *authenticorum* custodum fidei, cum eodem tamen necessario nexa sunt. Huiusmodi testimonia omnino varia et multa sunt atque ab ipsis adversariis Ecclesiae peti possunt. Praecipue vero consensus scholae catholicae et sensus fidelium huc pertinent, de quibus mox.

182 C. *Qualis consensus ad probandam traditionem divinam circa aliquod doctrinae caput requiritur et sufficit?*

Distinctione facta inter *tempus*, *obiectum* et *modum* praefati consensus, respondemus:

**Assertio 1.** *Ad probandam traditionem divinam circa aliquod doctrinae caput per se requiritur et sufficit: α) consensus successorum Apostolorum quovis tempore existens, β) etiam consensus praesens; at γ) scientifice ac polemice etiam consensus antiquitatis inquirendus est.*

a. Sufficit, inquam, consensus *quovis tempore*. Ex de-

<sup>1)</sup> Cf. inter alia Wilpert, *Die Malereien der Katakomben* (Freiburg 1901); Garucci, *Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri christ. di Roma* (Roma 1864). Vide Perrone, l. c. n. 471 sqq.

monstratis enim charisma veritatis non solis Apostolis promissum aut pro certo tempore datum est, sed in perpetuum usque ad consummationem saeculi (169 sqq). Ergo consensus successorum Apostolorum circa aliquod doctrinae caput quovis tempore existens est signum divinae traditionis. Unde ulterius sequitur, ad demonstrandam divinam traditionem in certo aliquo puncto revelationis necesse non esse, ut consensus omnium aetatum inde a temporibus apostolicis demonstretur; sed sufficere, ut consensus custodum fidei, qui certa aliqua epocha aerae christianae obtinuerit, probetur.

**b.** Sufficit etiam *consensus temporis praesentis*; ex eadem ratione. Immo hic consensus est criterium omnium certissimum mediumque maxime obvium pro omnibus fidelibus. Licet enim successores Apostolorum cuiusvis temporis eandem auctoritatem habeant, praesentes tamen episcopi constituunt magisterium *vivum*, quod *immediate* verbum Dei fidelibus tradit, simulque authentice *iudicat* de sensu verbi Dei scripti et traditi, quod ad instar litterae mortuae se habet.<sup>1)</sup>

**c.** Ex *rationibus scientificis ac polemicis* consensus quoque antiquitatis, quantum fieri potest, inquirendus est. Scientia enim  $\alpha$ ) postulat, ut non solum indirecte, sed quoad fieri potest, etiam directe veritas probetur. Ad directam autem probationem, aliquod doctrinae caput ab Apostolis descendere, utique requiritur, ut ad prima tempora aerae christianae redeatur. Necesse tamen non est, ut ad tempora apostolica, ex quibus pauca supersunt monumenta, redeatur; sed consensus tempore Patrum quarti quintive saeculi existens ad originem apostolicam alicuius doctrinae demonstrandam plane sufficiens censi debet.  $\beta$ ) Idem postulatur ex rationibus polemicis; adversarii enim, qui auctoritatem

---

<sup>1)</sup> Huc pertinent verba Tertulliani, De praescript. c. 19: «Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, a quo et per quos et quando sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. . . Illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum». Cf. Franzelin, thesi 13.

episcoporum negant, saltem Patres antiquos reiicere nec possunt nec audent.

**Assertio 2.** *Ut consensus custodum fidei sit signum divinae traditionis, versari debet circa res fidei et morum.*

Assertio patet ex *fine*, propter quem Christus magisterium authenticum instituit, qui non est alius, quam *propagatio divinae revelationis*. Quidquid ergo non pertinet ad revelationem divinam, non est obiectum magisterii autentici, nec proinde participat divinas promissiones. Consensus ergo successorum Apostolorum in aliis quaestionibus habet meram auctoritatem humanam. — Sedulo tamen adverte:

a. Depositum fidei non est thesaurus mortuus aut complexus formularum et articulorum; sed est verbum vivum et vivens in cordibus fidelium. Profecto non sufficit, ut verba credantur, sed legitimus verborum *sensus* teneri debet. Quapropter charisma veritatis Ecclesiae promissum se extendit etiam ad *intelligentiam dogmatum*, fideique custodes non solum *testes traditionis* sunt, sed etiam *doctores fidei*. *Docete omnes gentes*, inquit Christus (Matth. 28, 19), et ipse dedit pastores et *doctores* (Eph. 4, 11).

b. Nonnullae veritates per se quidem mere rationales, at cum revelatione ita connexae sunt, ut haec sine illis stare non possit. Quare etiam illae ut obiectum *secundarium* sub authentico magisterio cadunt; ut postea suo loco ex professo ostendetur.

c. Quaestio, an aliquid ad fidem et mores pertineat ideoque sub obiecto infallibilis magisterii comprehendatur, non veluti a priore, sed ab ipso hoc magisterio decernenda est. Omnis custos enim, ut muneri suo satisfaciat, scire debet, quousque se extendat res suae custodiae commissa; alioquin particula pretiosi thesauri ei surripi posset sub praetextu: haec ad te non pertinet.<sup>1)</sup>

**Assertio 3.** *Hic consensus non debet esse mathematicus i. e. omnino omnium episcoporum, sed sufficit moralis seu maioris partis eorundem.*

---

<sup>1)</sup> Quia hoc non attendit, lapsus est Melchior Canus (De loc. theol., l. 7 c. 3 concl. 4; cf. c. 2 n. 2), dum inter exempla, in quibus auctoritas omnium sanctorum (i. e. Patrum) non potest certam fi-

Assertio tum ex natura rei patet, quia agitur de re morali; tum ex promissionibus Christi, quae factae sunt collegio episcoporum, non singulis episcopis (180), unde etiam aliquis dissentire ac errare potest; tum ex historia. — Ex dictis tamen semper requiritur unio cum R. Pontifice. — Moralis consensus antiquitatis etiam ex testimoniis paucorum Patrum *indirecte* colligi potest, ut statim probabimus.

**Obiectio.** Iuxta celebrem canonem *Vincentii Lir.*<sup>1)</sup> «cu- 183  
randum est, ut id teneamus, quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est. Hoc est enim vere proprie- que catholicum . . . Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem*». Falsum ergo est, quod consensus custodum fidei seu Ecclesiae *quocunque tempore* existens ad probandam traditionem divinam suffi- ciat; potius demonstrari debet, *semper* ut *ubique* talem con- sensum exstitisse.

Resp. Praedictus canon intelligi potest dupliciter: sen- su *affirmante* et sensu *excludente*. Affirmative sumptus est verissimus, ut per se patet; quod enim semper, ubique et ab omnibus creditum est, certe catholicum et apostolicum est. Si vero exclusive sumitur, distingue. Quodsi canon de fide implicita intelligitur, etiam in sensu exclusivo verus est. Tota quippe doctrina apostolica semper, ubique et ab omni- bus Catholicis implicite credita est; quia ille non est sin- cerus Catholicus, qui non gerit promptum animum, omnia fideliter amplectendi, quae ab Ecclesia tamquam in deposito fidei contenta vel iam proposita fuerunt vel postea adhuc proponuntur. Fides implicita ergo revera eadem fuit semper et ubique et apud omnes. Ast de fide *explicita* intellectus canon evidenter falsus esset. Nam si id tantum verum esset, quod semper, ubique et ab omnibus explicite creditum est, excluderetur omnis profectus in intelligentia dogmatum. Talis profectus autem omnino admitti debet, ut mox proba- bimus, et ab ipso Vincentio agnoscitur.

---

dem facere, etiam doctrinam de immaculata conceptione B. Mariae V. ponit; quia nimirum ipse in antecessum sibi persuaserat, hanc quaestionem non esse ex iis, quae pertinent ad fidem (cf. Franzelin, thesi 15 I). —

<sup>1)</sup> Commonit. nn. 3. 4; cf. 38. 31.

Certe *Vincentinus* hoc sensu canonem non intellexit. Ipse enim consensum tempore *praesente* obtinentem ut argumentum omnino sufficiens divinae traditionis agnoscit. «Sequemur, inquit, universitatem hoc modo, si unam fidem veram esse fateamur, *quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia.*» Loquitur ergo *Vincentius* manifeste de consensione universitatis praesentis. Sed quaerit ulterius: Quid est faciendum, si hic universalis consensus non adest, sed controversiae oriuntur in Ecclesia? «Tunc, respondet, providebit (Christianus), ut antiquitati inhaereat.» Nomine antiquitatis autem *Vincentius* non intelligit *absolutam* seu *apostolicitatem* doctrinae, de hac enim quaeritur; sed intelligit *relativam* i. e. tempus exortam controversiam antecedens. Consensio ergo universitatis praesentis, et si haec non habetur, consensio antiquitatis iuxta *Vincentium* sufficit ad demonstrandam apostolicitatem doctrinae. Hoc evidenter patet etiam ex responsione ad interrogationem n. 4 positam. Quaerit enim *Vincentius*, quid faciendum sit, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit. Et respondet: «Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro *sanitatem universi corporis* anteponat.» — Apparet ergo, quo sensu canon: „*quod semper, quod ubique et quod ab omnibus*” verus sit, et quomodo a *Vincentio* intellectus fuerit.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### De criteriis specialibus.

- 184 Consensus custodum fidei, in quo iuxta dicta generale traditionis criterium situm est, praecipue ex scriptis *Patrum* et *Theologorum* atque ex *sensu fidelium* dignoscitur. De his criteriis specialibus ergo totidem theses statuimus.

**Thesis 45.** *Sanctorum Patrum* α) *consensus unanims in rebus fidei et morum est argumentum certum traditionis divinae.* β) *Necessarius non est universalis consensus Patrum directe et explicite probatus, sed paucorum saepe Patrum testimonium ad traditionem alicuius dogmatis probandam sufficit.* γ) *Singulorum Patrum per se spectata auctori-*

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, thesi 24.

*tas est quidem veneranda, sed non infallibilis. δ) Dissensio igitur Patrum, si quando occurrit vel occurrere videtur, secundum haec principia diiudicari et componi debet.*

*Notio „Patrum” demonstrationi praemittenda. Sensu generico omnes, qui vitam spiritualem (de corporali enim non est hic sermo) verbo et sacramentis in aliis producant, e. g. praedicatores, confessarii, patres spirituales dici possunt et dicuntur. Quoniam vero fides est radix et primum semen huius vitae spiritualis, hinc ii potissimum hoc nomine decorantur, qui alios in fide instruunt; nam, ut Chrysostomus ait:<sup>1)</sup> «non genuisse tantum patrem efficit, sed recte instituisse». Et iam Paulus Corinthios suos filios nominat hac addita ratione: «Vos ut filios meos carissimos moneo; nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui (ep. I c. 4, 14 sq).» Hinc Pontifex maximus per eminentiam vocatur *Papa* i. e. *pater*, quippe qui sit supremus et infallibilis magister fidei. Episcopi quoque hoc nomen eminentius quam reliqui sacerdotes participant; eo quod et ipsi una cum Pontifice magisterium authenticum fidei sortiti sunt successoresque sunt Apostolorum, qui Ecclesiam plantaverunt.*

At praeter hanc magis communem significationem vox *pater* omnino specialem in Theologia sibi vindicat. Patres Ecclesiae enim sensu stricto vocantur illi scriptores ecclesiastici, qui propter antiquitatem, sanctitatem et doctrinam singularem, qua Ecclesiam illustrabant, ab eadem nomine Patrum insigniti sunt (14). Unde quatuor communiter notae recensentur, quae ad rationem Patris ecclesiastici *copulative* requiruntur.

**a. Doctrina orthodoxa,** qua iidem fidem catholicam non solum verbo sed et scriptis illustrarunt. Necessitas orthodoxiae per se evidens est; quia sine illa non fuissent patres, sed seductores.<sup>2)</sup> Cum hac orthodoxia etiam quaedam *eruditio* coniuncta esse debuit, quae vero non tam ex amplitudine operum, quam ex clara et solida propositione

<sup>1)</sup> De Anna serm. 1 n. 3.

<sup>2)</sup> Ecclesia numquam eum, quem semel agnovit et approbavit tamquam s. Patrem, vel ipsa heterodoxiae incusavit, vel ab aliis

doctrinae fidei et morum desumitur, ut in scriptis Patrum apostolicorum apparet.

b. Requiritur etiam *sanctitas vitae*. Quamvis enim per se doctrina et sanctitas separabiles sint, Ecclesia tamen nunquam agnovit ut Patrem nisi eum, qui sanctitate vitae cum Spiritu sancto, fonte omnis luminis, specialiter coniunctus fuit, et non solum verbo sed etiam exemplo Ecclesiam aedificavit.

c. *Antiquitas*. Olim quidem episcopi sive presbyteri non multo tempore antea defuncti, doctrina et sanctitate illustres, mox inter ss. Patres numerabantur,<sup>1)</sup> immo paucis post obitum annis iam honorifico hoc titulo quandoque insigniti fuere;<sup>2)</sup> quam primum scilicet in universa Ecclesia de eorum orthodoxa doctrina, eruditione sacra et sanctitate constabat. Hodie vero ita limitata est ss. Patrum periodus, ut nemo iam s. Pater audiat, qui post saeculum duodecimum vixit. Hinc s. *Bernardo* († 1153) tribui solet titulus: *ultimus* inter Patres.<sup>3)</sup>

d. Denique requiritur *expressa vel tacita approbatio* Ecclesiae; nam «ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet».<sup>4)</sup> Sane, cui commissa est custodia depositi fidei, eidem implicite etiam commissa est designatio testium et magistrorum fidei. Et revera Ecclesia semper hoc iure usa est, aliquos expresse *Patres* nominando,

---

heterodoxiae insimulari passa est. Sic in actis concilii Nicaeni II (Mansi t. 13 col. 291 sqq) narratur, iconoclastas ad tuendam causam suam etiam ss. Patres in medium adduxisse; sed synodus ostendit, eos vel opera spuria ss. Patribus affinxisse, vel eos tamquam ss. Patres citatos fuisse, qui nequaquam pro talibus ab Ecclesia habeantur, aut ss. Patrum locos perperam intellectos esse vel mutilatos; minime vero concedit, ullum ss. Patrum contra fidem orthodoxam offendisse (Fessler-Jungmann t. 1 § 11).

<sup>1)</sup> Vid. concil. Ephesin. (a. 431) act. I (Mansi t. 4 col. 1183 sqq).

<sup>2)</sup> Sic s. Cyrillus Alex. († a. 444) iam anno 451 ss. Patribus annumeratus est. Cf. concil. Chalced. act. II (Mansi t. 6 col. 979) et act. IV. V (t. 7 col. 73).

<sup>3)</sup> Mabillon, Praet. in s. Bernardi edit. novam (Venetiis 1750) n. 23 et 26; cf. Fessler-Jungmann l. c., qui tamen adhuc Thomam et Bonaventuram Patribus accensendos esse putant.

<sup>4)</sup> Thomas 2, 2 q. 10 a. 12.

alios ut tales allegando, alios etiam ex censu Patrum excludendo.<sup>1)</sup>

His praemissis quaeritur, quaenam sit auctoritas Patrum. Aliqui veteres cum abbate *Fredegiso* (saec. 9) singulos Patres in omnibus infallibiles putabant; Iansenistae quoque auctoritatem unius *Augustini* ipsi Ecclesiae prae-tulerunt. E contrario Lutherani auctoritatem Patrum mere *historicam* admiserunt, quatenus ex eorum scriptis dignoscitur, qualis tunc fuerit fides Ecclesiae. At veritas in medio stat, ut ex demonstratione thesis per singulas partes apparebit.

A. *Unanimis Patrum consensus in rebus fidei et mo- 185  
rum est certum argumentum traditionis divinae.*

Nonnulli auctores Patrum auctoritatem immediate ex s. Scriptura probant, praesertim ex Eph. (4, 11): *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, . . . alios autem pastores et doctores etc.*, quo in loco nomine *pastorum* episcopos, nomine *doctorum* Patres intelligendos esse existimant. At hoc argumentum non videtur esse efficax. Munera pastoris et doctoris enim ex parte saltem coincidunt; fideles enim non solum sacramentis, sed etiam *doctrina pascuntur*. Praeterea doctoratus non est charisma extraordinarium, sed *ordinarium* in Ecclesia; atque ideo non debet restringi ad tempus Patrum neque solos Patres nomine doctorum intelligere licet. — Demonstratio igitur aliter procedere debet; neque id operosum erit.

1. Imprimis enim Patres ferme omnes, paucis exceptis, episcopi fuerunt, ideoque consensus Patrum non solum resolvitur in consensum custodum fidei; sed illum ipsum *repraesentat* et quidem modo *eminente* repraesentat. Patres enim inter ipsos episcopos fulgent doctrina, sanctitate, vetustate et veneratione fidelium; praeterea Patres in variis regionibus et temporibus etiam vetustissimis floruerunt.

<sup>1)</sup> In conciliis Ephesino (act. I), Chalcedonensi (act. II), Constantinop. III (act. X) ceu testes fidei adhibiti sunt Patres «probabiles» (οἱ ἑγκριτοὶ τῆς ἐκκλησίας πατέρες). Contra vero exclusi sunt Tertullianus et Lactantius decreto Gelasii in synodo Rom. a. 494, et Eusebius Caesariensis in conc. Nicaen. II (cf. Fessler-Jungmann § 10 et § 12, ubi plura criteria enumerantur, ex quibus Patres Ecclesiae dignoscuntur).

Quare iuxta pulcherrimum dictum *Augustini* Patres synodum episcopalem repraesentant, in qua non solum episcopi eiusdem temporis sicut in aliis conciliis, sed etiam episcopi praeteriti sedent et iudicant.<sup>1)</sup>

2. Ecclesia semper hanc auctoritatem Patrum *theoretice* et *practice* agnovit. Sic in concilio *Ephesino* teste *Vincentio Lir.*<sup>2)</sup> «universis episcopis ibi congregatis hoc catholicissimum fidelissimum atque optimum factum visum est, ut in medium ss. Patrum sententiae proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter *ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur.*» Item Patres concilii *Chalcedonensis* (act. V) clamaverunt: «Haec fides Patrum . . Haec fides Apostolorum, huic omnes consentimus, omnes ita sapimus.» Concilium *Constantinop.* IV. (act. X can. 1) statuit, quod «Patrum decreta velut inextinctae quaedam semperque lucentes faces sequendae sunt». *Nicaenum II.* anathema dicit «his, qui reiiciunt ss. *Patrum voces*, quae ad confirmationem rectorum dogmatum Ecclesiae Dei pronuntiatæ sunt». Tandem concilium *Tridentinum* et *Vaticanum* praecipunt, ut s. Scriptura iuxta unanimem Patrum consensum exponatur. Fidem antiquae Ecclesiae de Patrum auctoritate emphatice exprimit s. *Basilius*:<sup>3)</sup> «Patrum *vestigiiis* non insistere, nec sua sententia vocem illorum potiore ducere, res est reprehensione digna, ut plena arrogantiae.» Rationem assignat *Augustinus*,<sup>4)</sup> quia Patres «divinae fami-

---

1) L. 2 contr. *Iulian.* c. 10 n. 37: «Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt: sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare coguntur homines, sed in librum, qui navigare possit ad homines.»

2) *Commonit.* c. 29.

3) *Epist.* 52 n. 1.

4) *Contr. Iulian.* l. 2 n. 37; cf. *Athan.*, *De decr. Nicaen. syn.* c. 27; *Cyrill. Alex. ad anathem.* 8; *Vincent. Lir.*, *Commonit.* c. 39.

liae dominica cibaria fideliter ministrantes, ingente in Domino gloria claruerunt».

3. *Philosophice* assertio nostra confirmatur ex qualitatibus Patrum, sapientia scilicet, sanctitate, vetustate aliisque dotibus, quae *testem* et *iudicem* commendant et fide dignum efficiunt, iuxta *Augustini* verba:<sup>1)</sup> «Isti episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bona iudici tribuisti, non potes invenire, quod spernas.»

B. *Necessarius non est consensus universalis Patrum directe et explicite probatus, sed paucorum saepe Patrum testimonium ad traditionem alicuius dogmatis probandam sufficit.*

Assertio ex constante et vetustissima praxi Ecclesiae et ex manifesta ratione colligitur. α) Profecto, non *omnes* neque *vetustissimi* Patres semper allegabantur, sed paucorum saepe et recentiorum Patrum testimonium ad contestandam apostolicam originem alicuius doctrinae plane sufficiens putabatur. Sic in concilio *Ephesino*, *Chalcedonensi*, *Constantinop. III* et *IV* non plures quam *decem vel duodecim* Patres ad probanda dogmata proferebantur, quorum plerique vix toto saeculo antecesserant.<sup>2)</sup> — β) Ad probandum dogma de peccato originali *Augustinus* solos Patres *occidentales* allegat: «Non est, inquit,<sup>3)</sup> cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique Christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est.» — γ) Immo aliquando testimonium *unius alteriusve* Patris propter summam auctoritatem, qua in Ecclesia gaudebat, ut sufficiens argumentum traditionis reputatum est. Sic *Cyrillus Alex.* de *Athanasio* scribit:<sup>4)</sup> «Sane idoneus est hic vir apprimeque dignus, cui tuto fidem adiungere licet, ut qui nihil protulis-

<sup>1)</sup> Contr. Iulian. l. 2 c. 10 n. 37; cf. l. 1 c. 7 n. 34.

<sup>2)</sup> Scribit Vincentius Lir. c. 30 de concilio Ephes.: «Quamquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit: quia neque multitudo testium negotii tempora occupari oportebat, et decem illos non aliud vere sensisse, quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat.» —

<sup>3)</sup> Contr. Iulian. l. 1 c. 4 n. 14.

<sup>4)</sup> Ep. 1 ad monach.

set, quod a divinis litteris esset alienum. Quo enim pacto illustris ille celebratusque Pater, qui in sacra illa magnaue synodo Nicaena in tanta omnium admiratione habitus est, a veritatis tramite aberrasset?» Hac ratione *Augustinus*<sup>1)</sup> appellat ad Gregorium Naz.: «Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, neque illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent.» Sunt et alii huiusmodi Patres in certa aliqua controversia omni exceptione maiores, e. g. Basilius, Hilarius, Augustinus defendentes mysterium ss. Trinitatis contra Arianos; Cyrillus Alex., Leo M., Agatho, Sophronius pugnantes contra Nestorianos, Monophysitas et Monotheletas pro mysterio incarnationis; Augustinus ac Fulgentius pro doctrina de gratia contra Pelagianos. — δ) Generatim cum Card. *Franzelin*<sup>2)</sup> haec regula statui potest: Si Patres etiam pauciores magni nominis positive docent, aliquid ad fidem pertinere; si hoc testimonium ferant iis in adiunctis, ut non potuerit latere reliquos episcopos et doctores suae aetatis et subsequentium; si demum huic eorum doctrinae nemo contradixit: tunc satis apparet, talium etsi paucorum Patrum testimonia vim certi argumenti habere.

186 C. *Singulorum Patrum seorsum spectata auctoritas est quidem veneranda, sed non infallibilis.*

Assertio demonstratione non indiget. Nam singulorum quoque Patrum auctoritatem *venerandam* esse, liquet ex sanctitate, doctrina, vetustate et maxime ex Ecclesiae approbatione, qua omnes et singuli gaudent. Ex altera parte aequè liquet, singulos Patres *non esse infallibiles*. Undenam haec infallibilitas probaretur? An ex s. Scriptura? At haec successoribus Apostolorum generatim, non singulis Patribus eam praerogativam adserit. An ex approbatione Ecclesiae? At haec non eo usque extenditur. An ex induc-

<sup>1)</sup> Contr. Iulian. l. c. n. 16.

<sup>2)</sup> Thesi 14. Adverte tamen cum eodem cl. auctore, id de *substantia* tantum dogmatis, non de quaestionibus incidentibus valere. Nam, ut Coelestinus I (ad episcopos Galliae ep. 21) scribit: «Profundiores difficilioreque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.»

tione historica, quia numquam errarunt? Sed contrarium verum est; nam aliquando errarunt. Quare de Patribus *singillatim* spectatis scribit *Augustinus*:<sup>1)</sup> «Alios praeter Scripturam libros ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a veritate non abhorreat, persuadere potuerunt.» Licitum ergo est iuxta eundem s. Doctorem<sup>2)</sup> «salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere». — Iure igitur proscripta est ab *Alexandro VIII.* prop. 30 Baianor.: «Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.»<sup>3)</sup>

**D.** *Ex praefatis principiis deducuntur regulae, secundum quas diiudicandus et componendus est dissensus Patrum.* 187

*Regula prima. Numquam potest esse vera oppositio inter consensum Patrum unius et alterius aetatis.*

Ex demonstratis enim consensus quocunque tempore existens est criterium certum veritatis. Verum autem vero non potest opponi. Hinc *Athanasius*<sup>4)</sup> Arianis, qui Patres conc. Antiocheni Patribus conc. Nicaeni circa consubstantialitatem Filii opponebant, respondit: «Non decet illos cum his committere, *omnes enim Patres sunt*; neque sanctum esset definire, hos probe, illos male locutos esse; omnes quippe in Christo obdormierunt... Neutros fas est culpae, omnes quippe res Christi curabant, omnes studia sua convertebant adversus haereticos.» Deinde vero ostendit, contradictionem apparentem tantum fuisse.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Ep. 82 n. 3 ad Hieron.

<sup>2)</sup> Ep. 148 n. 15 ad Fortunat.

<sup>3)</sup> Denzinger 1320.

<sup>4)</sup> De synodis n. 43. 45. Quando s. Thomas (2, 2 q. 10 a 12) dicit: «magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cuiuscunque Doctoris», id pariter intelligendum est de singulis Patribus, non de eorum consensu. Hic etenim repraesentat ipsam Ecclesiam; ideoque non est duplex, sed una eademque Patrum et Ecclesiae auctoritas. Cf. etiam Thom., Contra errores Graecorum prooemium.

<sup>5)</sup> Aliud exemplum apparentis oppositionis habes in sententia

Exinde *corollarium* sequitur gravis momenti. Cum scilicet semel constat consensus existens circa aliquam doctrinam fidei, oppositio, quae contra illam movetur a doctoribus etiam quam plurimis, talem doctrinam falsitatis arguere nequit; dummodo prius verus et indubius exstiterit de ea consensus. Ratio patet ex dictis. Quando ergo, ut hodie circa quaestiones biblicas haud raro contingit, doctores moderni communiter textum aliquem propter rationes físicas vel históricas vel archaeológicas contra consensum Patrum vel generatim contra consensum in Ecclesia catholica hucusque vigentem explicant, tunc prius sedulo inquirendum est, an consensus praecedens insignitus sit iis notis, ex quibus certa traditio apostolica innotescit, utrum e. g. explicatio alicuius textus biblici revera habita sit tamquam doctrina fidei vel saltem cum fide intime conserta, an secus; et deinde *dependenter ab hac inquisitione theologica*, quaestio científica erit solvenda.

*Secunda regula.* Si ex una parte est consensus certus et constans circa dogma manifestum, ex altera parte vero pauci aliqui Patres contradicere videntur, tunc *pietas et manifesta ratio postulant, ut huiusmodi dicta dura paucorum in benigniorem partem exponantur.* — Ratio est, quia «sermonem dubium mens non dubia obumbrat et defendit a lapsu», ut *Ambrosius* dicit.<sup>1)</sup> Praeterea auctoritas, qua Patres gaudebant, non patitur, ut in dogmate manifesto errarent; secus certe non tantam auctoritatem in Ecclesia habuissent. Ex hac ratione *Augustinus* de Chrysostomo dicit:<sup>2)</sup> «Absit, ut tu aliud saperes, et in ea (Ecclesia) tam praecipuus emineres.» Sicut Augustinus Chrysostomum, ita Athanasius Dionysium et alii aliorum minus accurate dicta benigne interpretati sunt.<sup>3)</sup>

*Regula tertia.* Si dictum alicuius Patris *nullo modo conciliari potest cum sana doctrina, salva reverentia relinqui debet.* — Singuli quippe Patres non sunt infallibiles. Acci-

---

multorum Patrum de regno millennario, de qua docte tractat Franzelin thesi 15.

<sup>1)</sup> Ep. 48 n. 6 ad Sabin.

<sup>2)</sup> Contr. Iuliani. l. 1 n. 23.

<sup>3)</sup> Cf. Franzelin, thesi 15 III.

dit in tali casu, quod de luminaribus coeli valet, «quae licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt».¹)

*Quarta regula.* Si denique circa aliquod caput doctrinae *nullus obtinet consensus Patrum*, sed diversi diversa sentiunt, auctoritas eorum se quasi *mutuo elidit*; ideoque non ex auctoritate, sed ex rationibus res est definienda.²) Ex eo tamen, quod aliquo tempore Patres circa aliquam doctrinam dissenserint, concludere non licet, talem doctrinam non contineri in deposito fidei. Fieri enim potest, ut dissensum subsequatur consensus, ut mox videbimus.

**Obiectio contra auctoritatem Patrum.** Ipsi Patres suam aliorumque Patrum auctoritatem haud magni faciunt. — Resp. cum *Fessler*:³) «Patres, ubi auctoritatem vel propriam vel aliorum Patrum deprimere videntur, vel loquuntur de *suis* ipsorum operibus, ubi certe modestia prohibet, quominus sibimetipsis insignem quandam et eminentem auctoritatem tribuant, praesertim ubi non in rebus dogmaticis ab Ecclesia traditis, sed in mera speculatione versantur; vel loquuntur de *coaevis*, eruditae utique et sanctis viris, sed nondum ab Ecclesia approbatis; vel etiam agunt de scriptoribus ecclesiasticis, qui non erant Patres *proprie tales*; aut certe de *singulis* Patribus, qui sententias quandoque singulares et a fide Ecclesiae alienas fovebant; denique haud raro de rebus ad *fidem moresque non spectantibus*. Ceterum hi ipsi Patres, quos imprimis allegare solent adversarii contra ss. Patrum auctoritatem, eadem uti auctoritate, ubi aderat Patrum consensus, huncque consensum contra hostes veritatis urgere minime dubitabant, aperte sic mentem suam de auctoritate ss. Patrum declarantes.»

**Scholion 1.** Pius X. in Motu proprio «*Sacrorum antistitum*» (die 1. Sept. 1910) inter alia praescribit, ut iuremus: «Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doc- 188

¹) Facundus Hermianen., Pro defensione trium capitul. l. 6. c. 5.

²) Huc pertinet illud Augustini, De vera relig. n. 20: «Quae vera esse perspexeris, tene et Ecclesiae catholicae tribue; quae falsa, respue et mihi, qui homo sum, ignosce; quae dubia, crede, donec aut respuenda esse aut vera esse aut semper credenda esse vel ratio doceat vel praecipiat auctoritas.»

³) Fessler-Jungmann, t. I. § 16.

tori disciplinae historiae theologicae tradendae aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde *scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari.*»<sup>1)</sup>

Haud absque gravi ratione hoc iuramentum exigit Ecclesia. Non enim adeo rari sunt doctores, qui, licet id non fateantur verbis, facto tamen ita disciplinam historiae theologicae tractant, ac si traditio mere critice examinanda esset. Singulorum vero Patrum scripta solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eodem modo ac alia profana monumenta investigant ac interpretantur. Hinc ex eorum sententia unum alterumve dogma catholicum, quo sensu nunc intelligitur, cum testimoniis Patrum verioribusque divinae religionis originibus componi amplius non potest. Sic e. g. docent, dogma catholicum, omnia et singula gravia peccata, etiam sola cogitatione commissa, iure *divino* confitenda esse, repugnare praxi primitivae Ecclesiae Patrumque testimoniis. Ex his enim constare putant, quod sola peccata operis (*Tatsünden*) et capitalia peccata primis saeculis aerae christianae confiteri debuerint. Quam falsa et periculosa sit talis opinio meritoque reiecta a Pio X., iam ex iis satis apparet, quae hucusque de traditione diximus. Si enim Christus magisterium authenticum instituit ad conservandum depositum fidei, ad hoc profecto magisterium pertinebit, fontes fidei interpretari. Traditio autem est fons fidei, Patrumque testimonia sunt praecipua criteria ad dignoscendum hunc fontem. Ergo non licet traditionem Patrumque scripta «sacra qualibet auctoritate seclusa eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent, investigare». Per se liquet autem, haec valere de scriptis Patrum, quatenus de rebus fidei et morum agunt, non autem ad res mere profanas extendi.

---

<sup>1)</sup> Denzinger 2146.

**Scholion 2.** Liquet, non eandem esse singulorum Patrum auctoritatem. Ea enim crescit pro ratione antiquitatis, sanctitatis, eruditionis, dignitatis hierarchicae, aliorumque adiunctorum, maxime vero ex approbatione Ecclesiae. Praeter approbationem nimirum omnibus Patribus communem nonnulli specialem nacti sunt ab Ecclesia; maxime s. *Augustinus*, qui praesertim in doctrina de gratia semper summa fruebatur auctoritate. De ipso scribit *Ioannes II.* (Ep. ad senat.): «S. Augustinus, cuius doctrinam secundum praedecessorum meorum statuta Romana sequitur et probat Ecclesia»; et *Leo XIII.* (Encycl. *Aeterni Patris*): «contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit *fide summa, doctrina pari*» etc. Ceterum in taxanda auctoritate alicuius testimonii non solum personae Patris habenda est ratio, sed etiam libri, ex quo desumitur, occasionis, qua fuit prolatum, aliorumque adiunctorum, ut per se patet.<sup>1)</sup>

**Thesis 46.** *Scholae catholicae seu Theologorum consensus circa fidei dogma certis sub conditionibus pariter infallibile, licet indirectum, traditionis divinae argumentum constituit.* 189

**Declaratio 1.** Nomine *scholae catholicae* intelligimus illas scholas praesertim theologicas, quae ab Ecclesia erectae sunt et *continua eius tutela et vigilantia gaudent*. Ad scholas igitur theologicas, quae quacunque ex causa auctoritati ecclesiasticae subductae fuerunt, thesin non applicamus. Qua de causa generatim maior est auctoritas scholarum ante concilium Tridentinum quam post illud; siquidem vinculum Ecclesiam inter et scholas ultimis saeculis etiam in multis regionibus catholicis nimis, eheu, laxatum est.<sup>2)</sup> Consensus scholae catholicae breviter dici solet consensus „*Theologorum seu Scholasticorum*“; quo nomine olim magistri seu professores in scholis catholicis designabantur:

**2. Conditio**, sub qua scholae seu Theologorum consensus traditionem divinam alicuius doctrinae infallibiliter de-

<sup>1)</sup> Cf. Hurter, Theol. dogm. comp. (ed. 11 Oeniponte 1903) t. 1 n. 136; De Groot, Summa apologetica q. 20 a 2. (ed. 3 Ratisbonae 1906).

<sup>2)</sup> Cf. Acta conc. Vatic., relat. archiep. Strigon. Simor (Coll. Lacens. t. 7).

monstrat, est duplex: **a.** Necessary est consensus *certus* et *unanimis*, non tantum opinio plus minusve communis in scholis catholicis. Certitudo vero et unanimitas consensus constare non poterit, nisi per tempus notabile iam viguerit. Hinc addi etiam solet, hunc consensum debere esse *constantem*. Sed *mathematicus* consensus non requiritur, ut per se patet. — **b.** Consensus existere debet circa dogma fidei, seu ut Card. *Franzelin* dicit (th. 17), de re aliqua *ut fidei*, non tantum de re *ut vera*. Scilicet non sufficit, a Theologis rem aliquam unanimiter ut veram proponi, sed requiritur eam ut dogma catholicum tradi. In primo casu talis sententia communis Theologorum magnam quidem auctoritatem moralemque certitudinem habebit; at dogma nondum est, et qui illam negaret, esset quidem temerarius, non vero haereticus. Quando vero Theologi unanimiter aliquid docent, non solum ut verum, sed ut credendum fide catholica: tunc eorum consensus non solum moraliter certum, sed *infallibile* argumentum traditionis divinae constituit. Infallibile, inquam, non *directe*, quasi Theologi *per se* infallibilitate gauderent; sed *indirecte*, quia nimirum in tali casu consensus Theologorum in consensum infallibilis Ecclesiae resolvitur, ut ex demonstratione patebit.

**3.** Auctoritatem scholae catholicae non solum Lutherani et Iansenistae negant, sed etiam quidam Catholici (Chrismann, Hermes, Hirscher, Günther aliique praesertim in Germania) eam ex albo «locorum theologicorum» expunxerunt. Tres affere solent rationes:  $\alpha$ ) quia Theologi, cum sequiore aetate viverent, traditionis apostolicae testes esse non *potuerunt*;  $\beta$ ) quia Theologi praesertim medii aevi unice speculationi intendebant et traditionem parum curabant;  $\gamma$ ) quia reapse nonnulli errores in scholis aliquando communiter docebantur. — Nihilominus tenendum est, auctoritatem Theologorum sub conditionibus expositis verum locum seu argumentum theologicum constituere.

190 **Demonstratio 1.** Ex relatione scholarum tum ad episcopos tum ad simplices fideles. Sane: **a.** Relatio ad *episcopos* est duplex, nimirum *passiva*, ut ita dicam, et *activa*. *Passiva*, inquam, quia episcopi professores in scholis theologicis instituunt, missionem docendi eis tribuunt, ac con-

tinuo invigilant eosdemque coercent, vel etiam omnino a cathedra remonent, si quid contra sanam doctrinam docent. Sed etiam *activa* scholarum ad custodes fidei relatio obtinet. Episcopi enim ipsique Pontifices et concilia academias ac scholarum doctores in consilium adhibent, ita ut communis scholarum doctrina ut praeparatio authenticæ definitionis Pontificum et conciliorum haberi debeat. — **b.** Relatio scholarum ad *fideles* ea est, ut sint almae matres, ex quibus sacerdotes prodeunt, quibus institutio populi religiosa incumbit. Immo ipsi episcopi laticem doctrinae in scholis catholicis hauserunt.

Atqui ex praefatis relationibus scholarum erga pastores et fideles thesis manifesto concluditur. Pone enim, omnes Ecclesiae scholas uniformi et constante consensu in errorem contra fidem conspirare, eo ipso  $\alpha$ ) iam totus *episcopatus* in fide deficeret. Non solum enim tacendo errori consentiret, sed eum positive approbaret, iuxta effatum Iuris (Dist. 83 cap. Error): «Error, cui non resistitur, approbatur; veritas, cum non defenditur, opprimitur.»  $\beta$ ) Etiam *plebs fidelis* necessario in errorem induceretur; impossibile enim est, ut ubi error *docetur*, veritas *discatur*.  $\gamma$ ) Et quoniam ipsi etiam episcopi in his scholis instituti sunt, profecto miraculosa Spiritus sancti operatio necessaria foret, ut omnes isti viri, cum in episcopatum assumuntur, errores deponant, quos in scholis imbibierant.  $\delta$ ) Eoque maior et violentior haec mutatio esse deberet attenta praxi Ecclesiae, qua non solum episcopi, sed ipse Pontifex et concilia scholarum doctores in *consilium adhibent* ad conficienda sua decreta.

2. Auctoritas scholae catholicae constat etiam ex *disertis testimoniis*. Sic inter alios Sixtus V. (Bulla, qua s. Bonav. Doctor Ecclesiae declaratur) ait: «Quanto magis illi (haeretici) hanc *munitissimam scholasticae Theologiae* arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis nos decere, hoc invictum *fidei propugnaculum* defendere et haereditatem patrum nostrorum conservare ac tueri.» Concilium *Viennense* (in Clement. *de Summa Trinit.*) docet, a Catholicis eligendam esse opinionem affirmantem, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo gratiam habitualement et

virtutes, tamquam probabiliorem et *doctorum modernorum Theologiae magis consonam et concordem*. Pius IX. vero expresse praescribit (Ep. ad archiep. Monaco-Fris. 21. Dec. 1863): «Etiam si ageretur de illa *subiectione, quae fidei divinae* actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum aut Rom. Pontificum, huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt; sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, *ideoque universali et constante consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur*».<sup>1)</sup> Ergo consensus scholae non solum moralem persuasionem, sed *subiectionem fidei* post se trahere debet.

3. *Historia haeresium* testatur, eos, qui pertinaciter consensui Theologorum in rebus fidei repugnarunt, tardius citius etiam in apertam haerese[m] lapsos esse. Etiam novissimis temporibus experti sumus, quam bene dixerit *Canus*.<sup>2)</sup> «Connexae quippe sunt et fuere semper post natam scholam scholae contemptio et haeresium pestes.» Certe errores Lammenaisii, Bautainii, Giobertii, Hermesii, Güntheri et hisce temporibus aberrationes Antiquocatholicorum et Modernistarum contemptui scholae non minimum sunt adscribendi.

4. Confirmatur denique ex *solutione obiectionum*, quae contra Theologorum auctoritatem proponuntur. Dicitur enim: a. Doctores scholae eo, quod sequiore aetate vixerunt, non possunt esse testes traditionis. — At nego consequentiam. Traditio enim (objective spectata) nil aliud est, quam doctrina apostolica, quae instar fluminis per omnia saecula aerae christianae *identica* semper decurrit. Doctores igitur e. g. medii aevi sunt testes immediati sui temporis, et mediati temporum praecedentium. Obiectio falso innititur principio, ac si testes traditionis nonnisi ex primis saeculis allegari debeant; dum ex historia constat etiam in celeberrimis conciliis 4. et 5. saeculi non semper Patres vetustissimos, sed etiam immediate praecedentes ad proban-

<sup>1)</sup> Denzinger, 1683 et 1680: «Qua falsa opinione (adversariorum Scholae) ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur» etc.

<sup>2)</sup> L. c. I. 8 c. 1; cf. Franzelin, thesi 17.

dam traditionem adductos fuisse (185, B). — **b.** Dicitur, scholasticos Theologos potius subtili speculationi, quam rimandis fontibus traditionis incubuisse. Sed hoc quoque falsum est. Nam, ut *Leo XIII.*, scholasticae Philosophiae aequae ac Theologiae apprime gnarus, testatur, scientia scholastica ab *uberrimis divinarum litterarum, summorum Pontificum, ss. Patrum et conciliorum fontibus* dimanat; unde concludit, eam semper quidem Ecclesiae utilem fuisse, nostris temporibus vero «catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis *perneccessariam*» esse. — **c.** Denique obiciunt varios errores, quos Theologi communiter docuerint; at nullibi circa tales errores verificabatur consensus supra descriptus.<sup>1)</sup>

**Scholion 1.** Eaedem rationes, quibus auctoritas indirecte infallibilis Theologorum in rebus fidei demonstratur, demonstrant etiam magnam eorum auctoritatem, quando in rebus fidei et morum unanimiter aliquid *ut verum* propter eius cum dogmate connexionem proponunt. Nam istae etiam sententiae ab Ecclesia magni fiunt ipsisque definitionibus dogmaticis praeparandis inserviunt atque ita cum dogmatibus cohaerent, ut si falsae essent, fidem ipsam in discrimen vocarent. 191

**Scholion 2.** Quamvis nomine *doctorum* (Eph. 4, 11) primario nonnisi successores Apostolorum intelligantur, quia agitur de munere ordinario docendi et pascendi Ecclesiam; nihilominus secundario bene intelligi possunt illi eximii Theologi, licet non fuerint episcopi, quos Deus *extraordinario* charismate doctoratus ad utilitatem Ecclesiae instruxit. Hoc et per se patet, et ex Pontificum encomiis colligitur, quibus Theologiae scholasticae doctores celebrarunt.

**Scholion 3.** Inter Theologos *auctoritate speciali* eminet *Doctor Angelicus s. Thomas*. Probatur **a.** ex *intrinseco pretio* doctrinae ipsius, de qua Innocentius VI. (Serm. de s. Thoma) ita scribit: «Huius (Thomae) doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, thesi 17 II, et Mazzella, De relig. n. 375, ubi huiusmodi exempla proponuntur et solvuntur. — De Theologorum auctoritate optime agit Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 S. 115 ff.

tenuerit, inveniatur a *veritatis tramite* deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.» **b.** Ex *approbatione practica* Ecclesiae. Non solum enim innumeri viri docti, plurimae academiae et scholae ordinesque religiosi eum ut magistrum sibi assumpserunt, sed ipso *Leone XIII.* (Encycl. *Aeterni Patris*) teste etiam «concilia oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Tridentino, Vaticano deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem». — «Sed haec, subdit idem Pontifex, maxime est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis Summam Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.» **c.** Ex *iudiciis* disertis Pontificum,<sup>1)</sup> quibus affirmarunt, admirabili Thomae doctrina universam Ecclesiam illustrari, haereses dissipari, academias tuto dirigi etc. Nostris vero temporibus ipse Leo XIII.<sup>2)</sup> praecipuus Thomae praeco existit. Nec minore veneratione Doctorem Angelicum prosecutus est Pius X, qui in encycl. *Pascendi* scribit: «Quod rei caput est, philosophiam scholasticam, quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a s. Thoma A. est tradita; de qua, quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus et qua sit opus instauramus et confirmamus stricteque ab universis servari iubemus.» Benedicto XV. regnante prodiit Codex iuris canon., qui statuit Can. 1366 § 2: «Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his discipli-

---

<sup>1)</sup> Ita Ioannes XXII. (Bulla *Redemptorem*); Benedict. XIV. (Litt. in forma brevis, die 21. Aug. 1752). Cf. De Groot, l. c. q. 21 a. 2.

<sup>2)</sup> Encycl. *Aeterni Patris* (4. Aug. 1879), et *Cum hoc sit* (4. Aug. 1880), in qua s. Thomam patronum scholarum theologiarum declarat.

nis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.» Nuperrime etiam Pius XI. s. Thomam declaravit «studiorum ducem» et «communem seu universalem Ecclesiae Doctorem», «cuius doctrinam . . . suam Ecclesia fecerit». <sup>1)</sup> — Quamquam autem tanta sit s. Thomae auctoritas, ea tamen non est *infallibilis*, ut per se patet; neque ita *singularis*, ut eius auctoritate sola omnes controversiae dirimantur; neque doctrina ipsius censi debet absolute *perfecta*, ut nullus amplius profectus scientiae theologiae post eum factus fuerit; neque demum omnes et singulae sententiae *tam certae et verae* sunt, ut nunquam aliquam deserere liceat.

**Thesis 47.** *Etiam consensus fidelium in dogmate fidei 192 est criterium infallibile traditionis divinae.*

**Declaratio 1.** Nomine *fidelium* non tantum simplices fideles (laici) intelliguntur quasi divulsi a pastoribus; sed intelliguntur laici in unione cum suis sacerdotibus et pastoribus, qui et ipsi, quatenus fidem quam docent etiam *credunt*, nomine fidelium comprehenduntur. Nomine fidelium igitur totum corpus Ecclesiae seu universitas populi christiani venit.

2. Iste consensus debet esse *certus, clarus et uniformis*, sicut de consensu Theologorum diximus. Eius obiectum sunt *dogmata*, quae vel in explicita fidelium cognitione versantur vel certe in publica et constante aliqua praxi et consuetudine vigent; in quaestionibus subtilioribus ad hunc consensum appellare non licet. <sup>2)</sup>

**Demonstratio 1.** Ex probatis (169 sq) Christus magister authenticum instituit eo fine, ut fideles in sana fide instituerentur. Per medium autem infallibile finis intentus infallibiliter obtinetur. Ergo veluti a priori certum est, in corpore fidelium semper rectam fidem vigere; eo vel magis, quia si qua pars haeresis peste inficiatur, iam pastores vi sui muneris eam a corpore abscindere tenentur.

2. In s. Scriptura Ecclesia *appellatur columna et firmamentum veritatis*, contra quam *portae inferi non praeval-*

<sup>1)</sup> Acta Ap. Sedis 1923, 309 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. Melch. Can. l. c. l. 4 c. 6 resp. ad 14.

*lebunt* (I. Tim. 3, 15; Matth. 16, 18). Atqui Ecclesia non solum constat ex pastoribus, sed etiam ex fidelibus; quemadmodum omnis societas non solum ex capite et magistratibus, sed etiam ex civibus constat. Et sicut vita, pulchritudo et sanitas corporis physici primario quidem a capite, secundario autem a reliquis membris pendet, ita etiam de Ecclesia, quae corpus Christi est, non habens maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi (Eph. 5, 23. 27), dici debet. Impossibile proinde est, ut corpus Ecclesiae seu totus coetus fidelium unquam a vera fide deficiat. Ergo consensus fidelium in dogmate fidei est criterium infallibile traditionis divinae (cf. Rom. 1, 5; 15, 18).

3. Idem Patres theoretice et practice docuerunt. Iuxta verba pulcherrima s. *Irenaei*<sup>1)</sup> tota doctrina apostolica «in Ecclesia a Spiritu sancto custoditur, quasi in vase bono eximium quoddam depositum invenescens et iuvenescere faciens ipsum vas»; et secundum *Tertulliani* dictum<sup>2)</sup> villicus Christi (i. e. Spiritus sanctus) «non sinit Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat». — Practice Patres passim in rebus fidei ad consensum fidelium provocarunt. Sic *Augustinus* ex consensu multitudinis adversus Pelagianos et eorum reliquias probat effectum Eucharistiae,<sup>3)</sup> effectum baptismi in parvulis,<sup>4)</sup> peccatum originale,<sup>5)</sup> necessitatem gratiae ad initium fidei et ad perseverandum.<sup>6)</sup> Cum conquestus esset Iulianus, quod contra pelagianam doctrinam tantummodo opponeretur «murmur» populi, ostendit *Augustinus*<sup>7)</sup> gravitatem huius testimonii. «Et ipse populus adversus vos propterea murmurat, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi... noverunt, quid cuique aetati in baptismo remittatur... Quasi parva sit istius veritatis assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo funda-

<sup>1)</sup> Adv. haer. l. 3 c. 24.

<sup>2)</sup> De praescr. n. 28.

<sup>3)</sup> De peccator. merit. et remiss. l. 1 n. 34.

<sup>4)</sup> Serm. 294 n. 14. 17.

<sup>5)</sup> Ibid. et Contr. Iulian. l. 1 n. 31 sq.

<sup>6)</sup> De dono persever. n. 63.

<sup>7)</sup> Contr. Iulian. l. c.

*mento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepat multitudo!»* Hinc ipsemet summus Pontifex *Pius IX.* tamquam proximam praeparationem ad dogmaticam definitionem immaculatae conceptionis B. M. V., inter cetera etiam postulavit ab episcopis orbis terrarum, ut ipsi indicarent, «quae esset suorum fidelium erga immaculatam Deiparae conceptionem pietas et devotio;» atque inter criteria divinae traditionis ab eodem Pontifice numeratur «singularis catholicorum antistitum ac fidelium conspiratio» (in Bulla „*Ineffabilis*”).<sup>1)</sup>

**Corollarium.** Ex dictis intelligitur etiam *natura* huius 193 criterii. **a.** Imprimis consensus praefatus fidelium non est tantum argumentum morale, sed *theologicum et infallibiliter certum traditionis*; quia promissiones divinae factae toti Ecclesiae irritarentur, si coetus fidelium in aliquam haerese[m] conspiraret. — **b.** Haec infallibilitas tamen non est *activa* sed *passiva*, quippe quae a magisterio authentico seu ab Ecclesia *docente* in Ecclesia *discente* producat[ur]. Quare non est simpliciter *immediata* sed *mediata*, utpote dependens ab organo huius magisterii. — **c.** Nihilominus secundum quid i. e. in ordine *logico* infallibilitas etiam Ecclesiae discentis *immediata* et *directa* dici potest; eo quod ab Apostolo non solum Ecclesia docens, sed Ecclesia *simpliciter*, cuius pars essentialis est Ecclesia discens, columna et firmamentum veritatis nuncupatur. — **d.** Hinc est, quod licet consensus fidelium a pastoribus producat[ur], nihilominus ex altera parte etiam pastores in suis definitionibus ad eum provocare (Augustinus II. cc.) eumque explorare (Pius IX. l. c.) non quidem *debent*, sed *utiliter possunt*. — **e.** Apparet denique, qua ratione quandoque sensus fidelium ipsis episcopis praeferr[er]i possit et debeat. Cum nempe unus vel etiam plures episcopi ab unione cum corpore, et praesertim cum capite pastorum se subducunt et a fide deficiunt, tunc communio cum plebe fidelium in unitate Ecclesiae persistente praeferr[en]da est communioni cum episcopis deficientibus. Hoc sensu interpretandum est celebre

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, thesi 12 II.

dictum *Hilarii*:<sup>1)</sup> «sanctiores sunt aures plebis, quam corda sacerdotum».

### CAPUT III.

#### De christianae revelationis perfectione et progressu.

194 Ostendimus, totam Christi revelationem ab Apostolis, quasi per manus traditam, ad nos usque incorrupte propagatam fuisse. Quaeritur ergo, an nullus amplius progressus revelationis fieri possit. — Quaestioni respondebimus, progressum falsum refutantes verumque exponentes ac defendentes.

*Errores* in hac materia ad duplicem classem reduci possunt. Prima *novas revelationes*, secunda antiqui dogmatis *immutationem vel evolutionem* docet.

1. Ad primam classem recensendi sunt antiqui haeretici, *Montanistae* et *Manichaei*, medio aevo *Fraticelli* et profitentes *Evangelium aeternum*, postea *Anabaptistae*, *Irvingiani*, *Swedenborgiani*, nostro tempore *Mormones* similesque sectarii. Oeconomia christiana enim iuxta istos haereticos non solum novis revelationibus augenda, sed per novam et abundantiorum effusionem Spiritus sancti in meliorem oeconomiam mutanda erat. Hinc distinguunt oeconomiam Patris in antiquo, Filii in novo testamento et Spiritus sancti in novissima epocha.<sup>2)</sup>

2. Quoad secundam classem commemorandus est *α) Güntherus*, qui docuit, revelationem christianam semper quidem identicam manere; eius vero sensum et intelligentiam ope philosophiae mutari posse. Ecclesiae definitiones iuxta hunc auctorem non sunt definitivae sed veluti provisoriae, quippe quae non veritatem simpliciter, sed relativam veritatem modumque intelligendi eo tempore aptissimum proponant. Ita concilium Ephesinum contra Nestorium definivit quidem, et infallibiliter definivit unionem humanae

<sup>1)</sup> Contr. Auxent. n. 6. Cf. Franzelin, thesi 12 Coroll.; Scheeben, Handbuch d. kath. Dogmatik Bd 1 S. 91 ff.

<sup>2)</sup> Cf. Coll. Lacens. t. 7 pg. 594 sqq, ubi commenta istorum sectariorum optime collecta et in compendium redacta reperies.

naturae cum Verbo, at intelligentiam huius unionis ex defectu Philosophiae nec dedit, nec dare potuit. Etiam concilium Tridentinum iuxta Güntherum nil aliud fecit, quam «quoddam interim». <sup>1)</sup> β) Praeprimis vero huc referendi sunt *Modernistae*. In eorum doctrinis enim, ut in Encycl. «Pascendi» dicitur, <sup>2)</sup> «fere caput est evolutio». Et sane, Modernismi fundamentum ac veluti *πρωτον ψεῦδος* est Agnosticimus, vi cuius Deus resque divinae et religiosae non sunt obiectum intellectus, qui ascendit ad ea quae supra se sunt; sed sunt obiectum sensus interni, qui experitur id quod in homine est et vivit. Tota religio est aliquid immanens homini ac quasi vitale (Erlebnis). Phaenomena vitalia autem in continuo fluxu sunt ac dependentia a variis circumstantiis aetatis, sexus, nationis, culturae etc. Unde etiam cum evolutione mentis perpetuo mutantur sensus religiosi viventes in homine, ipsaque dogmata, quae nihil aliud sunt quam symbola ac formulae sensus religiosi, sancitae ab Ecclesia. «Principium hic generale est: in religione, quae vivat, nihil variabile non esse atque idcirco variandum.» Fides, dogma, ecclesia, sacramenta, cultus, praesertim s. Scriptura «evolutionis teneri legibus debent». <sup>3)</sup>

Doctrina catholica reiicit omnem progressum religionis

<sup>1)</sup> Ita in Lydia (1852 S. 348 ff); Vorschule Bd 2 S. 259 ff (2. Aufl. Wien 1846) et alibi passim. Cf. Franzelin, l. c. thesi 25 III; Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 581 ff.

<sup>2)</sup> Denzinger 2094.

<sup>3)</sup> L. c. 2094. 2089. 2080; et Decr. «Lamentabili» error 60: «Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.» 61: «Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi, quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eundem sensum pro critico ac pro theologo.» 62: «Praecipui articuli Symboli Apostolici non eandem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.» Cf. etiam 63. 64. 65 (Denzinger 2060 sqq). — Modernistica theoria evolutionis religionis praecipuos antesignanos habuit: Sabatier, Esquisse d'une philosophie de la religion d'après la psychologie et l'histoire (Paris 1897); Loisy, Simples réflexions sur le Décret du Saint Office Lamentabili et sur l'Encycl. Pascendi (1908); Tyrell, Mediaevalism (1908).

sive per novas revelationes sive per transformationem dogmatis; admittit vero progressum per datae revelationis organicam explicationem, sicut puer idem homo manens crescit in virum perfectum. — In primo igitur articulo contra haereticos obiectivam *perfectionem* revelationis christianae, in secundo eius *explicationem organicam* demonstrabimus.

## ARTICULUS I.

### De obiectiva revelationis christianae perfectione.

195 **Thesis 48.** *Oeconomia christiana est perfectissima et novissima.*

1. Est *perfectissima*. Religionis christianae perfectionem iam contra incredulos evidenter demonstravimus (150 sqq). Iis autem, qui Evangelio credunt, eius perfectio sole clarior esse debet. Auctor et mediator salutis enim, quae per Evangelium nobis inauguratur, est *ipsum Verbum incarnatum*; pretium, quo salus comparatur, est valoris infiniti, scilicet *sanguis agni immaculati*; bona nobis collata pariter infinita sunt. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Ioan. 3, 16); et: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom. 8, 32). Inter haec dona est ipse *Spiritus sanctus, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum* (Tit. 3, 6). Quae maior igitur ingratitude simul et arrogantia esse potest, quam perfectiorem adhuc oeconomiam abundantiorumque effusionem Spiritus sancti expectare? Iam accepimus nedum abundantem, sed *superabundantem* effusionem (Eph. 1, 8).

2. Est *novissima*. Sequitur ex dictis et probatur expresse.

a. *Negative*. Huiusmodi enim nova oeconomia supernaturalis aliunde constare non posset quam positiva revelatione; quae tanto magis necessaria esset, quia etiam novum Testamentum prius multipliciter a Deo praedictum et praeparatum fuerat. Atqui praetensa ista tertia oeconomia nec praedicta nec praeparata fuit, nec tenuissimum eius vestigium in Scriptura aut traditione reperitur.

b. Immo *positive* excluditur. Nam oeconomia antiqui foederis ad oeconomiam novi semper exhibetur ut *imperfectum* ad *perfectum*, ut *mutabile* ad *stabile*. Hic est scopus totius epistolae Pauli ad Hebraeos (e. g. 7, 12. 24): *Translato enim sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat.. Hic autem eo, quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* (cf. 8, 5—13). Ex stabilitate ergo sacerdotii Christi ad stabilitatem oeconomiae christianae concludi debet. Idem docet Apostolus explicans prophetiam Aggaei: *Quod autem, adhuc semel, dicit, declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia* (Hebr. 12, 27. 28). Hinc novum testamentum opponit Paulus antiquo tamquam id «quod manet», ei «quod evacuatur» (II Cor. 3, 11); immo expresse oeconomiam christianam *novissimam* esse docet. Facta est enim *in plenitudine temporis* (Gal. 4, 4); *in novissimis diebus* (Act. 2, 17; Hebr. 1, 2; I Petr. 1, 20); eique non succedit alia oeconomia, sed adventus Christi ad iudicium et consummatio saeculi (II Thess. 2, 2; I Cor. 13, 12. 13; II Cor. 5, 7).

c. Omissis Patribus, qui commenta Montanistarum et Manichaeorum indignabundi reiecerunt, profero adhuc argumentum s. *Thomae* ex analogia fidei petitum:<sup>1)</sup> «Nihil potest esse propinquius fini ultimo, quam quod immediate in finem ultimum inducit; hoc autem facit nova lex; unde Apostolus dicit ad Hebr. 10, 19 sqq: *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit viam novam, accedamus*; unde non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae, quam status novae legis: quia tanto est unumquodque perfectius, quanto est ultimo fini propinquius».

**Obiectio.** Lex vetus fuit Patris, lex nova Filii, ergo succedere debet lex novissima Spiritus sancti. — Resp. cum s. *Thoma* (l. c.): «Lex vetus non solum fuit Patris sed etiam Filii, quia Christus in vetere lege figurabatur; unde Dominus dicit (Ioan. 5): Si crederetis Moysi, crederetis

<sup>1)</sup> Summ. p. 1, 2 q. 106 a 4.

forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Similiter etiam lex nova non solum est Christi, sed etiam Spiritus sancti secundum illud (Rom. 8): Lex Spiritus vitae in Christo Iesu etc. Unde non est exspectanda alia lex, quae sit Spiritus sancti».

197 **Thesis 49.** *Nulla post mortem Apostolorum novi dogmatis revelatio data fuit aut exspectanda est.*

Non loquimur in thesi nostra de revelationibus *privatis*, sed loquimur de revelatione, quae toti Ecclesiae datur et ab omnibus fide divina catholica credenda est. Hanc per Christum eiusque Apostolos ita completam esse asserimus, ut post eorum mortem nulla amplius data fuerit, exspectanda in posterum nulla.

Prob. 1. ex perfectione christianae revelationis. Sicut enim Christus erat plenus gratiae, ita etiam plenus *veritatis* (Ioan. 1, 14). Ipse promissus est tamquam magnus propheta, per quem omnes gentes *plenam* scientiam salutis consecuturæ essent; ipse magister simpliciter, qui legem implevit et praeter quem neminem alium agnoscere licet.<sup>1)</sup>

2. Ex s. Scriptura, quae clare distinguit inter *munus Apostolorum* et eorum *successorum*. Quamvis enim vi promissionum Christi charisma infallibilis doctoratus etiam in successores Apostolorum transire debuerit (170), illud tamen non receperunt ad fundandam fidem christianam, sed ad *conservandum* et propagandum depositum fidei. Quare iubentur «permanere in iis, quae didicerunt et credita sunt illis», «bonum depositum custodire», «formam habere sanorum verborum, quae ab Apostolis audierant in fide» (II Tim. 1, 13 sq; 2, 2; 3, 14; cf. Rom. 16, 17). Ex his et similibus locis merito concluditur, munus revelandi exclusive ad Apostolos, non vero ad eorum successores spectare.

3. Eadem semper fuit persuasio antiquitatis. Nam

a. fides Ecclesiae et fides *apostolica* semper ut identica habebatur; quod non verificaretur, si post Apostolos novae revelationes factae fuissent. *Irenaeus* ait:<sup>2)</sup> «Vera cognitio Apostolorum doctrina est et antiquus Ecclesiae status». Et

<sup>1)</sup> Cf. Deut. 18, 15 sqq; Is. 11, 9; 2, 2; 9, 2; Matth. 23, 8; 5, 17. Cf. Lugo, De fide disp. 3 sect. 5 n.º 68 sqq.

<sup>2)</sup> Adv. haeres. l. 4 c. 33 n. 8.

*Athanasius*:<sup>1)</sup> «De fide nequaquam dixere (Patres Nicaeni): *decretum est*, sed: *sic credit catholica Ecclesia*;... ut declararent, non recentiore, sed apostolicam esse suam sententiam». — **b.** Antiquitas i. e. *apostolicitas* semper ut character veritatis, novitas ut signum haeresis reputabatur: «Id verius, quod prius, id prius, quod et ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis;»<sup>2)</sup> et «nihil innovetur, nisi quod traditum est;»<sup>3)</sup> et «desinat incessere novitas vetustatem.»<sup>4)</sup> — **c.** Hinc successores Apostolorum sunt *custodes* depositi, cui nihil addere, nihil demere licet. Iuxta s. *Barnabam*<sup>5)</sup> «regula lucis est:... custodi quae accepisti, neque addens quidquam neque detrahens». Et *Irenaeus*:<sup>6)</sup> «Neque is, qui multum de fide potest dicere, ampliat, neque is, qui minus, deminorat.» — **d.** Est igitur testibus *Vincentio*:<sup>7)</sup> «coeleste dogma, quod semel revelatum esse sufficiat», et *Tertulliano*:<sup>8)</sup> «hoc prius credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus».

4. Concilium *Vaticanum* docet (Const. dogm. de Ecclesia c. 4)<sup>9)</sup>. «Neque enim Petri successoribus Spiritus sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum *sancte custodirent et fideliter exponerent*.» Quod autem de Pontificis magisterio valet, a fortiore de episcopis dicendum erit.<sup>10)</sup>

**Corollarium.** Revelationes et prophetiae, quae post 198 mortem Apostolorum in Ecclesia factae sunt et adhuc fient, sunt *privatae* atque ad depositum fidei non pertinent, nec per se et directe ad dogmatum explicationem inserviunt. Fides talibus revelationibus adhibenda numquam est fides catholica, licet ab iis, qui evidentia motiva talis revelationis

1) Ep. de synod. Arim. n. 5.

2) Tertull., Contr. Marc. l. 4 c. 5.

3) Cypr., Ep. 74.

4) Coelestin. Pont., Ep. 21 ad episc. Galliae n. 2.

5) Ep. n. 19.

6) L. 1 c. 10 n. 2.

7) Commonit. n. 26.

8) De praescr. c. 8 sq.

9) Denzinger 1836.

10) Cf. Decr. «Lamentabili» error 21 (Denzinger 2021).

acceperunt, credi possint fide *divina* ac debeant. Approbatio autem Ecclesiae, quae talibus revelationibus aliquando datur, non eo spectat, ut fideles ad eas credendas obligentur; sed ut declaretur:  $\alpha$ ) nihil in eis fidei et bonis moribus contrarium reperiri;  $\beta$ ) eas prudenter fide *humana* credi et ad aedificationem legi posse;  $\gamma$ ) nec easdem post iudicium Ecclesiae contemnere fas esse.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### De organica revelationis christianae explicatione.

199 **Thesis 50.** *Quamvis morte Apostolorum conclusa fuerit revelatio catholica, nihilominus verus aliquis profectus non solum in fide subiectiva fidelium, sed etiam in obiectiva revelationis explicatione et propositione admitti debet.*

Prob. 1. velut a priore ex quadam *analogia*. Si enim omnes scientiae humanae capaces sunt profectus et quidem eo maioris, quo profundiores et fecundiores veritates in ea continentur; quanto magis id de scientia fidei, quae mysteria profundissima simul et fecundissima tam pro speculatione quam pro vita practica complectitur, praesumendum erit? Veritates et maxime veritates revelatae non sunt thesaurus materialis; sed aliquid vivum instar seminum, quae menti insita vel mox emoriuntur, vel radices agunt et crescunt. Quod Christus generatim de regno Dei (Matth. 13, 31. 33) dicit, applicari etiam potest ad verbum Dei: *simile est grano sinapis*, quod in arborem magnam excrescit; iterum *simile est fermento*, quod paulatim intelligentias humanas fermentat.

2. Probatur ex natura revelationis. Duplex enim genus veritatum in deposito fidei cum s. *Thoma*<sup>2)</sup> omnino distinguere debemus: aliquas, «de quibus *est fides secundum se*», quae nimirum «directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut sunt tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis et alia huiusmodi». Aliae veritates sunt, de quibus non est fides secundum se, «*sed solum in ordine ad alia*»; scilicet quae inserviunt ad «praedictorum manifestationem».

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, thesi 22 Coroll.

<sup>2)</sup> P. 2, 2 q. 1 a. 6 ad 1; cf. a. 8.

Atqui est plane evidens, non eandem esse necessitatem cognitionis et praedicationis quoad veritates primi et secundi generis. Ea enim, quae directe hominem ad salutem ordinant, ab omnibus explicite credi ideoque omnibus praedicari debent. Veritates autem aliae, quae non propter se, sed «ad praedictorum manifestationem» revelatae sunt, profecto non debent nec etiam possunt ab omnibus etiam rudibus fidelibus explicite cognosci, sed sufficit ut implicite credantur; quatenus unusquisque omne id, quod revelatum est, saltem generatim et confuse credere tenetur. Hoc ipso autem iam concipitur, quod in thesi asserimus, modum obiectivum scilicet explicandi et proponendi veritates revelatas non semper identicum esse, sed profectum admitti posse et debere.

3. Idem colligitur ex s. Scriptura. Sic Paulus identidem distinguit inter *lac* doctrinae pro parvulis et solidum *cibum* pro perfectis; inter *fundamentum* et *elementa* exordii sermonum Dei de poenitentia, baptismo et impositione manuum, de resurrectione mortuorum et iudicio aeterno etc. ex una parte; et inter *sapientiam*, quam loquitur Apostolus inter perfectos et cum iis, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali ex altera parte (Hebr. 5, 11 sqq; 6, 1 sq; I Cor. 2, 2 sq; 3, 1 sq; I Thess. 3, 10). Ex his iterum clare colligitur, haberi diversitatem et profectum non solum in intelligentia revelationis ex parte fidelium, sed etiam in obiectiva eiusdem propositione per magisterium authenticum.

4. Denique hunc profectum evidenter testatur historia ecclesiastica. Ad quid enim aliud respiciebant Patres in suis scriptis, Theologi in suis disquisitionibus, concilia in suis definitionibus, nisi ad depositi fidei explicationem et defensionem? «Quid unquam aliud, interrogat *Vincentius Lir.*, conciliorum decretis enisa est (Ecclesia), nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur?»<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Commonit. n. 32.

200 **Thesis 51.** *Praefata revelationis explicatio non consistit in immutatione vel evolutione sensus dogmatum, ut docet Güntherus ac Modernismus; sed reponenda est in eo, ut veritates revelatae per doctores authenticos aptis formulis circumscribantur, exponantur, definiantur ac praedicentur.*

Thesin in tres partes resolvimus.

Pars 1. *Revelationis progressus non consistit in immutatione aut evolutione dogmatum.*

De fide ex conc. Vaticano (Sess. III de fide et rat. can. 3)<sup>1)</sup>. «*Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia: anathema sit.*» In capite vero 4. docet concilium: «*Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.*» — Quamvis haec definitio directe Güntheri doctrinam tangat, a fortiore tamen Modernismus proscribit, quippe qui evolutionem dogmatum non solum a scientia, sed etiam ab immanentia (194) dependentem faciat. — Et sane utrumque:

1. Repugnat cum natura revelationis, quae est doctrina *divinitus tradita*; non inventum philosophicum, multoque minus «*quaedam forma vitae vel cordis exigentia et impulsio*»,<sup>2)</sup> vel «*creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae.*»<sup>3)</sup> Atqui doctrina tradita divinitus tam immutabilis est, ac veritas ipsa. Mutaretur autem, si dogmata sensum mutarent. Revera Modernismus non est amplius religio christiana, sed eius larva;<sup>4)</sup> Güntherus quoque explicatione, quam de unitate in trinitate divina, de unione hypostatica

<sup>1)</sup> Denzinger 1818 cf. 1800.

<sup>2)</sup> Encycl. *Pascendi* (Denzinger 2074).

<sup>3)</sup> Denzinger 2145.

<sup>4)</sup> Ibid. 2088 et alibi passim.

in Christo etc. exhibet, ipsa dogmata mutavit, ut in Dogmatica speciali ostenditur.<sup>1)</sup>

2. Sicut revelatio fuit divinitus tradita, ita etiam divinitus est *conservanda*. Ad quem finem Christus instituit magisterium infallibile Apostolorum eorumque successorum. Theoria Güntheriana autem, quae magistros infallibiles subordinat fallibilibus philosophis, multoque magis theoria modernistica pervertit ordinem ac magisterium divinitus institutum negat.

Pars 2. *Variae formae progressus dogmatum indiguntur.* 201

1. *Ea, quae iam explicite credebantur, aptis formulis circumscribuntur et definiuntur.*

Ex dictis illae veritates, quae hominem per se ad salutem ordinant, semper *explicite* credebantur; quo praesertim pertinent dogmata fundamentalia de Trinitate et incarnatione. Nihilominus etiam circa has veritates aliquis profectus fuit in eo consistens, ut aptioribus nominibus et formulis exprimerentur (e. g. *οὐσία, τριάς, ὑπόστασις, ὁμοούσιος* etc.); ut contra haereticorum errores sensus dogmatum accurate definiretur (canones, anathematismi, professiones fidei); ut denique eorum intelligentia etiam ope analogiae fidei et rationis et solutione quaestionum connexarum promoveretur. Quis dixerit, in libris, quos Augustinus, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Thomas etc. de ss. Trinitate scripserunt, nullum profectum reperiri?

2. *Ea, quae implicite credebantur, successu temporis exponuntur et diserte praedicantur.*<sup>2)</sup> 202

Variis modis implicite aliquid credi potest: **a.** Ut contentum in obiecto *formali*, quod est auctoritas Dei revelantis, propter quam creditur, quidquid Deus vel revelavit vel revelaturus est. Hoc modo iam in V. T. credebantur Trinitas et omnia dogmata, quae aliquando revelanda erant. De tali progressu per novas revelationes ex dictis (197) in N. T. nullus sermo esse potest. **b.** Credi aliquid implicite potest, quia in obiecto *materiali*, quod scitur et creditur, nonnulla inclusa sunt, quae non sciuntur explicite. Sic credens defi-

<sup>1)</sup> Consule meam Theol. dogmat. spec. n. 105. 156. 207. 213.

<sup>2)</sup> Cf. Franzelin, thesi 23.

nitum credit implicite omnes definitionis partes, credens propositionem universalem credit omnes particulares sub ea comprehensas, credens propositionem complexam credit singulas eius partes. c. *Denique etiam in practico usu et consuetudine* varia dogmata includuntur. Vita namque Ecclesiae in sua liturgia, suis legibus et consuetudinibus innititur fidei Ecclesiae, et propterea est tacitum quoddam et practicum symbolum, ex quo varia dogmata erui et illustrari possunt.

Hac declaratione praemissa progressus revelationis, quem in hoc puncto enuntiavimus, tam natura rei quam exemplis ex historia ecclesiastica petitis evidenter probatur. Sic in veritate *universali* de necessitate gratiae ad omne opus salutare, quae semper explicite credebatur, includebatur et exsurgentibus Semipelagianis enucleabatur expresseque proponebatur veritas particularis de necessitate gratiae etiam ad *initium fidei*. In dogmate *complexo*: Christus est Deus-homo multa continentur elementa constituentia, e. g. Christus habet carnem et animam humanam, habet duas naturas, duas voluntates, unam tantum subsistentiam eamque divinam etc.; quae omnia successu temporis, data occasione, evolvebantur et explicite definiebantur. Idem valet de dogmate immaculae conceptionis B. V. Mariae, quod in dogmate de plenitudine gratiae tamquam nota constituens continetur et cum dogmate maternitatis divinae intimo nexu cohaeret. Unde evenit, ut successu temporis fides implicita in explicitam professionem immaculae conceptionis Virginis Mariae transiret. Demum in dogmate de valore baptismi haereticorum exemplum habes, quomodo doctrina revelata aliquamdiu magis *usu* et *praxi*, quam theoretica et distincta propositione tenebatur. Usque ad tempora Agrippini enim (saec. 3) Ecclesia baptismata ab haereticis collata practice ut valida agnovit; postea vero, cum a nonnullis dubium desuper moveretur, etiam theoretice hoc declaravit.

Plerumque huic progressui occasionem dederunt haeretici, ut s. *Augustinus* dicit:<sup>1)</sup> «Ex haereticis asserta est Catholica, et ex his, qui male sentiunt, probati sunt, qui bene sentiunt. Multa enim *latebant in Scripturis*, et cum

<sup>1)</sup> In Ps. 54 n. 22.

praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei: *aperta sunt, quae latebant*, et intellecta est voluntas Dei».

3. *Ea, quae aliquando in ecclesiis particularibus obscurata et a nonnullis doctoribus catholicis in dubium vocata vel omnino negata sunt, definiuntur.* 203

a. Certum est, nunquam doctrinam revelatam in universa Ecclesia obscurari multoque minus eam negari posse; alioquin Ecclesia non esset amplius columna et firmamentum veritatis. Hinc merito proscripta est prop. 1 synodi *Pistoriensis*: «Postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi».<sup>1)</sup> At non minus certum est, quod enuntiavimus, scilicet in aliquibus ecclesiis veritatem aliquam revelatam in dubium vocari, immo etiam a nonnullis episcopis negari posse, quin tales ecclesiae vel episcopi catholici esse desinant. Id possibile esse a priori liquet, quia infallibilitas non dabatur ecclesiis particularibus et episcopis seorsim spectatis; unde bona fide errare possunt. A posteriore vero id revera contigisse, evidenter demonstrat historia ecclesiastica. Sic s. Cyprianus alique complures episcopi per aliquod tempus dubitaverunt, immo et negaverunt, validum esse baptismum ab haeticis collatum; et nihilominus ante definitivam sententiam Ecclesiae in communione ecclesiastica perstiterunt. Idem dic de necessitate gratiae ad initium fidei, quae aliquando etiam a viris sanctis in dubium vocabatur; de infallibilitate R. Pontificis, de immaculata conceptione B. V. Mariae, ac de aliis veritatibus fidei, circa quas in particularibus ecclesiis et in scholis catholicis aliquamdiu fluctuationes et controversiae exortae sunt. — Quaero iam: An nullus fuit progressus religiosus, cum tandem istae controversiae solemniter decisaе sunt, et dogma catholicum plena luce omnibus ad credendum propositum est? Sane fuit, et haud exiguus.

b. Ut hoc punctum simul cum prioribus amplius declaretur, adverte, dogmata dupliciter considerari posse: *in se* et *quoad nos*. Dogma in se est omnis veritas, quae in revela-

<sup>1)</sup> Denzinger 1501.

tione continetur; dogma quoad nos est veritas a Deo revelata, quae ut talis ab Ecclesia credenda proponitur.<sup>1)</sup> Dogmata in se considerata nec mutari, nec augeri possunt, eo quod revelatio divina morte Apostolorum conclusa est (197). Dogmata quoad nos, ut ex considerationibus hucusque factis apparet, non quidem mutari, utique vero explicari eorumque numerus augeri potest. Sub hoc igitur respectu merito de *historia* dogmatum loquimur.

Porro in evolutione historica nonnullorum saltem dogmatum *triplex* stadium evidenter discernere licet. Primum stadium est, cum aliqua veritas revelata *implicite* tantum creditur, sive quia in alio dogmate inclusa est, sive quia continetur in usu practico Ecclesiae. Varia huiusmodi exempla iam exhibuimus (202). Secundum stadium est, cum in *aliqua parte Ecclesiae dubium* desuper exoritur ac «res alterationum nebulis» involvitur. Tertium stadium est, cum res «diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus pertractata et collationibus episcoporum constat», ac tandem veritas «non solum inventa est, sed etiam *ad plenarii concilii auctoritatem roburque perducta*».<sup>2)</sup> Qui abhinc talem veritatem, vel per concilium vel ordinario magisterio Ecclesiae definitam negabat, iam *catholicus* esse desinebat. Unde *Vincentius Lir.* quoad errorem rebaptizantium exclamat:<sup>3)</sup> «Et, o rerum mira conversio! Auctores eiusdem opinionis catholici, consecratores vero

---

<sup>1)</sup> Cf. Lugo, De fide disp. 1 sect. 13 § 1 n. 271; Kleutgen l. c. n. 593. «Fidei quaestiones, inquit Melchior Canus, (De loc. theol. l. 12 c. 14 resp. ad 1) duobus modis interpretari possumus, et ex natura sua et quoad nos. Ex natura sua illa fidei quaestio est, quae est a Deo Ecclesiae revelata, quamvis a plerisque ignoretur. Ut Spiritum a Patre Filioque procedere, ipse Spiritus Apostolis revelavit; item animas sanctorum, statim ut a corpore exierint, videre Deum. De quibus licuit olim varie sentire, et sine fidei discrimine aut affirmare aut negare, cum neutra res scilicet erat ab Ecclesia plane definita. Ita quoad nos non semper fidei quaestiones illae sunt habitae; sed salva fide viri quidam docti contrariam sententiam tenuerunt.»

<sup>2)</sup> August., De bapt. l. 2 n. 5 et 12—14.

<sup>3)</sup> Commonit. n. 11.

haeretici iudicantur: absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet.»

Pars 3. *Causa efficiens projectus religionis christianae* 204  
*est illud ipsum magisterium authenticum, cui una cum custodia depositi fidei etiam doctoratus infallibilis collatus est.*

Non loquimur de causa *invisibili*, quae est ipse Spiritus sanctus, qui inducit Ecclesiam in omnem veritatem. Neque loquimur de causis *subsidiariis*, ad quas praeprimis scientia philosophica ac theologica et in concreto doctores scholae recenseri debent; sed loquimur de *causa principali visibili* progressus fidei. Et hanc esse dicimus successores Apostolorum, qui non solum infallibiles fidei custodes, sed etiam infallibiles fidei *doctores* sunt. Sane:

1. Fidei depositum non est collectio formularum, quas integras incorruptasque custodire sufficit; sed est thesaurus veritatum, quae infallibiliter praedicari, explicari, defendi etc. debent. Ad hoc autem requiritur *doctoratus infallibilis*. Successoribus Apostolorum ergo seu episcopis, quibus infallibilis depositi fidei custodia tradita est, etiam doctoratus infallibilis collatus fuit.

2. Christus Apostolis eorumque successoribus praecepit *docere* seu *discipulos* facere (*μαθητεύσατε*) omnes gentes. Sed «docere», «discipulus» et «doctor» sunt conceptus reciproci. Item Paulus expresse munus pastorum cum munere coniungit *doctorum*, quos Deus posuit eum in finem, ut «*occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei... ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*» (Eph. 4, 13. 14). Timotheo autem tamquam instrumentum ad custodiam depositi tradit s. Scripturam: *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*; eumque iubet *recte tractare verbum veritatis*, et attendere *lectioni et doctrinae* (II Tim. 3, 14—17; 2, 15; I Tim. 4, 13—16). Haec autem omnia *doctori* congruunt. Ergo successores Apostolorum non solum custodes, sed etiam doctores fidei infallibiles sunt; immo ideo custodes, quia et doctores. Non enim sunt haec duo munera distincta, sed unum idemque munus; non enim in

membranis, sed in cordibus fidelium ope praedicationis et doctrinae custodiuntur veritates revelatae.

3. Persuasionem Ecclesiae signanter exprimit *Irenaeus*<sup>1)</sup> provocans ad charismata Domini, per quae «Scripturas sine periculo nobis exponunt ii, apud quos est ab Apostolis Ecclesiae successio»; et *Augustinus*<sup>2)</sup> docens, ipsum Dominum, Ecclesiae inhabitatorem, efficere, ne «eat in errorem quemlibet studiosissima speculatio». Iuxta concilium *Vaticanum* (de fid. cap. 4)<sup>3)</sup> fidei doctrina tradita est Ecclesiae «fideliter custodienda et infallibiliter *declaranda*». Declaratio doctrinae autem est munus doctoris. Ergo ex mente concilii Ecclesia possidet doctoratum infallibilem. Practice vero omnia concilia hunc doctoratum sibi adscripserunt.

Quae quamvis ita sint, tamen promissum et ordinarium charisma Spiritus veritatis non includit novam revelationem, sed assistentiam et directionem Spiritus sancti (197, 4). Elementum ergo humanum inquisitionis, industriae, doctrinae acquisitae minime excluditur, sed supponitur.<sup>4)</sup>

Concludimus ergo cum *Vincentio Lir.*:<sup>5)</sup> «Quodcunque in hac Ecclesiae Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa caelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncantur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.»

205 **Obiectio 1.** Non est admittendus progressus *scientificus* dogmatum. Ecclesia enim in definitionibus dogmaticis insistit principio, quod iam Stephanus Papa opposuerat Cypriano: «nihil innovetur, nisi quod *traditum* est». Quare

<sup>1)</sup> Adv. haeres. l. 4 c. 26 n. 5.

<sup>2)</sup> In Ps. 9 n. 12.

<sup>3)</sup> Denzinger 1800.

<sup>4)</sup> Cf. Franzelin l. c. pg. 258, qui optime distinguit tria, *occasionem, praeparationem, ultimam conclusionem* explicationis, clarioris propositionis, strictioris definitionis dogmatum.

<sup>5)</sup> Commonit. n. 30.

his definitionibus semper praemittitur inquisitio, utrum aliquod dogma in traditione contineatur, nec ne. Talis modus agendi autem dogmatum progressum, praesertim scientificum, certe excludit. — Resp. Nego, totum negotium in declaratione dogmatum restringi ad inquisitionem, utrum doctrina aliqua in traditione contineatur, nec ne. Si enim acta conciliorum inspiciuntur, statim apparet, disquisitiones conciliares, quae definitionibus praemittuntur, duplici via procedere: *historica*, ut documenta traditionis conquirantur, et *scientifica*, ut sensus verbi Dei scripti et traditi eruatur, determinetur et legitimae consequentiae ope ratiocinii inde deducantur. Ergo verus progressus, isque scientificus dogmatum, ex ipsis actis conciliorum elucet. Quare argumentum adversariorum retorqueri potest.

**Obiectio 2.** Si ita est, progressus dogmatum erit mere *rationalis* seu philosophicus, scientiae humanae, non magisterio authentico adscribendus. — Resp. Nego consequentiam. Licet enim tam inquisitiones historicae, quam deductiones scientificae, quae in conciliis instituuntur, a ratione humana fiant: tamen  $\alpha$ ) Spiritus sanctus est, qui doctores authenticos, nimirum successores Apostolorum, charismate veritatis instruit ac dirigit, ne in *errorem* abeat etiam studiosissima speculatio (Augustinus).  $\beta$ ) Hoc idem charisma Spiritus sancti efficit etiam, ut definitiones, quae ex disquisitionibus conciliaribus resultant, non solum morali sed *infallibili certitudine* gaudeant. Ergo progressus dogmatum non est mere philosophicus.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 613 ff; et praesertim Billot, De immutabilitate Traditionis contra modernam haeresim Evolutionismi (ed. 2 Romae 1907).

# TRACTATUS III.

## DE SACRA SCRIPTURA.

Franzelin, De divina Traditione et Scriptura, ed. 3. Romae 1882.

Schmid Fr., De inspirationis Bibliorum vi et ratione, Brinxinae 1885.

Billot, De inspiratione Sacrae Scripturae, Romae 1903.

Pesch Christian S. J., De inspiratione s. Scripturae, Friburgi Br. 1906 et Supplementum, Friburgi Br. 1926.

Van Laak, De sacrae Scripturae inspiratione atque inerrantia 1910.

Dorsch Aem. S. J., De inspiratione S. Scripturae, Oeniponte 1912 ed. 2. 1927.

Legatur etiam serioque pensetur *Encyclica Leonis XIII.*, Providentissimus Deus dd. 13. Nov. 1893;<sup>1)</sup> itemque *Encyclica Benedicti XV.*, Spiritus Paraclitus dd. 15. Sept. 1920.

---

### Prolegomena.

- 206      1. *Notio. Scriptura sacra* sensu latissimo quivis liber dici potest, qui de Deo et de rebus sacris tractat, praesertim si singulari unctione et veracitate gaudet, e. g. catechismus, scripta sanctorum, liber de imitatione Christi etc. Sensu magis proprio hoc praedicatum competit libris, qui doc-

---

<sup>1)</sup> Cum ista Encyclica, etsi fortasse non formalis definitio ex cathedra, certe tamen summae auctoritatis sit, quam sincero catholico negligere non licet, eius doctrinam de inspiratione Scripturae tractantem hic transcribimus. «Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et

trinam sacram infallibiliter continent, puta bullaria Pontificum, acta conciliorum. *Simpliciter* vero et *per eminentiam* sacra Scriptura est et appellatur *illa collectio librorum, qui Spiritu sancto inspirante conscripti, Deum auctorem habent*

canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in concilio Vaticano, a quo absolute edictum: ‚Veteris et Novi testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem concilii (Tridentini) decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem.‘ Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere Ss. Patres. ‚Itaque, ait Augustinus, quum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt‘; pronuniatque s. Gregorius M.: ‚Quis haec scripserit, valde supervacaneae quaeritur, quum tamen auctor libri Spiritus s. fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit‘. Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimis, Libros eos et integros et per partes a divino aequae esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse.

*atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.* Definitionis rectitudo colligitur ex concilio Tridentino (Sess. IV Decr. de can. Script.),<sup>1)</sup> et ex Vaticano (Sess. III cap. 2 de revel.);<sup>2)</sup> eius veritas ontologica ex decursu tractationis patebit. Isti libri vocantur etiam ss. *litterae, biblia, verbum Dei scriptum* (ἡ γραφή, γραφαὶ ἅγιοι, ἱερὰ γράμματα)<sup>3)</sup>; praesertim appellantur *Scriptura sacra* seu *canonica*. Canon (κανὼν) enim tam *catalogum* quam certam *normam* significat. Utraque autem significatio in s. Scripturam optime quadrat, tum quia libri in ea contenti inviolabilem catalogum constituunt, cui alios libros inserere non licet; tum quia infallibilem normam fidei et morum exhibent.<sup>4)</sup>

Canon s. Scripturae *septuaginta duos* libros continet, *quadraginta quinque veteris, viginti septem novi testamenti*. Libri V. T. dividuntur in *Legem, Prophetas* et *Hagiographa*. Totum V. T. aliquando per synecdochen vocatur *Lex*, totum N. T. *Evangelium*. Nota est etiam divisio Scripturae in libros *protocanonicos* et *deuterocanonicos*, quae distinctio non est dogmatica, sed historica. Nam isti et illi eandem habent auctoritatem, licet aliquamdiu in ecclesiis particularibus de eorum auctoritate dubitatum fuerit.<sup>5)</sup>

207      2. *Existentia* talis collectionis librorum sub nomine s. Scripturae penes Iudaeos et Christianos est factum tam illustre, ut nec demonstratione indigeat nec a quopiam, sub

<sup>1)</sup> Denzinger 783.

<sup>2)</sup> Ibid. 1787.

<sup>3)</sup> Rom. 1, 2; Ioan. 2, 22; II Tim. 3, 15.

<sup>4)</sup> Cf. Hieron., Adv. Rufin. l. 2 n. 26; August., De doctrina christ. c. 8 n. 12; De civit. Dei l. 11 c. 3; Kaulen-Hoberg, Einleitung in die hl. Schrift n. 3. — Nonnulli distinguere volunt inter enumerata epitheta, quasi liber *canonicus* non sit idem ac liber *sacer* seu *inspiratus*. Sed eiusmodi distinctio aliena est a doctrina catholica, ut merito observat ep. Gasser in relatione ad cap. 2 schem. conc. Vatic. (Coll. Lacens. pg. 138); semper enim haec ut identica habebantur. Sic in conc. Carthag. III (art. 47) dicitur: «Placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae» etc. Mansi t. 3. pg. 891.

<sup>5)</sup> Cf. Thom. in I Cor. 1 lect. 1; Sum. th. 2, 2 q. 174 a 2 ad 3. Cf. Cornely, Compendium introductionis in s. Scripturas § 1 et 2 (ed. 6 Paris. 1909); Kaulen-Hoberg, l. c. n. 29. 31. 42.

his saltem terminis, in dubium vocatum fuerit. Iudaeos enim et Christianos hodie huiusmodi libris uti, oculis cernimus; de saeculis elapsis historia clamat.

3. S. Scriptura iam ratione humana considerata maximum valorem habet et haud immerito regina literaturae mundi vocatur. At praeter auctoritatem historicam et valorem aestheticum libri sacri potissimum eminent auctoritate divina, quam per inspirationem adepti sunt. Ista auctoritas divina in tractatu dogmatico consideratur. De auctoritate historica quantum pro scopo nostro sufficit, iam egimus (106, 112 sqq.); ex professo biblici de illa tractant.

His praemissis tractatum quatuor capitibus absolvemus, quae agent  $\alpha$ ) de s. Scripturae *auctoritate*,  $\beta$ ) de *canone*,  $\gamma$ ) de *versione vulgata*, ac  $\delta$ ) de *interpretatione*.

## CAPUT I.

### De auctoritate divina s. Scripturae.

Ex duplici capite alicui libro auctoritas divina inesse 208 potest:  $\alpha$ ) Ratione *assistentiae* vel *approbationis* divinae, vi cuius auctor in conscriptione ab omni errore praeservatur, vel talis liber tamquam *infallibilis* divinitus declaratur.  $\beta$ ) Ratione *originis* seu *inspirationis divinae*, vi cuius aliquis liber ipsum Deum auctorem habet. Liquet, magnum inter haec duo discrimen intercedere. Non omnis scriptura enim, quae inerrantia gaudet, necessario Deum auctorem habet; quia ad hoc sola assistentia vel subsequens approbatio divina sufficit. Profecto, conciliorum decreta infallibilitate gaudent et tamen inspirata non sunt. — Quo posito sacrae Scripturae adserimus auctoritatem divinam utroque sensu, quatenus nimirum non solum ab omni errore divinitus praeservata, sed ab ipso Deo inspirata fuit.

Erant, qui inspirationem divinam sacrorum librorum *omnino negarent*, ut praeter Ebionitas, Marcionitas, Armianios aliosque praesertim *Rationalistae*; contra quos factum inspirationis demonstrabimus. Deinde erant etiam inter catholicos, qui factum inspirationis concederent, sed inspirationem restringerent ad res fidei et morum, res

doctrinales, res religiosas aut res principales; quibuscum de *extensione* inspirationis nobis disputandum erit. Denique erant, qui rectam notionem inspirationis perverterent, aut eam nimis extenuantes aut nimis etiam ad verba materialia extendentes; contra quos veram *naturam* inspirationis explicabimus.

## ARTICULUS I.

### De sacrae Scripturae inspiratione.

209 Nomine *inspirationis* in praesente talem influxum divinum in librum aliquem intelligimus, vi cuius Deus libri *auctor* censi debet. Hoc sensu generali universam Scripturam esse inspiratam, Catholicus nec negat nec negare potest, cum sit dogma definitum; at dubitatur a nonnullis, quousque se extendat inspiratio, utrum ad res fidei et morum tantum atque ad partes maiores Scripturae, an etiam ad res profanas omnesque textus eiusdem. Probabimus igitur  $\alpha$ ) universae Scripturae inspirationem generatim,  $\beta$ ) eius ad singulos textus extensionem. Advertimus tamen, sermonem esse de textu *authentico*, i. e. de originali et de legitima eius versione, non de versionibus editionibusque quibuscunque. Praeterea de libris s. Scripturae *generatim* loquimur, non de hoc vel illo libro e. g. Tobiae, Apocalypsis; praescindimus enim in praesente a quaestione, an talis liber ad Scripturam pertineat.

210 **Thesis 52.** *Dogma catholicum est, integram s. Scripturam cum omnibus suis partibus, Spiritu sancto inspirante conscriptam, Deum habere auctorem.*

Dogma enuntiaturum tradit *Vaticanum* (Sess. III cap. 2)<sup>1)</sup> his verbis: «Eos (scil. libros V. et N. T. integros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.» Eadem veritas iam in aliis conciliis declarata fuerat. Concilium *Tridenti-*

<sup>1)</sup> Denzinger 1787.

*num* enim (Sess. IV)<sup>1)</sup> «omnes libros tam V. quam N. T., cum utriusque unus Deus sit auctor . . . suscipit et veneratur». Concilium *Florentinum* (Decr. pro Iacob.)<sup>2)</sup>: «unum atque eundem Deum V. et N. T. . . . *profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt*». Immo iam in professione fidei ordinandis episcopis praescripta in conc. *Carthaginensi IV.*, in professione fidei a *Leone IX.* missa ad Petrum Antiochenum, et in symbolo Graecis proposito in conc. *Lugdunensi II.* haec fides enuntiatur: *credimus novi et veteris Testamenti . . . unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem.*<sup>3)</sup>

Factum inspirationis demonstratur

211

1. Ex ipsa sacra *Scriptura*, quam hic sumimus secundum historicam auctoritatem et sic evitamus circulum vitiosum. **a.** Quod libros veteris foederis attinet, eius auctores passim exhibentur tamquam prophetae (nebiim), i. e. viri a Deo missi et excitati. De quibusdam expresse narratur, eos mandatum divinum ad scribendum accepisse. Sic legimus Ex. 17, 14: *Scribe hoc ob monumentum in libro et trade auribus Josue.* cf. Ex. 34, 27; Deut. 31, 19.

In libris prophetis adhuc saepius tale mandatum invenimus et verba prophetiae scriptae visiones a Deo datae nominantur. *Visio Isaiae* (1, 1); *verbum quod vidit Isaías* (2, 1); *factum est verbum Domini ad me* (Ier. 2, 1); Ez. 24, 2; Dan. 8, 26; Hab. 2, 2. 3; Zach. 7, 12 et alibi passim. David morti proximus testatur de se: *Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam* (II Reg. 23, 2 cf. etiam Prov. 30, 1 sqq.). Supponitur etiam collectionem librorum exstitisse, qui Scripturae simpliciter nominantur et tamquam sancti, divini colebantur. (Cf. Dan. 9, 1 sq.; Eccli., Prov.; 1. Macch. 12, 9.);

**b.** Christus hanc fidem Iudaeorum non improbat, sed ipse ad Scripturam provocat ac docet, testimonium Scrip-

<sup>1)</sup> Denzinger 783.

<sup>2)</sup> Ibid. 706.

<sup>3)</sup> Hard., Coll. conc. t. 1 pg. 978; t. 6 p. 1 pg. 954; t. 8 pg. 695; cf. Coll. Lacens. t. 7, Adnot. in 1. schema pg. 522; Denzinger 464.

turae esse testimonium ipsius Dei ideoque absolutae auctoritatis, cui nemo refragari possit; omnia quoque, quae scripta sunt, usque ad ultimum apicem impleri debere. Sic apud Matthaeum (22, 31 sq) Dominus dicit: *Non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: ego sum Deus Abraham etc.*; et (v. 42 sq) interrogat pharisaeos: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum?* etc. Iterum (Ioan. 5, 34 sqq): *Ego non ab homine testimonium accipio . . . Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me . . . Scrutamini Scripturas et illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Unico verbo: *Scriptum est* (Matth. 4, 4), Christus profligat diabolum. Hinc *non potest solvi Scriptura* (Ioan. 10, 35), sed necessario omnia impleri debent, quae scripta sunt (Ioan. 13, 18; Matth. 1, 22; 2, 15. 17; 26, 56 et alibi passim).

c. Apostoli variis item modis Deum ut auctorem s. Scripturae exhibent. Mox enim dicunt, Deum locutum esse per os aut per linguam sacri scriptoris (Act. 1, 16): *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David.* Mox Deum cum s. Scriptura identificant (Gal. 3, 8): *Providens Scriptura praenuntiavit Abrahae.* Mox vero Scripturam simpliciter Deo tribuunt (Hebr. 4, 4): *Dixit (Deus) in quodam loco* (cf. ib. 1, 6; 3, 7; 10, 15. coll. 8, 8). Denique expresse s. Scripturam *divinitus inspiratam* et hagiographos *Spiritu sancto inspiratos* vocant. Paulus enim scribit (II Tim. 3, 16 sq): *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est* (πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος<sup>1</sup>) καὶ ὠφέλιμος) *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Petrus vero docet (II ep. 1, 21): *Non voluntate*

<sup>1</sup>) Terminus θεόπνευστος, qui semel tantum in Sacra Scriptura legitur, a quibusdam active sumptus et sic sua via argumentiva privatus est. Sed adiectivum verbale regulariter passive sumendum est; et usus loquendi speciatim adiectiva verbalia cum verbo θεός composita fere semper passive sumit. Textus profani, quos paucos tantum habemus (Plutarchus, De placitis philosophorum 5, 2; Phocylides, ποίηται νοουθετικόν 121; Libri Sybillini, 5, 405 al. 406; 5, 307 al. 308) vocem θεόπνευστος semper passive adhibent; idem dicendum de antiquis versionibus et expositionibus.

*humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati* (ὕπὲρ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) *locuti sunt sancti Dei homines.* His textibus evidenter exprimuntur tria: α) Scripturam esse opus tum Dei tum hominis; β) Deum se habere ut *inspirantem*, hominem ut *inspiratum*; ideoque γ) Scripturam non homini, sed *Deo* adscribendam esse, quippe quae non ab hominis, sed a Dei voluntate procedat. Atqui in his tribus manifeste exprimitur, Deum esse causam principalem, hominem vero causam instrumentalem Scripturae.

*Nota.* Hoc argumentum, licet proxime solam Scripturam A. T. respiciat, indirecte tamen etiam ad N. T. extenditur. Nomine Scripturae enim iam ab ipso Petro (ep. II c. 3, 16) etiam libri N. T. commemorantur; neque Ecclesia libris A. T. unquam maiorem auctoritatem, quam libris N. T. vindicavit.

2. *Patrum doctrina* de origine Scripturae ad tres propositiones revocari potest.<sup>1)</sup> a. *Prima propositio:* S. Scriptura non est ab hominibus, sed ab *ipso Deo*. Dicitur enim *condita* et *digesta* a Deo, *data*, *dicta* a Deo, *scripta* et *conscripta* a Deo.<sup>2)</sup> 212

b. *Secunda propositio:* Scriptores humani causae tantum *instrumentales* sunt s. Scripturae. Comparant enim Patres hagiographum ad Deum sicut calamum vel manum ad scriptorem, sicut cytharam aut lyram ad plectrum, sicut scriptorem ad dictantem.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Interdum Patres verbum «inspirare» latiori sensu adhibent, ideoque non tam verba premere quam totum contextum considerare debemus.

<sup>2)</sup> Tertull. (De or. c. 16) ait: «Apostolus eodem Spiritu motus, quo cum omnis Scriptura, tum illa Genesis *digesta* est». Augustinus (De civit. Dei l. 11 c. 3) dicit: «Deus . . . Scripturam *condidit*, quae canonica appellatur». Origenes (Contr. Cels. c. 5. n. 60) ait: Iudaei et Christiani confitentur, biblia «esse scripta Spiritu sancto». Iuxta s. Chrysostomum (in Gen. hom. 21 n. 1): «Scripturae divinae, utpote Spiritu sancto conscriptae, magnum continent thesaurum absconditum». Irenaeus (Adv. haer. l. 2 c. 28 n. 2) dicit: «Scripturae sunt dictae a Verbo Dei et Spiritu eius».

<sup>3)</sup> Ita Iustinus M. (Cohort. ad Graec. n. 8); August. (De cons. Evang. l. 1 c. 35); Greg. M. (in Iob praef.).

c. *Tertia propositio*: Scriptura non est verbum aut scriptum humanum, sed *verbum Dei*, infallibile oraculum divinum (ἀληθεῖς ῥήσεις πνεύματος τοῦ ἁγίου),<sup>1)</sup> epistola omnipotentis Dei.<sup>2)</sup> — Haec tria principia proponuntur a Patribus inde a Clemente Romano, Iustino M., Athenagora usque ad Gregorium M. Talis doctrina autem nil aliud est quam aequipollens circumscriptio dogmatis catholici: tota s. Scriptura divinitus inspirata est Deumque auctorem habet.

d. Tempore patristico etiam practice divina origo librorum sacrorum agnoscebatur. Sic libri sacri sub nomine divinarum Scripturarum in Ecclesiis legebantur et prope Sanctissimum Sacramentum asservabantur. In persecutionibus traditio librorum, tamquam negatio fidei considerabatur. In conciliis sacri libri interdum in proprio throno tamquam praesidium divinum ponebantur. Iuramenta in libros sacros tamquam opera divina praestabantur. In exponendis sacris libris patres etiam mysticum sensum quaerebant, quem nullis profanis libris inesse credebant.

3. Consensus *scholae* catholicae colligitur ex s. *Thoma*, qui rationem absolutae veracitatis Scripturae assignat, quia est «a Spiritu sancto edita»<sup>3)</sup> et alibi dicit: «Auctor principalis s. Scripturae est Spiritus sanctus.»<sup>4)</sup>

4. Adiungere possumus etiam traditionem Iudaeorum, cuius testem praeter Philonem praesertim *Flavium Josephum* allegare possumus: «Apud nos, inquit,<sup>5)</sup> nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissidentium et inter se pugnantium; sed *viginti duo* dumtaxat sunt totius temporis descriptionem continentes, qui *merito creduntur divini*. Ex his *quinque* quidem sunt Moysis, qui et leges continent et seriem rerum gestarum a condito humano genere usque ad eius mortem . . . A Moysis obitu autem usque ad imperium Artaxerxis regis, qui post Xerxem regnavit

<sup>1)</sup> Clem. Rom., Ep. I. ad Cor. n. 45.

<sup>2)</sup> Gregor. M., l. 4 ep. 31; August., Serm. 2 in Ps. 90 n. 1; et similia passim. Cf. Coll. Lacens. t. 7, Adnotat. in l. schema pg. 522.

<sup>3)</sup> Quodlib. 12 a. 17.

<sup>4)</sup> Quodl. 7. a. 14 ad 5. cf. etiam: Albertus M., in Ioan. prol. 7 sq.; Alexander Hal. Summ. theol. q. 1. 4. ad 3. ed Ven. 1576; Bonaventura, Brevil. Prol. § 4 et § 5.

<sup>5)</sup> Contr. Apion. l. 1 n. 8; cf. Philo, De vita contempl.

apud Persas, *prophetae*, qui Moysi succedere, res sua aetate gestas conscripserunt *tredecim libris*; *quatuor* vero reliqui *hymnos* in Deum et praecepta vitae exhibent utilissima. Ab Artaxerxe autem usque ad nostram memoriam sunt quidem singula litteris mandata, sed non in aequali auctoritate libri habiti sunt cum praecedentibus, *quia non accurate perspecta erat successio prophetarum*. Porro re ipsa manifestum est, quanta nos veneratione libros nostros prosequamur. Cum enim tot iam saecula effluxerint, nemo nec *adiicere quidquam nec ab iis demere aut mutare quidquam* ausus est; sed omnibus Iudaeis statim a prima nativitate congenitum est, ut haec scripta credant *Dei dogmata* et eis inhaereant ac pro eis, si opus sit, libenter moriantur» (cf. I Mach. 12, 9; II Esdr. c. 8; Ioan. 5, 39).

**Thesis 53.** *Ex doctrina catholica inspiratio non solum ad res fidei et morum, sed etiam ad res profanas, immo ad omnes et singulos textus extenditur.* 213

Quamvis propositio enuntiata non sit definita, ea tamen post emanatam Encyclicam ‚Providentissimus‘ praesertim quoad primam partem est theologice certissima; neque salva fide negari posset, inspirationem etiam ad res *profanas* se extendere.

1. Concilium Tridentinum (Sess. IV.)<sup>1)</sup> statuit: «Si quis libros *integros* cum *omnibus suis partibus*, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in Veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non suscepit a. s.» Sine iusta ratione aliqui ista verba omnino generalia ad partes sic dictas deuterocanonicas restringere tentarunt.

2. Probatur ex ipsa s. *Scriptura*. Apostolus enim α) *omnem* Scripturam inspiratam esse docet (πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος). Vocabulum πᾶς autem, articulo non adiecto, iuxta grammaticos habet sensum distributivum non collectivum. Sensus ergo sententiae apostolicae est: Quaecunque Scriptura seu quidquid nomine Scripturae venire potest, divinitus inspiratum est. Ex usu biblico autem non solum tota collectio librorum, sed *singuli etiam textus* nomine «Scriptura» veniunt; e. g. (Marc. 12, 10): *Nec Scripturam*

<sup>1)</sup> Denzinger 784.

*hanc legistis?* et (Luc. 24, 27): *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant; iterum* (Ioan. 19, 36 sq): *Ut Scriptura (ἡ γραφή) impleretur: os non comminuetis ex eo; et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt.*<sup>1)</sup> — β) Christus ipse et Apostoli partes *historicas* aequae allegant ac partes *doctrinales*.<sup>2)</sup> Immo *singulos* etiam *textus* singulasque sententias s. Scripturae ex contextu avulsas tamquam verbum Dei assumunt ac magna saepe mysteria in unico verbo Scripturae deprehendunt. Sic Christus ex eo, quod Deus in Scripturis dicitur Deus Abraham, resurrectionem mortuorum probat; Paulus ex praecepto mosaico de bove triturante, ex historia patriarcharum, ex transitu maris rubri, immo ex vocula «adhuc semel» veritates summi momenti deducit et probat (cf. Deut. 25, 4; I Cor. 9, 9; I Tim. 5, 18; Gal. 4, 22 sqq; I Cor. 10; Hebr. 7; Agg. 2, 7; Hebr. 12, 26).

3. *Patres* pariter inspirationem etiam ad *minimas* partes protendunt absque ullo discrimine, an illae contineant res doctrinales vel historicas, magnas vel parvas, consulto vel obiter dicta. «Nos, inquit *Gregor. Naz.*,<sup>3)</sup> qui perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus esse temere positas.» Similia habent *Origenes*,<sup>4)</sup> *Chrysostomus*,<sup>5)</sup> *Augustinus*.<sup>6)</sup> Egregie *Hieronymus*<sup>7)</sup> haereticos, qui epistolam ad Philemonem et similia (ut ipsi dicebant) «humanae imbecillitatis exempla» tamquam non inspirata reiiciebant, ita refellit: «Quod si non putant eorum esse parva, quorum et magna sunt, alterum mihi conditorem, iuxta Valentinum, Marcionem et Apellen, formicae, vermium, culicum, locustarum; alterum caeli, terrae, maris et angelorum debent introducere. An

<sup>1)</sup> Cf. Schmid, De inspirationis bibliorum vi et ratione n. 31 (Brixinae 1885).

<sup>2)</sup> Cf. e. g. Matth. 23, 35; 24, 37; Luc. 4, 25; 6, 1; I Petr. 3, 19; II Petr. 2, 5. 6. 7. 15; I Cor. 10, 1; Hebr. 11 per totum.

<sup>3)</sup> Or. 2 n. 105.

<sup>4)</sup> De princip. l. 4 n. 5.

<sup>5)</sup> In Gen. hom. 15 n. 1; hom. 42 n. 2.

<sup>6)</sup> Ep. 82 al. 19 ad Hieron. n. 3—7.

<sup>7)</sup> Prolog. ad ep. ad Philem.

potius eiusdem potentiae est (divinae), ingenium quod in maioribus (in «rebus fidei et morum») exercueris, etiam in minoribus non negare?»<sup>1)</sup>

4. Consensus theologorum inspirationem ad omnes partes s. Scripturae extendit. Allegamus tantum s. Bellarminum, qui enumeratis haeresibus circa s. Scripturam subdit: «Postrema eorum haeresis est, qui in ipsis b. Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce.»<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Cum tanta sit Hieronymi in re biblica auctoritas, proferre iuvat alium licet paulo longiorem locum eiusdem s. Patris in Phil. 4 sqq (M. 26, 609) (quem locum Delattre, Auteur de la Question Biblique pg. 56, appellat «Credo scripturae» s. Hieronymi): «Una atque eadem credulitas in Moysen refertur et in Deum . . . Quod autem dico, tale est. Credit quispiam in conditorem Deum: non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, Enoch translatus, Noe naufrago solum orbe servatum: quod primus Abraham de terra sua et cognatione iussus exire, circumcisionem, quam in signum futurae prolis acceperat, posteris dereliquit: quod Isaac oblatus victima sit, et pro illo aries immolatus coronatusque sentibus passionem Domini praeformavit: quod Moyses et Aaron decem plagis Aegyptum afflixerint: quod ad vocem filii Nave precesque steterit sol in Gabaon, et luna in valle Ailon. Longum est iudicium gesta percurrere, et totam Samsonis fabulam ad veri solis (hoc quippe nomen eius sonat) trahere sacramentum. Ad Regum libros veniam, quando in tempore messis, obsecrante Samuele, pluviae de caelo et flumina repente manarunt; et David unctus in regem est; et Nathan et Gad prophetaverunt mysteria; cum Elias igneo raptus est curru, et Elisaeus spiritu duplici mortuus mortuum suscitavit. Haec et cetera, quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit: nec adduci ad fidem Veteris Testamenti, nisi quaecumque de patriarchis et prophetis, et aliis insignibus viris narrat historia, comprobarit; ut ex fide Legis ad fidem veniat Evangelii: et iustitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit.» Cf. Pesch, De inspiratione sacrae Scripturae (Freiburg 1906); Schade, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus; praesertim E. Kalt, Der Ausdruck «fabula» bei Hieronymus, Zeitschrift ‚Der Katholik‘ 1911 B. 2 S. 271 ff, qui contra Peters solide defendit, Hieronymum veritatem historicam libri Samsonis agnoscere.

<sup>2)</sup> De Verbo Dei, I. 6.

5. Antiquam Ecclesiae doctrinam *Leo XIII.* in Encyclica «Provid. Deus» claritate ac robore pari proponit. Docet enim  $\alpha$ ) negative, nefas esse inspirationem ad aliquas tantum s. Scripturae partes coangustare; neque tolerandum esse ut dicatur, inspirationem ad res fidei morumque tantum pertinere.  $\beta$ ) Docet positive, libros omnes atque integros, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu sancto dictante conscriptos esse. Hoc autem ita concipi debet, ut sacri auctores supernaturali virtute moti, «ea *omnia* eaque *sola*, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae».  $\gamma$ ) Ex hac totius Scripturae inspiratione deducit, in *nullo authentico loco* errorem quempiam reperiri posse. — Docente Pontifice ergo non solum partes maiores, sed omnes loci ac proinde omnes et singuli textus s. Scripturae, dummodo authentici sint i. e. genuinus hagiographi fetus, non textus spurius aut interpolatus, iam inspirati sunt et absolute veri, quia auctor sacer nihil aliud scripsit, nisi quod Deus eum scribere iussit. Quid, quaeso, his clarius?

6. Accedit denique ratio theologica, quam *Augustinus* et post eum Theologi frequenter urgent, scilicet totam auctoritatem Scripturae corruere, si non omnia essent inspirata nec divina auctoritate pollerent. Hoc admissio enim, necessario aliqua norma adesse deberet, inspiratum a non inspirato, verum a falso distinguendi. Quaenam igitur est? Dicet aliquis: res *minimae* et *profanae* ac *obiter dictae* non sunt inspiratae, in iisque falsitas subesse potest. At haec regula non sufficit, quia uni magnum esse videbitur et ad religionem pertinens, quod alteri minimum et profanum videbitur. Ita e. g. «quod tertia die an quarta Christus resurrexerit, cum non valde ad salutem attineat, pro nihilo quispiam habebit». <sup>1)</sup> Patres longe aliter se gerentes, etiam in minimis mysteria divina cernebant. — Alius dicet: *Ecclesia infallibilis* inter inspirata et non inspirata distinguere potest ac debet. Sed neque hoc concedi potest. Sicut enim Ec-

<sup>1)</sup> Melch. Can. De locis theol. l. 2 c. 17.

clesia inspirationem librorum, ut suo loco demonstrabimus, nonnisi ex revelatione ab Apostolis novit, ita etiam de singulis textibus dicendum esset. Cum videlicet Ecclesia non recipiat novas revelationes, non aliunde ei constare posset, quinam textus inspirati sint, quinam profani, nisi ex traditione apostolica. Atqui in traditione ne umbra quidem distinctionis inter textus inspiratos et non inspiratos, multoque minus inter textus veros et falsos invenitur; sed omnia *eiusdem auctoritatis* esse demonstrantur, ac tota semper Scriptura cum omnibus suis partibus ab Ecclesia tamquam inspirata habita fuit. Frustra ergo ad Ecclesiae magisterium appellaretur ad eruendos ac secernendos e corpore librorum sacrorum textus non inspiratos.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### De immunitate sacrae Scripturae ab omni errore.

**Thesis 54.** *Ex divina universae Scripturae inspiratione 214 sequitur eius immunitas a quovis errore.*

**Declaratio.** 1. Quivis liber humanus, licet de facto fortasse immunis sit ab omni errore, tamen errorem continere *potest*. Homo namque in cognoscendo, loquendo et scribendo tam veritatis quam erroris capax est. Quare ad summum moraliter constare potest, in aliquo libro humano nulum errorem contineri; infallibiliter nunquam. Immo libri humani etiam de facto vix unquam omni errore carent. Et nihilominus eos veros dicimus, dummodo errores sint in rebus obiter dictis vel accidentalibus, quae substantiam ipsius libri non attingunt. S. Scripturam autem non solum

---

<sup>1)</sup> Hinc apparet etiam discrimen inter inspirationem et authenticam Vulgatae, ad quam non nemo provocare posset. Authentica enim seu conformitas alicuius versionis cum originali s. Scripturae est *factum dogmaticum*, ad quod diiudicandum Ecclesia non indiget revelatione, qualis necessaria est ad diiudicandum, utrum dictum aliquod sit verbum Dei, an verbum mere humanum. Cf. Scheeben l. c. § 16 n. 222.

de facto, sed *necessario* ab omni errore immunem esse asserimus. Deus enim, qui auctor est Scripturae, nec fallere nec falli potest. Idque non solum de rebus ad fidem et mores per se spectantibus affirmamus, prouti fides catholica docet de conciliorum et Pontificum ex cathedra loquentium decretis; sed omnibus etiam *profanis* partibus singulisque etiam «obiter dictis» sententiis inerrantiam vindicamus. Hoc autem de textu *originali* affirmamus, de apographis et versionibus solummodo, in quantum cum textu originali concordant. Per se patet, inerrantiam tantum de textu rite intellecto valere.

2. *Valor dogmaticus* a variis auctoribus non eodem modo determinatur. Iuxta s. *Thomam* et *Bellarminum* absoluta inerrantia Scripturae est dogma (212, 3); *Melchior Canus* opinionem, in Scriptura reperiri posse quamlibet falsitatem, appellat «impium errorem»: «Nulla (falsitas) enim in sacris litteris levis, sed gravis esset, per quam Scripturae auctoritas elevaretur». <sup>1)</sup> Nonnullis recentioribus haec censura nimis severa videtur; concedunt tamen, sententiam affirmantem *omnino certam*, nec contrariam doctrinam ullo modo *probabilem* aut *tolerabilem* esse. <sup>2)</sup> Ceterum ipse *Leo XIII.* in praefata Encyclica vix mitius, ut vidimus, in hac re iudicat quam s. *Thomas*, dum eos, qui in locis *authenticis* librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existimant, aut inspirationis notionem pervertere aut Deum ipsum erroris facere auctorem, pronuntiat. <sup>3)</sup>

215 **Demonstratio.** 1. Inerrantia Scripturae in primis est necessaria *sequela inspirationis*. Impossibile quippe est, ut Deus inspiret errores. Quare ex Scriptura tam necessario excluditur omnis error, «quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse». Hanc consequentiam nonnulli declinare putant distinctione facta inter *inspirationem* et *revelationem*. Inspirationis obiectum enim, inquiunt, non solum est verbum divinum, sed

<sup>1)</sup> Loc. theol. I. 2 c. 17.

<sup>2)</sup> Schmid, De inspirationis bibliorum vi et ratione n. 35.

<sup>3)</sup> Revera *D'Houlst* aliique sinceriores Catholici post emanatam Encyclicam *Leonis XIII.* suas liberiores opiniones candide retractarunt. Cf. Pesch I. c. pg. 22.

etiam verbum humanum; quia hagiographi multa non ex revelatione divina hauserunt, sed ex proprio studio vel ex relationibus historicorum vel ex opinionibus, traditionibus ac mythis popularibus. Atqui verbum humanum ex eo, quod movente Deo conscriptum est, non mutat suam naturam neque efficitur infallibile verbum divinum. — At hoc effugium est inane, ac «pervertit notionem inspirationis», ut Pontifex docet. Inspiratio enim non absolvitur in eo, ut Deus hagiographos moverit ad scribendum, sed Deus insuper «ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque *sola* quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent». Quo fit, ut ipse Deus sit auctor universae Scripturae; auctori autem imputatur, quidquid scribitur. Deus igitur vere auctor esset errorum, si qui in sacris libris haberentur. Reperiuntur utique errores, sed non ex sententia ipsius hagiographi; cum e. g. legitur: *dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (Ps. 13, 1). At quod *affirmatur vel approbatur* ab ipso scriptore libri sacri, necessario refunditur in Deum, qui eius menti et voluntati ita adstitit, ut ea sola conscriberet, quae Deus vellet.

2. Hic nexus inter inspirationem et infallibilitatem s. Scripturae exprimitur etiam in omnibus textibus S. Scripturae, quos supra citavimus. Ubique enim irrefragabilis auctoritas Scripturae, etiam in singulis textibus, ex eo petitur, quia quidquid scriptum est, verbum Dei est; ideoque necessario «impleri debent, quae scripta sunt» (Ioan. 13, 18; 19, 37; Matth. 2, 15. 17 etc.).

3. Idem colligitur ex effatis *Patrum* superius allatis expressisque etiam testimoniis. Sic libros sacros appellant «oracula s. Spiritus, quae nihil iniustum, nihil falsum continere possunt;<sup>1)</sup> quae Scripturae «veritatem pariant et maneant virgines»;<sup>2)</sup> quae sibi nunquam contrariae esse possunt. «Scripturas inter se pugnare, inquit *Iustinus M.*,<sup>3)</sup> nunquam audebo nec cogitare nec dicere, sed si qua propo-

<sup>1)</sup> Clem. Rom., Ep. ad Cor. n. 45.

<sup>2)</sup> Clem. Alex., Strom. l. 7 c. 6.

<sup>3)</sup> Dial. cum Tryph. (ed. Mign. vol. 6 pg. 626). Cf. Epiph., Adv. haeres. l. 3 haer. 73.

natur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur, et praetextum, quasi esset alteri contraria, praebeat, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere quae dicuntur.» Item *Hieronymus* ad Marcellam scribit:<sup>1)</sup> «Scire te volumus, omnem sanctam Scripturam non posse esse sibi contrariam.» Celebre est dictum *Augustini*,<sup>2)</sup> ad quod etiam Leo XIII. (Encycl. cit.) provocat: «Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam *canonici* appellantur, hunc didici timorem honoremque deferre, ut *nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam*. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam.» Idem s. Doctor etiam rationem affert huius inerrantiae, quia «tota dubia nutet et fluctuet» Scriptura, si mendacium aliquod in ea inveniretur.<sup>3)</sup>

4. Consensus scholae patet ex s. *Thoma*, qui simpliciter dicit: «Hoc tenendum est, quod *quidquid* in S. Scriptura continetur verum est; alias qui contra hoc sentiret, esset *haereticus*.»<sup>4)</sup> *Melchior Canus* alludens ad locum quendam S. Augustini scribit: «Solis apostolis, prophetis et evangelistis hunc honorem referre *catholica fide* docente didicimus, ut nullum eorum vel memoria lapsus esse credamus, nullum nec in magnis nec in parvis errasse.»<sup>5)</sup> *Bellarminus*: «In Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus, et sive affirmetur aliquid generale et toti Ecclesiae commune sive aliquid particulare et ad unum tantum hominem pertinens.»<sup>6)</sup>

5. Accedunt disertae *declarationes Ecclesiae*. Iam *Benedictus* XII. damnavit (a. 1341) errorem 114 Armenorum,

<sup>1)</sup> Ep. 46 al. 17 a. 6.

<sup>2)</sup> Ad Hieron. ep. 82 al. 19 c. 1 n. 3.

<sup>3)</sup> August., Ep. 9 al. 40 ad Hieron. Cf. Thom. 2, 2 q. 110 a. 3 ad 1; Corluy, in folio «Science catholique» (1893 pg. 481 sqq), ubi doctrina Patrum bene collecta reperitur. Cf. etiam Pesch, De inspir. s. Script. nn. 34—128; 482 sqq.

<sup>4)</sup> Quodl. 12 q. 17. a. 26.

<sup>5)</sup> De locis theol. II. 12.

<sup>6)</sup> De conc. II. c. 12.

quo textus s. Scripturae (Gen. 4, 24) mere indifferens dicitur esse falsus.<sup>1)</sup> *Clemens VI.* paulo post Armenorum patriarchae proposuit quaestionem: «Si credidisti et adhuc credis, N. et V. T. in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae commendat auctoritas, *veritatem indubiam per omnia* continere?»<sup>2)</sup> Conc. *Florentinum*, *Tridentinum*, et *Vaticanum* Deum «auctorem totius Scripturae» appellant (210). Conc. *Tridentinum* definit (Sess. IV Decr. de can. Script.).<sup>3)</sup> «Si quis autem libros ipsos *integros cum omnibus suis partibus*, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . anathema sit.» Conc. *Vaticanum* simpliciter dicit, quod «Scripturae revelationem *sine errore* contineant». Licet ergo concedi possit, concilia non definisse expresse, inspirationem et inerrantiam Scripturae etiam ad obiter dicta extendi minimasque particulas, multo minus tamen inerrantiam ullo modo restringunt ad partes revelatas et partes potiores. Immo eo ipso quod Deum sine ulla limitatione totius Scripturae auctorem dicunt, indirecte *omnem* errorem absolute excludunt. Hoc certe sensu *Leo XIII.* intellexit concilia, quippe qui expresse doceat, tam immunem esse s. Scripturam ab omni errore, ut non potuerit «quidpiam falsi elabi scriptori sacro». Hanc suam doctrinam autem dicit fidem antiquam in conciliis Florent., Trident. et Vatic. definitam. *Pius X.* in decreto «Lamentabili»<sup>4)</sup> propositionem 11. damnat: «Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam s. extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.» *Benedictus XV.* in sua Encyclica inerrantiam S. Scripturae quoad omnes partes affirmat.

6. *Increduli* quoque et *haeretici* e. g. Porphyrius, Iulianus apostata, Rationalistae, qui vel ex toto vel ex parte

<sup>1)</sup> Annal. Raynald. a. 1341 n. 69. Error 114 ita sonat: «Item dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Cain, et ita fuit ad litteram, quia secundum eos nullus eum occidit; sed ipse de praecipitio se submisit. Ex quo innuunt, Scripturam Genesis quoad haec esse falsam, quae videtur dicere, quod Lamech interfecit Cain.»

<sup>2)</sup> Raynald. a. 1351 n. 3.

<sup>3)</sup> Denzinger 784.

<sup>4)</sup> Ibid. 2011.

inspirationem s. Scripturae negabant, toti in eo erant, ut errores conquirent et causam vicisse putabant, si vel unum reperissent. Catholici numquam responderunt, auctoritatem Scripturae propter unum alterumve errorem non corruere, sed errores obiectos reiecerunt solventes, quantum poterant, difficultates obiectas.<sup>1)</sup> Adungere possumus, omnia tentamina aliquem errorem vel in uno textu s. Scripturae inveniendi usque ad praesentem diem omnino frustranea fuisse.

**Thesis 55.** *Veritas s. Scripturae non est tantum relativa, sed absoluta.*

**Status quaestionis.** Aliqui auctores, etiam inter catholicos, concedentes veritatem Scripturae generatim, affirmabant, hanc non esse veritatem absolutam, sed solummodo relativam. Sacri auctores non volebant mentiri, at cum essent filii sui temporis referebant ea, quae sibi et suis contemporaneis vera videbantur. Progressu saeculorum ea quae olim vera putabantur tamquam falsa probabantur. Ea quae hagiographi bona fide scribebant erant vera relative ad illa tempora, non absolute vera pro omnibus temporibus. Ideoque veracitas s. Scripturae non est absoluta sed relativa, ac proinde exegeta etsi non mendacia, tamen errores in sacris libris concedere potest.<sup>2)</sup>

Sed ista *relativa veritas* 1. *non probatur.*

a) Dicunt assertores relativae veritatis, hagiographos filios sui temporis fuisse ideoque solummodo cognoscere et scribere potuisse, quod suo tempore verum videbatur.

Sed auctor primarius s. Scripturae est Spiritus S., qui est super omnia tempora et qui est absoluta veritas. Spiritus S. ergo auctores secundarios, quos tamquam instru-

---

<sup>1)</sup> Cf. Cherubin. a. s. Iosepho, Summa criticae sacrae t. 4 disp. 1 a. 5.

<sup>2)</sup> Inter auctores, qui relativam veritatem s. Scripturae tenent, nominamus prae ceteris: Holzhey, Zanecchia, Lagrange, Hummelauer, Peters, Vetter, Nikel, Prat, Loisy, Poels, Sanders, Dufour. Absolutam veritatem defendebant: Billot, Fonck, Schiffini, Hugo, Pesch, Meyenberg, Egger, Dorsch. Cf. de hac quaestione Egger, Absolute oder relative Wahrheit der Heiligen Schrift. Brixen 1909.

menta adhibebat, ita dirigere debuit, ut ex thesauro suarum cognitionum solummodo ea eligerent, quae vera erant, quia sola veritas operi Spiritus s. congrua est.

b) Deinde dicunt, finem s. Scripturae non esse, hominibus cognitiones profanas praebere, sed veritates fidei ad salutem animarum utiles vel necessarias. Hunc vero finem s. Scriptura etiam per solam veritatem relativam assequi potuit.

Respondeo: Non agitur de eo, quomodo s. Scriptura suum finem assequi potuit; sed quod Deus revera fecit ad hunc finem assequendum. Leo XIII. in sua encyclica ad hanc rem dicit: «false arbitrantur, si de veritate sententiarum agitur, non adeo exquirendum esse, quatenus dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit.»

c) At dicunt, auctores sacri fontibus utebantur, oralibus et scriptis, in quibus etiam falsa esse poterant.

Resp. Hagiographi non sibi relictis erant utentes his fontibus, sed erant sub continuo influxu Spiritus S., quo adiuvante solummodo vera eligebant.

d) Denique provocant ad varios errores et defectus, qui revera in s. Scriptura inveniuntur.

At hodie error, qui verbo proprio ita declaretur, demonstrari non potest, dummodo nonnisi genuini textus iique rite intellecti afferantur.

## 2. Econtra *absoluta veritas* s. Scripturae *probat*ur:

a) Ex genuina notione inspirationis. Si Deus est auctor s. Scripturae, ipse responsabilis est pro omnibus, quae in libris sacris continentur. Deus absoluta veritas est, ac proinde verbum Dei nihil falsi admixtum habere potest. Auctores humani sibi relictis utique errare poterant, sed sub continuo influxu Spiritus s. non solum a mendacio sed etiam ab errore immunes esse debebant.

b) Ea quae supra pro veritate s. Litterarum ex Scriptura ipsa et ex Patribus attulimus, certe potius veritatem absolutam quam relativam probant.

c) Leo XIII. et Benedictus XV. in suis citatis Encyclicis sine haesitatione absolutam veritatem s. Scripturae adstruunt.

## ARTICULUS III.

**Inspirationis divinae natura.**

## Status quaestionis.

216 Demonstrata veritate divinae inspirationis ss. Litterarum, natura huius inspirationis examinanda ac dogmatis intelligentia conquirenda est; tum ut intellectus catholicus salubriter pascatur, tum ut errores in fide caveantur. Fuerunt enim Catholici, qui inspirationis notionem ita perverterunt, ut dogma, quod ore profitebantur, re in discrimen vocarent. Claritatis causa pro more quasdam *notiones* et varias *opiniones* circa hanc materiam praemittimus.<sup>1)</sup>

1. *Notio et divisio inspirationis.* Inspiratio sensu generali est quivis influxus gratiae actualis ex parte Dei in hominem; sensu speciali autem, quem nunc unice attendimus, est talis influxus Dei in hominem in *ordine ad scribendum*, ut liber sub hoc influxu conscriptus *Deum auctorem* habeat. Sub hac ratione indeterminata definitio inspirationis a nullo Theologo catholico reiicitur nec reiici potest, eo quod immediate ex decretis conciliorum eruitur. Controversia in enucleandis definitionis notis incipit. — Varie porro auctores inspirationem dividunt, potioresque divisiones recensere iuvat; non quasi omnes veras inspirationis species constituent, sed quia ad cognoscendas varias de hac materia opiniones conducunt.

---

<sup>1)</sup> Quaestionem de natura inspirationis praeclare exposuit Card. Franzelin (Tract. de trad. et Script. th. 2. pg. 329 sqq), quem sequitur Schmid (De insp. bibl. vi et rat.); et Crets (De divina Bibliorum inspiratione dissertatio dogmatica); Pesch (De insp. s. Script.), qui n. 209 ita scribit: «Doctrina, quam libris suis Schmid et Crets, secuti Cardinalem Franzelin, proposuerunt, exeunte saec. 19. tam communiter recepta erat, ut in omnibus fere Praelectionibus, Institutionibus, Compendiis dogmaticis et Introductionibus in s. Scripturam inveniatur.» Deinde refellit obiectiones vehementes, quas Zanecchia (Divina Inspiratio) oggessit huic theoriae, quin meliorem sufficeret. Neque omittendum est, quod in Encyclica «Providentissimus» ad litteram fere sententiae principales ex thesi Cardinalis Franzelin recapitulantur, ut ostendit Van Kasteren (Nogmaals Franzelin in Zanecchia), qui etiam methodum declarandae inspirationis, quam Card. Franzelin tenuit, contra Zanecchia aliosque defendit.

Igitur **a.** ratione *subiecti* inspirationem dividunt in *activam*, *passivam* et *terminativam*, quatenus de Deo vel de hagiographo vel de Scriptura enuntiatur. In Deo inspiratio est actio influens in hominem in ordine ad scribendum; in scriptore est charisma supernaturale, quo instructus efficitur instrumentum divinum ad exarandum librum sacrum; in Scriptura est qualitas supernaturalis, propter quam Deus illius auctor dicitur et est.

**b.** Ratione *modi* inspirationem dividunt:  $\alpha$ ) in *negativam*, *directivam* et *positivam*. Dicitur *negativa*, si hagiographus sub mera assistentia Dei errorem praecaventis librum exarat; *positiva*, si sub influxu Dei res ipsas suggerentis scribit; *directiva*, si Deus scriptori non quidem actu suggerit omnes sententias, sed eas suggerere paratus est et revera suggerit, quamprimum scriptorem errore subiectivo teneri videt. Hic modus inspirationis, ut vides, parum a mere negativa differt. —  $\beta$ ) In *antecedentem*, *concomitantem* et *subsequentem*. *Antecedens* consistit in motione ad scribendum et suggestionem scribendorum. *Concomitans* dicitur continuus influxus, qui simul cum actione hagiographi in eum exercetur. Demum *subsequentem* dicunt, quando Deus id, quod homo propria industria conscripsit, approbat et suum facit, quemadmodum rex epistolam ab alio conceptam et scriptam subscribit et suam facit. —  $\gamma$ ) His quidam addunt divisionem in *revelativam* et *instinctivam*. Illa habetur, cum Deus per lumen supernaturale omnia scribenda hagiographo communicat; ista vero, si cognitiones aliunde habitae ita a Deo diriguntur, ut hoc praecise scribatur et non aliud.

**c.** Denique ratione *extensionis* inspiratio dividitur:  $\alpha$ ) in *realem* et *verbalem*, quatenus solae res vel res et verba a Deo suggestae concipiuntur;  $\beta$ ) in *universalem* et *particularem*, quatenus inspiratio ad omnes textus Scripturae, vel tantum ad religiosas et maioris momenti sententias se protendere affirmatur.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> Adverte, auctores in declarandis istis divisionibus non omnino consentire; cf. e. g. Schouppe, Elem. theol. dogm. t. 1 de s. Script. a. 1.

- 217      2. *Libri notio*. Nomine libri intelligitur collectio verborum et sententiarum sat notabilis,<sup>1)</sup> certo ordine digesta, scriptis expressa et ad legendum destinata. Plura elementa ergo in quovis libro distinguere possunt: **a.** *Res et sententiae*, quae in illo proponuntur, e. g. facta in libro historico, doctrina speculativa in libro philosophico. **b.** *Verba*, quibus res proponuntur. **c.** *Ordo*, quo res et verba digeruntur, e. g. constructio syntactica, divisio operis etc. **d.** *Finis* seu ratio, secundum quam liber disponitur librique natura determinatur. Alius profecto atque essentialiter diversus est finis libri ascetici, quam finis libri philosophici vel rhetorici.

Ex his liquet etiam, quaedam in libro *essentialia* esse, ita ut iis mutatis liber protinus *alius* a priore efficiatur. Quaedam vero sunt *accidentalialia*, quae variari possunt, quin desinat esse *hic* liber.<sup>2)</sup> Quid vero in libro aliquo *essentiale*, quid *accidentale* est? — Resp. **a.** Communiter *res et sententiae* ad *essentiam* pertinent, verba autem et stylus minime. Sic nemo affirmaverit, per versionem in aliam linguam alium evasisse librum. Immo etiam per grammaticas et syntacticas mutationes, dummodo non sint nimiae aut sensus ipse mutetur, libri non censentur substantialiter mutati, ut in lectionibus variantibus codicum antiquorum apparet. Quodsi vero in libro historico facta aut in philosophico sententiae mutantur, certe erit mutatio *substantialis*. — **b.** Attendendum est etiam ad *naturam libri* et *personam auctoris*. Sic in codice autentico legis minima additio ab homine privato facta *essentialis* censi debet. Additiones epistolae regiae aliena manu superinductae, et a fortiore sententiae humanae verbo Dei immixtae absque dubio *essentiali* mutationem documentum originalis producerent; etsi istae additiones per se non gravis momenti essent.

- 218      3. *Auctoris notio* (Verfasser). Auctor alicuius rei dicitur ille, qui est eius causa principalis. Dupliciter autem aliquis effectum causare potest, per influxum *physicum*, aut

<sup>1)</sup> Antiqui minus requirebant quam hodierni ad notionem libri.

<sup>2)</sup> Id quod nos *essentiale* et *accidentale* in libro diximus, alii *formale* et *materiale* appellant.

per *moralem* e. g. iubendo, consulendo. *Auctoris* nomen communius causae physicae tribuitur, praesertim cum de auctore libri sermo est. Profecto valde improprie et abusive loqueretur, qui Caium auctorem libri a Sempronio editi nominaret, eo quod Caius consilio suo Sempronium ad scribendum induxerat. Quamvis autem ad merendum auctoris nomen causalitas physica requiratur, non tamen postulatur, ut quis propria manu librum conscribat. Sufficit enim, ut quis alteri dictet vel saltem sensa sua alteri ad scribendum communicet. Si e. g. rex secretarium iubet, ut epistolam scribat eique omnia et singula dictat, quae scribere debet, profecto rex censetur auctor esse epistolae; licet electio verborum et constructio stylistica secretario relinquatur, dummodo postea ipse rex epistolam ut suam subscribat. Ceterum perinde est, utrum res secretario iam aliunde notae vel ignotae scribendae imperentur.<sup>1)</sup>

219

4. *Variae opiniones et errores.* In Scripturis duplex genus veritatum distinguere potest; tales, quas hagiographus nonnisi ex revelatione supernaturali, et tales, quas naturaliter cognoscere potuit. Diversitas opinionum non de prima, sed de secunda classe veritatum viget. Aliter enim atque aliter inspirationem veritatum naturalium auctores etiam catholici explicarunt. a. Saec. 18. *Holden*<sup>2)</sup> assistentiam quidem divinam praecaventem errores quoad omnia admisit, inspirationem vero coarctavit ad ea «quae sunt pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habent ad doctrinalia respectum». Haec sententia statim ut «paradoxa et in scholis christianis inaudita» reiecta fuit.<sup>3)</sup> Holdenio plus minus accesserunt *Richard Simon*, *Dupin*, *Chrismann*, *Stattler*, *Iahn*, qui tamen omnes in indicem librorum prohibitorum relati sunt.<sup>4)</sup> — b. Alii huic negativae assistentiae *directionem concomitantem* adiungunt, vi cuius, ut ait *Bonfrère*,<sup>5)</sup> Deus «ita ei (hagiographo) adstat, ut sicubi videret eum erraturum, illi esset adfuturus». — c. *Lessius* et *Ha-*

1) Cf. Franzelin thesi 3; Schmid l. c. l. 2 cap. 2.

2) *Doctrinae fidei analysis* l. 1 c. 4 lect. 1.

3) Cf. D'Argentré, *Animadversiones* in «*analysim fidei*».

4) Cf. Pesch, *De inspiratione* s. *Script.* n. 315 sqq.

5) *Praeloq.* c. 8 sect. 1; cf. Pesch l. c. n. 324.

melius inspirationem alicuius libri per *subsequentem approbationem divinam* explicari *posse* autumabant. Explicari *posse*, inquam; non enim reipsa hoc modo Scripturam inspiratam esse dixerunt.<sup>1)</sup> — d. Nonnulli affirmarunt, aliquos libros sacros vel eorum partes reipsa nonnisi per subsequentem approbationem *Ecclesiae* accensitos esse sacris Scripturis.<sup>2)</sup> Haec sententia a priore longe differt, quia quod illa ut possibile, haec ut factum docet; quod illa approbationi subsequenti Dei, haec approbationi Ecclesiae tribuit. — e. Demum his e diametro opponuntur plures antiqui Theologi et fortasse etiam nonnulli Patres, qui inspirationem positivam et antecedentem ad omnia et singula *verba* extendunt, ita ut homo inspiratus stricte ad instar amanuensis se habeat.<sup>3)</sup> Protestantes haud pauci etiam litteras et puncta inspirata dixerunt.<sup>4)</sup> — f. *Modernistae* teste Pio X. (Encycl. „Pascendi’)<sup>5)</sup> «generalem utique sacrorum librorum inspirationem asseverant: catholico ta-

<sup>1)</sup> In thesi, quam Lessius et Hamelius ut suam agnoverunt, dicitur: «Si aliquod opus pium et salutare humana industria ex divino instinctu compositum publico testimonio Spiritus s. approbaretur tamquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem aequae infallibilem, atque Scriptura s. et recte Scripturam sacram et verbum Dei appellatum iri. Nam eiusdem est auctoritatis epistola a rege dictata, et alia ab eo conscripta: qui modus, etsi de facto putem eum non inveniri in aliquo Scripturae canonicae libro, non tamen est impossibilis.» Cf. Schneemann, Controversiae de divin. gratia II n. 9. Lege relationem ep. Vinc. Gasser in conc. Vatic. de emendat. ad cap. II, Coll. Lacens. pg. 140.

<sup>2)</sup> Ita docuerat Haneberg, Geschichte der biblischen Offenbarung (1850), sed in ed. 4 (1876) hanc sententiam emendavit.

<sup>3)</sup> Cf. Theolog. Wirceburg t. 1 disp. 1 n. 22. Novissime nonnulli auctores (Lagrange, Chauvin, Zanecchia) inspirationem verbalem quoad nomen, sed non quoad rem redintegrarunt. Videtur esse mera lis de verbo, ut bene ostendit Pesch, Theolog. Zeitfragen, 3. Folge VIII (Freiburg 1902).

<sup>4)</sup> Huc spectat formula consens. Helvet. c. 2: «Hebraeus V. T. codex, tum quoad consona tum quoad vocalia sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem Θεόπνευστος» Cf. Hettinger, Fundam.-Theol. Bd 2 S. 669.

<sup>5)</sup> Denzinger 2090. Cf. Decret. «Lamentabili» error 10: «Inspiratio librorum V. T. in eo consistit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt» (Denzinger 2010).

men sensu nullam admittunt». Ipsi quippe inspiratio nil aliud est, quam «vehementior quaedam impulsio, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur». Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: «Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.»

His praemissis primo falsas aut improbables opiniones refellemus; deinde veram sententiam statuemus.

**Thesis 56.** *Ad rationem inspirationis, quam de libris divinis tenere debemus, neque mera assistentia Dei negativa ad praecavendos errores, neque sola directio concomitans, neque subsequens Dei aut Ecclesiae approbatio sufficiunt.* 220

Thesis vel de fide est vel certe fidei proxima. Sane:

1. Conc. *Vaticanum*<sup>1)</sup> enim saepius allegatum expresse definit, «Ecclesiam libros Scripturae pro sacris et canonicis habere non ideo, quod sola humana industria concinnati sua (i. e. Ecclesiae) deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod *Spiritu s. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*». Ergo iuxta concilium ad genuinam notionem inspirationis nec assistentia divina ad praecavendos errores, nec subsequens approbatio Ecclesiae sufficit.

2. Dogma est, s. Scripturam esse *divinitus inspiratam Deumque habere auctorem* (210). Ergo a. non sufficit sola *negativa assistentia divina*. Nam utrumque epitheton «inspiratum» et «auctor» significat actum positivum et non tantum negativam assistentiam. *Inspirare* enim idem est ac *suggerere*; hoc autem certe aliquid positivum est. *Auctor* idem est ac *causa efficiens principalis*; causa efficiens autem, maxime principalis, ut *Philosophia* docet,<sup>2)</sup> effectum producit per activitatem positivam.

b. Neque sufficit sola *directio concomitans* ad salvandam formulam dogmaticam, nisi eam a sensu obvio et naturali detorqueamus. Pone exempli gratia, me Caio epistolam scribenti assistere ac sedulo inspicere, ut factum aliquod mihi notum accurate describat; immo ponamus etiam,

<sup>1)</sup> Denzinger 1787.

<sup>2)</sup> Cf. Egger, *Propaedeut.* n. 239.

me una alterave vice Caium correxisse: profecto satis improprie diceretur, me ipsam epistolam alteri inspirasse eiusque auctorem esse. A pari ergo quoad Scripturam dicendum.

c. Multo minus sufficit *approbatio subsequens sive Dei sive Ecclesiae*; quippe quae sit vera contradictio in adiecto. Inspiratio namque idem est ac *suggestio*; suggestio autem antecedit scriptioni rei suggestae. Item activitas *auctoris* necessario effectui praecedit. Approbatio e contrario est et dicitur ab ipsis adversariis subsequens. Proinde idem simul scriptionem antecedere et subsequi deberet; quod certe implicat. Ad inspirationem igitur subsequens approbatio Dei non sufficit, et multo minus approbatio Ecclesiae; haec enim non efficit, sed *testificatur* dumtaxat auctoritatem divinam alicuius libri. Concilium Vaticanum expresse declaravit, subsequentem approbationem *Ecclesiae* non sufficere.<sup>1)</sup>

d. Neque Modernistis concedendum est, inspirationem identificari cum illa excitatione, quam poetae patiuntur. Nam haec inspiratio poetica non est tribuenda supernaturali influxui divino, ideoque Deus nequaquam posset dici verus auctor librorum sacrorum; sicut etiam carmen lyricum non Deo, sed poetae tamquam causae principali adscribere solemus.

3. Propositio nostra colligitur etiam ex aliis attributis, quae in fontibus fidei de s. Scriptura praedicantur; puta cum dicitur *verbum Dei, epistola Dei, conscripta, dicta, dictata, condita* a Deo; vel cum hagiographi *citharae* vel *lyrae* vel etiam *calamo* vel *manui* Dei scribentis comparantur (212). Haec etenim et his similia, quae praesertim apud Patres passim occurrunt, profecto nec negativam tantum assistentiam, nec solum inspectionem aut directionem, multo vero minus libri humanitus iam exarati subsequentem approbationem significant.

4. Confirmatur ex absurdis sequelis. In hypothesi adversariorum enim praerogativa infallibilitatis, qua Ecclesia gaudet, cum charismate inspirationis coincideret. Hoc proinde charisma esset aliquid in Ecclesia ordinarium. Ergo

---

<sup>1)</sup> Cf. Vincent. Gasser l. c.

decreta conciliorum et Pontificum essent inspirata et canonis s. Scripturae inserenda; hic demum s. Scripturae canon novis conciliorum et Pontificum decretis augeretur. Atqui haec omnia sunt in Ecclesia prorsus inaudita et absurda. Ergo.

**Obiectio.** Deus certe aliquod dictum humanum tamquam verum approbare fidelibusque credendum proponere potest. Ergo per subsequentem approbationem verbum humanum effici potest verbum Dei. — *Dist. consequens:* Verbum humanum effici potest verbum Dei revelatum, *Conc.*; inspiratum, *Nego*. Obiectio *revelationem* cum *inspiratione* confundit, quae tamen minime identica sunt. Per revelationem enim Deus testatur homini aliquam veritatem, sive illa occulta fuerit sive aliunde iam cognita (57). Quare actus, quo Deus sententiam aliquam humanitus scriptam ut veram proponeret, esset revelatio, talisque sententia ut verbum Dei revelatum credi deberet. Revelatio ergo scriptionem sequi potest. At inspiratio ex parte Dei est talis influxus in scriptorem, ut liber sub hoc influxu conscriptus Deum auctorem habeat. Inspiratio ergo scriptionem antecedere debet. Proinde sententia aliqua humana per subsequentem approbationem fieri potest verbum Dei revelatum, sed non verbum Dei inspiratum. 221

*Instant.* Si rex epistolam ab alio proprio Marte conscriptam subscribit et suam facit, haec epistola regi non minus tribuitur, ac si ipse eam scripsisset. A pari ergo libri pii ab homine sancto conscripti per subsequentem approbationem fieri possunt libri divini. — *Resp. Dist. antec.* Talis epistola adscribitur regi ut *propria*, *Conc.*; tamquam *auctori*, *Nego*. Et *Dist. consequens:* Libri humani possunt fieri libri divini propter *auctoritatem* divinam postea ipsis superadditam, *Conc.*; propter *originem* divinam antecedentem, *Nego*. Aliud est *auctoritas*, aliud *origo divina*. In documentis fidei autem non solum *auctoritas* divina libris sacris tribuitur, sed *origo divina*. Hanc autem per subsequentem approbationem nunquam possunt recipere, quia hoc, ut iterum repetam, intrinsece repugnat. Unde neganda est paritas cum allato exemplo. Epistolae enim vel leges a rege subscriptae utique regi appropriantur, quin tamen per hoc

exprimatur, regem ipsum epistolam vel legem confecisse. In epistola vel lege regis enim ut plurimum non tam origo quam auctoritas regia attenditur; de s. Scriptura autem tam auctoritatem quam originem divinam credere debemus.

Sed iterum *instant*. Sententiae mere humanae, e. g. poetae Arati (Act. 17, 28)<sup>1)</sup> et Epimenidis (Tit. 1, 12),<sup>2)</sup> per allegationem hagiographi in librum inspiratum receptae et pars Scripturae canonicae effectae sunt. Ergo a pari integer liber per insertionem in canonem ad dignitatem s. Scripturae elevari potest. — Resp. Imprimis negari potest, has sententias esse in se inspiratas. Multae enim sententiae Scripturae in se consideratae minime inspiratae sunt, ac longe aliam originem quam divinam habent, e. g. Sap. 2, 1 sqq; Ps. 13, 1. Non igitur ipsa sententia istorum poetarum, sed *narratio* vel *applicatio* sententiae inspirata fuit. Nihilominus concedere possumus, illas sententias poetarum etiam in se inspiratas esse, non quidem *quatenus a poetis*, sed *quatenus ab hagiographo dictae sunt*. Sicut enim, ut scite observat *Franzelin*,<sup>3)</sup> praecedens naturalis cognitio veritatis non est ratio, cur Deus eam non possit inspirare ad scribendum, ita etiam praecedens naturalis scriptio non est ratio, quae ex sese impedit inspirationem eiusdem veritatis ad eam scribendam divinitus.

222 **Thesis 57.** *Ad inspirationem non requiritur a) revelatio stricte dicta, b) nec privatio libertatis; c) nec elevatio ecstasica; d) nec conscientia influxus divini; e) nec demum suggestio omnium et singulorum verborum materialium.*

1. Non requiritur revelatio stricte dicta. Id notio inspirationis non postulat, quia inspiratio et revelatio probe distinguendae sunt. Loquimur de revelatione late dicta, si res intellectui hagiographi repraesentantur, etiamsi eas iam sciat. Ex sacra Scriptura et ex Patribus patet hagiographos aliquando res scripsisse, quas aliunde noverunt. Itaque per inspirationem etiam labor auctoris humani in investigandis rebus scribendis non excluditur.

1) *Ipsius enim et genus sumus.*

2) *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.*

3) L. c. thes. 4 II.

2. Non requiritur, ut auctor sacer sub influxu inspirationis libertate privetur. Deus enim infallibiliter finem suum assequi potuit etiam stante libertate humana. Deus hagiographis tamquam instrumentis utebatur modo humanae naturae congruente.

3. Ideoque non requiritur ecstasis, quae adesse poterat, sed non necessario adesse debebat. S. Thomas dicit, sacros auctores scripsisse «non mente perturbata et sicut arreptitios». <sup>1)</sup>

4. Non requiritur conscientia inspirationis in mente hagiographi. Deus enim influxum efficacem in intellectum et voluntatem hagiographi exercere potest, quin ipse huius operationis divinae sibi conscius sit. Aliqui auctores sacri conscientiam divini mandati habebant e. g. Isaias, Ieremias, David (II Reg. 23, 1 sqq.), Iohannes (Apoc.). Alii conscientiam non videntur habuisse e. g. auctor libri II. Mach. vel Lucas evangelista. «*Certis argumentis*, dicit Schmid, <sup>2)</sup> demonstrari non potest, aliquem ex scriptoribus hagiographis inspirationis suae conscius *sibi non fuisse*. Potest tamen huiusmodi ignorantia quoad unum vel alterum auctorem hagiographum satis probabilis videri.»

5. *Omnium et singulorum verborum materialium suggestio non est admittenda.*

Iuxta axioma: affirmantis est probare, singulorum verborum suggestio non debet supponi, sed esset probanda. At:

A. *Non probatur.* Provocant quidem ad ipsam notionem *verbi Dei scripti* et inspirati, quasi haec sine singulorum verborum suggestionem verificari non posset. Provocant etiam ad locos Scripturae, ubi Deus ipsa verba, quae scribenda sunt, proponit (Ier. 26, 2; Apoc. c. 2 et 3 etc.); nec non ad illa testimonia, ubi Deus Scripturas *dictasse* (conc. Trident.) et scriptore sacro tamquam *instrumento* usus fuisse perhibetur. Maxime vero provocant ad Patres, qui inspirationem ad singula verba et apices extendunt; itemque ad Theologos antiquos, qui fere unanimiter verborum inspirationem docuerunt.

<sup>1)</sup> P. 2, 2 q. 173 a. 3. ad. 4.

<sup>2)</sup> De insp. p. 102.

Atvero responsio non est difficilis. Nam **a.** notio *auctoris* non postulat absolute, ut alteri tamquam amanuensi verba dictentur; sed ex communi existimatione sufficiens censetur, si alteri omnia et singula sensa, quae scribenda sunt, communicentur, eaque omnia et sola reapse ab eo literis consignentur (218). Notio *inspirationis* vero utique positivum Dei influxum in electionem verborum generatim postulat; *singulorum* autem verborum suggestionem postulari, nemo adhuc probavit. — **b.** Testimonia Scripturae, ad quae provocatur, ad summum demonstrant, *aliquos* textus verbotenus esse inspiratos; nequaquam vero de *omnibus* textibus talem inspirationem probant. — **c.** Comparationes a Patribus adhibitae ultra scopum intentum non debent urgeri; alioquin sequerentur absurda, quae ipsis patronis verbalis inspirationis displicerent. Sequeretur enim, auctores sacros in conficiendis Scripturis ut mera instrumenta materialia se habuisse; quod nemo concedet. Patres vero Tridentini (Sess. IV Decr. de can. Script.)<sup>1)</sup> non solum de libris scriptis, sed etiam de traditionibus docent, eas «Spiritu sancto dictante» acceptas fuisse. Quis autem traditiones *verbotenus* a Spiritu s. dictatas esse, affirmet? Punctum ergo comparationis in obiectis exemplis eo redit, quod Deus causa est principalis, hagiographus causa instrumentalis Scripturae; natura autem huius causalitatis aliunde constare debet. — **d.** Denique consensus Theologorum circa verbalem inspirationem nunquam talis fuit, ut exinde certum argumentum theologicum desumi possit (189). Immo haud pauci nil aliud verbali inspiratione intelligunt, quam positivum illum influxum Spiritus sancti in electionem signorum, quem nos pariter defendimus.<sup>2)</sup>

**B. Contra verbalem inspirationem varia argumenta adduci possunt.**

**α)** Si Deus ipse Scripturam veluti dictavit, quomodo explicatur, quod e. g. Evangelistae non solum idem factum, sed eadem verba Domini diverso modo referunt?<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Denzinger 783.

<sup>2)</sup> Ita Suarez, De fide disp. 5 s. 3 n. 3 n. 3. 5; cf. Kleutgen, Theol. der Vorzeit Bd 1 n. 34.

<sup>3)</sup> Cf. e. g. Matth. 26, 17—20; Marc. 14, 12—18; Luc. 22,

β) Labor et vigiliae hagiographorum in conficiendis ss. libris, excusationes de imperitia sermonis aut de minus digne dictis,<sup>1)</sup> soloicismi, anacolutha et defectus stylistici, qui revera occurrunt, et alia similia omnino persuadent, Deum non singula verba suggestisse, sed aliquid etiam propriae hagiographi diligentiae reliquisse.

γ) Difficile est explicare quomodo auctores conscientiam inspirationis non habuerint, si etiam verba materialia audierint.

δ) Verba materialia essent aliquid substantiale S. Scripturae. Quomodo in hac hypothesi Patres et etiam hagiographi S. Scripturam libere citare potuerunt? Cur etiam Patres et concilia versionibus contenti erant?

ε) Denique inspirationem stricte verbalem negant Patres simulque rationem huius negationis assignant. Sic Hieronymus scribit:<sup>2)</sup> «Nec putemus, in verbis Scripturarum esse Evangelium sed in sensu, non in superficie sed in medulla, non in sermonum foliis sed in radice rationis.» «De Isaia sciendum, inquit s. *Hieronymus*,<sup>3)</sup> quod in sermone suo disertus sit, *quippe* (en rationem!) *ut vir nobilis* et urbanae eloquentiae, nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admistum.» Contra «Ieremias *sermone* quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse *rusticior*, sed *sensibus par est, quippe qui eodem Spiritu prophetaverit*. Porro *simplicitas eloquii a loco ei, in quo natus est, accidit*. Fuit enim Anatholites, qui est usque hodie viculus». Et iterum scribit Augustinus<sup>4)</sup>: «Ne putemus, quasi consecratis sonis ita muniri veritatem; tamquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba . . commendet.» Illis autem, qui dicerent, «Evangelistis certe per Spiritus sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum nec in ordine nec in numero

---

7—14; Matth. 26, 69—75; Marc. 14, 66—72; Luc. 22, 54—62; Ioan. 18, 25—27; maxime verba institutionis ss. Eucharistiae.

1) Cf. II Mach. 2, 27; 15, 39; Luc. 1, 3; II. Cor. 5, 17.

2) Ad Gal. c. 1 v. 11. 12.

3) Praef. in Is. et Ier.

4) De cons. Evang. l. 2 c. 66.

discreparent», respondet s. Doctor,<sup>1)</sup> id fieri non debuisse, ut intelligeremus, «non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sentiis non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus».

C. Recentiore tempore doctrina de inspiratione verbali renovata est, utique cum quadam modificatione. Nimirum Neothomistae negant quidem verba materialia a Deo formaliter dictata esse; affirmant autem Deum etiam verba, inspirasse per praemotionem physicam, qua omnes actiones creaturae producit. Attamen notandum est doctrinam de praemotione physica a multis theologis argumentis haud spernendis impugnari ideoque minus aptam esse ad efformandam inspirationis notionem, quae ab omnibus catholicis agnoscatur. Insuper praemotio physica, etiamsi vera esse probaretur, nihilominus conceptum inspirationis, quae est aliquid omnino singulare et supernaturale, minus bene explicaret, quia haec praedeterminatio vi systematis thomistici pro universis actibus, etiam mere naturalibus aequaliter est necessaria. Denique omnia argumenta, quae contra inspirationem verbalem generatim adduximus, plus minusve etiam contra hunc mitigatum explicationis modum militant.

223 **Thesis 58.** *Inspiratio s. Scripturae active spectata consistit in positivo antecedente simul et concomitante influxu Dei, quo hagiographum illuminat, ad scribendum movet ac continuo dirigit, ut per apta verba ea omnia et sola conscribat, quae Spiritus sanctus scribi voluit.*

Si Deus est auctor S. Scripturae, ipse ab aeterno ideam s. librorum habere debuit et voluntatem eos per auctores humanos producendi. Deus tamquam auctor principalis etiam in intellectu et voluntate auctorum humanorum omne id elicere et fovere debuit, quod auctor alicuius libri scribere debuit.

Thesis 1. ferme totidem verbis exprimitur in Encycl. Leonis XIII. (*Providentissimus Deus*): «Supernaturali (Deus) virtute ita eos (scriptores) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola,

---

<sup>1)</sup> De cons. Evang. c. 12.

quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor Scripturae universae.» Ratio, quam assignat Pontifex, est validissima. Si enim Deus est auctor Scripturae, ergo hagiographi sunt tantum causae instrumentales. Non autem sunt instrumenta inanimata, sed causae intelligentes et liberae. Si enim s. Scriptura vel obiter inspiciatur, facile apparet, sacros auctores scientes et volentes scripsisse, «non mente perturbata et sicut arreptitios», ut s. *Thomas*<sup>1)</sup> observat. Ad hoc autem profecto necesse fuit, ut Deus menti hagiographi omnes veritates scribendas communicaret voluntatemque tam efficaciter moveret, ut has praecise et non alias veritates conscriberet. Inspirationis notio ergo necessario *illuminationem* mentis et *motionem* voluntatis hagiographi ex parte Dei postulat. — Sed praeter haec duo tertium insuper elementum requiritur. Homo namque in eloquendis aut scribendis suis cogitationibus labi potest, ita ut verba non respondeant ideis, quas exprimere vult. Ut proinde veritates a Deo intentae *reipsa infallibiliter* conscriberentur, talis insuper positivus influxus divinus in hagiographum circa verborum electionem necessarius fuit, ut verba veritatibus exprimendis congruerent. Ergo *vigilantia* et *directio* divina circa electionem verborum tamquam tertium elementum adiungendum est.

2. Ista elementa, quae ex analysi formulae dogmaticae: «Deus auctor Scripturae», resultant, etiam expresse in documentis fidei occurrunt. Illuminatio divina enim non solum in libris *propheticis*, sed etiam in *moralibus* et *historicis* commemoratur.<sup>2)</sup> Voces *θεόπνευστος* et *φερόμενοι* (II Tim. 3, 16; II Petr. 1, 21) motionem voluntatis evidenter significant. Adiutorium vero divinum ad eligenda signa ex omni-

---

<sup>1)</sup> P. 2, 2 q. 173 a. 3 ad 4.

<sup>2)</sup> Is. 1, 1; Ez. 1, 1; Os. 1, 1 sqq Apoc. c. 1 et alibi passim. Prov. 30, 1: «Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus et qui Deo secum morante confortatus ait» etc. Cf. Eccli. 44, 3; 46, 1 etc., ubi historia V. T., prout in historicis Scripturae libris legitur, vel tota vel saltem quoad magnam partem a prophetis qua prophetis scripta dicitur aut supponitur. Schmid l. c. c. 3 n. 83.

bus illis locis colligitur, ubi hagiographi calamo vel lyrae comparantur et omnia usque ad apicem inspirata esse dicuntur.

3. Ut recensita tria elementa uberius demonstrantur et explicentur, adverte: **a.** In s. Scriptura duplicis generis veritates sunt: scilicet tales, quas sacer scriptor supernaturaliter tantum cognoscere poterat; et tales, quas etiam naturaliter sciebat vel discere valebat. Ad illas cognoscendas et scribendas hagiographus iuxta s. Thomam indigebat *lumine prophetico*. Ad veritates naturales scribendas non quidem lumen propheticum, sed nihilominus *lumen aliquod divinum et supernaturale* necessarium fuit; tum ut ei *manifestaretur*, quid scribere deberet, tum ut hoc cum *infallibili* certitudine conscriberet. Iuxta angelicum Doctorem<sup>1)</sup> «ad iudicandum *secundum certitudinem veritatis divinae* ea, quae humana ratione cognosci possunt», necessarium erat aliquod «*adiutorium divini luminis*». — **b.** Similiter etiam motio voluntatis duplex distingui potest: vel per modum *impulsus irresistibilis*, cum Spiritus in prophetam irruere dicitur (Num. 24, 2 sq); vel per modum *imperii*, cum Deus hagiographum scribere vel vaticinari iubet (Is. 8, 1; Habac. 2, 2; Ez. 11, 4). Praeter hunc impulsum aut imperium ad scribendum, quod *gratiae praevenienti* comparari potest, admitteri insuper debet *continuus influxus internus et physicus Spiritus sancti ad instar gratiae adjuvantis*, quo hagiographus iugiter *portatur* (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) et scriptio ad infallibilem exitum a Deo intentum perducitur. — **c.** Hic *positivus* Dei influxus in hagiographos etiam circa *electionem verborum* admittendus est. Licet enim, ut probavimus, inspiratio stricte verbalis, qua Deus singula

---

<sup>1)</sup> P. 2, 2 q. 174 a. 2 ad 3. Cf. Antoine, Theol. univ. t. 1 tr. 1 s. 6 a. 4, ubi bene hanc mentis illustrationem describit. Per eam enim, inquit, Deus vel pia monita, praecepta, consilia piasque adhortationes scriptori sacro suggerebat; vel veritates antea ignotas manifestabat, vel res prius cognitae in memoriam revocabat, vel quid ex multis, quae scriptoris sacri memoriae occurrebant, scribendum esset, ostendebat et memoriam eius ita regebat adjuvabatque, ut ne in levissimis quidem factorum circumstantiis labi posset. Cf. Melch. Can. l. c. l. 2 c. 18.

verba quasi dictasse supponitur, non sit probabilis; ex altera tamen parte non sufficit sola *negativa* assistentia divina ad praecavendos errores. Sententiae Scripturae enim non in abstracto, sed quatenus *scriptae, divinitus inspiratae* sunt. Inspiratio autem aliquid positivum est. Ergo hic influxus positivus etiam ad verba se extendit. Praeterea sententiae Scripturae, qua *scriptae, infallibiles* sunt. Ergo hagiographus adiutorio divino ad *infallibiliter* eligenda apta signa indiguit. Brevi: signa et significatio unum totum constituunt; si ergo significatio inspirata est, etiam signa aliquo modo inspirata esse debent.<sup>1)</sup>

**Corollarium.** Declarata notione inspirationis ex parte 224 Dei (active spectatae), ultro consequitur, quid sit inspiratio ex parte hominis (passive spectata), videlicet: **a.** Est *gratia*, utpote donum Dei undequaue indebitum et ad finem supernaturalem tendens. — **b.** Est *gratia gratis data* seu *charisma*; quia proxime ad utilitatem aliorum, et non ad propriam hagiographi sanctificationem datur.<sup>2)</sup> — **c.** Est *charisma*, non per modum *habitus permanentis*, quo homo ad libitum uti possit; sed per modum *motionis transeuntis* sub genere prophetiae. — **d.** Est *charisma*, ad cuius naturam non requiritur necessario *raptus* vel *ecstasis* mentis vel *suspensio libertatis*, neque etiam *conscientia inspirationis* in hagiographo. Quamvis enim communiter doceant Theologi, hagiographos *generatim* inspirationis sibi conscios fuisse; quoad unum tamen alterumve auctorem sacrum a nonnullis dubitatur, nec omnino improbabiler. — **e.** Denique est *charisma extraordinarium*. Cum enim revelatio morte Apostolorum conclusa fuerit (197), idem etiam de inspiratione librorum ad s. *Scripturam* ac proinde ad depositum fidei pertinentium dicendum erit. Inspiratio igitur tempore Apostolorum desiit, dum *charisma infallibilitatis ordinarium* est, et adhucdum in Ecclesia perdurat.<sup>3)</sup>

Inspiratio *terminativa* est causa inerrantiae et pulchritudinis suprahumanae S. Scripturae. —

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin l. c. thesi 3; Scheeben l. c. § 16 n. 231; Schmid l. c. l. 2 c. 3 a. 2 et 3.

<sup>2)</sup> Cf. Egger, Dogmat. special. n. 339.

<sup>3)</sup> Cf. Franzelin, l. c. thesi 3 corollaria; Schmid l. c. n. 99 sqq.

## ARTICULUS IV.

**Obiectiones praecipuae contra inspirationem et inerrantiam  
s. Scripturae.<sup>1)</sup>****A. Obiectiones ex s. Scriptura.**

225 1. Auctores sacri dicunt, se cum multo labore et sudore libros concinnasse (cf. II. Mach. 2, 27; Luc. 1, 3).

2. Auctor libri Machabaeorum profitetur, se solum epitomen operis profani facere: *Ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine brevare* (ib. 2, 24).

3. Hinc veritatem historiae suae in auctores refundit, quibus tamquam fontibus usus est (v. 29): *veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes*. Unde operi suo auctoritatem mere humanam et hanc satis exiguam vindicat: *Et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi* (ib. 15, 39).

4. Paulus expresse testatur, se quaedam ex seipso dicere et non ex divino instinctu: *Ceteris ego dico, non Dominus* (I. Cor. 7, 12); fatetur, poenitentiam se habere de iis, quae scripserat (II. Cor. 7, 8); fatetur denique, se nonnulla insipienter dixisse (11, 21).

5. Denique in Scriptura occurrunt mythica et fabulosa, dirae imprecationes etiam ex parte hagiographi, e. g. in psalmis, impia, obscoena et scandalosa. Praeterea sacri scriptores saepe dubitanter (e. g. Luc. 3, 23; Joan. 2, 6 etc.) loquuntur, eorumque relationes sibi invicem contradicunt; neque desunt aperte falsa et erronea. Imo Deus ipse haud raro ut auctor deceptionis et peccati sistitur (II. Paral. 18, 19; II. Thess. 2, 10; Exod. 4, 21; Rom. 9, 18 etc.) — Atqui haec et similia antecedentem inspirationem omnino excludunt, imo nonnulla ne cum subsequente quidem approbatione conciliari possunt.

*Solutio.* Concedo imprimis, plura ex locis obiectis excludere verbalem inspirationem. Excluditur etiam hypothesis, quod Deus singulas sententias hagiographo imme-

---

<sup>1)</sup> Hic solummodo aliquas praecipuas obiectiones afferimus, ultiores expositiones exegetis relinquentes.

diate indiderit, quin ille ullum studium ad eas notitias comparandas adhibuerit. Imo concedimus etiam, unum alterumve locum commodius explicari, si supponatur, hagiographum inspirationis non sibi conscius fuisse. At negamus, ex obiectis locis quidquam contra illum positivum et antecedentem influxum divinum, in quo essentiam inspirationis consistere diximus, concludi posse. Consideremus singula. Sane:

Ad 1. Inspiratio componitur cum *studio* et *labore* hagiographi. Inspiratio ad scribendum enim est species gratiae divinae, quae *cooperationem* hominis non excludit, sed supponit et elevat.

Ad 2. Auctor libri Machabaeorum utique fatetur, se libros Iasonis tamquam fontes adhibuisse, minime vero dicit, se eos tantum *excerpsisse*. Comparat enim se ad Iasonem sicut pictorem ad architectum; pictor autem non excerpit architectum. Sed dato etiam, licet non concesso, praefatum librum esse merum compendium seu excerptum ex libro aliquo profano; neque sic de inspiratione actum esset. Nam, ut iam alibi observavimus (221), non repugnat absolute loquendo, ut aliqua sententia vera humanitus scripta etiam divinitus inspiretur.<sup>1)</sup>

Ad 3. Falsum denique est, quod auctor libri Machabaeorum suo operi tantum auctoritatem *humanam* vindicat. In textu enim: *veritatem de singulis auctoribus concedentes*, vox *veritas* non opponitur *falsitati*, sed *brevitati*. Sensus scilicet est: veram et accuratam narrationem de singulis relinquimus aliis auctoribus, nos autem brevitati consulimus. Hic sensus tum ex contextu, tum ex graeco *διακριβοῦν περὶ ἐκάστων* manifesto colligitur. Pariter in conclusione libri (15, 39) non agitur de operis *auctoritate*, quae ex veritate et certitudine dictorum oritur, sed de eius *perfectione* in modo dicendi. Hagiographus in verbis obiectis non se excusat, quasi minus recte vel vere, sed «si minus *digne*» (ἐντέλως καὶ μετρίως), i. e. stylo minus ornato scrip-

<sup>1)</sup> Fatemur tamen hoc, licet per se non repugnet, minus fortasse decere divinam maiestatem, praesertim quoad librum integrum (Cf. Franzelin l. c. th. 4, II. 4.)

serit. Hoc autem non concludit contra inspirationem sententiarum, sed contra inspirationem verborum, quam nos non defendimus.<sup>1)</sup>

Ad 4. respondeo. Verba Apostoli (I. Cor. 7, 12): *ceteris ego dico, non Dominus*, exprimunt quidem illud praeceptum non esse praeceptum dominicum; non autem exprimunt, Paulum illa non scripsisse ex *divina inspiratione*. Ad ea vero, quae (II. Cor. 7, 8) obiiciuntur, observo: Apostolus imprimis non absolute sed hypothetice dicit, *etsi poeniteret*. Praeterea *poenitere* ibi non exprimit *resipiscere*, sed *tristari*; sicut pater tristatur, cum filios dolentes videt. — Cum demum Paulus (ib. 11, 21) fatetur, se *insipienter* vel in *insipientia* aliquid scripsisse, his verbis non *verae* insipientiae se accusat, sed *apparentem* insipientiam excusat. Cum enim seipsum laudare per se stultum sit, Apostolus se excusat, quod coactus se ipsum laudaverit, et *quasi* insipienter egerit. Prius enim dixerat: *Iterum dico, ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me* (v. 16).<sup>2)</sup>

Ad 5. Respondeo paucis: a) In Scriptura utique continentur sermones *impii*, quos tamen sacri scriptores non in propria sententia, sed historicorum more proferunt. Non ergo verba in se, sed eorum relatio est inspirata. — b) Negandum est, in Scriptura contineri simpliciter *obscoena* et *scandalosa*; ast concedi debet, non omnia pro omnibus scripta esse, nec omnia ab omnibus legi oportere. — c) *Imprecationes* et *maledicta*, quae hinc inde praecipue in psalmis et prophetis leguntur, sunt vel admonitiones et increpationes vehementiores ex zelo et caritate ad malorum emendationem prolatae; vel sunt impendentium malorum praedictiones. Hebraeis enim familiare erat, ut imperativo vel optativo modo uterentur pro futuro tempore, et vicissim. Secundum quosdam auctores istae imprecationes ex spiritu theocratico A. T. vel etiam ex conceptu imperfectae mo-

---

<sup>1)</sup> Cf. Patrizi, De Scripturis divinis § 4; Schmid l. c. n. 108 sqq., ubi difficultates ex libro Machabaeorum contra inspirationem petitae solide et erudite enucleantur.

<sup>2)</sup> Cf. Melch. Can. l. c. l. 2. c. 18. ad 3.

ralitatis explicandae sunt. — d) Non repugnat, ut s. scriptor ad res, de quibus agit, illustrandas adhibeat *falsas opiniones vulgi, fabulas mythologicas et ritus religiosos gentilium*, dummodo nec directe nec indirecte approbentur. Nullibi autem in Scriptura talis approbatio erroris vel vitii reperitur. — e) Scriptura non *dubitanter* aliquid tradit; utique vero aliquando nonnullas circumstantias *indeterminatas* relinquit (Luc. 3, 23; Ioan. 2, 6 etc.). Noluit enim Spiritus s. per s. Scripturam omnia accurate determinare, sed maluit sese accomodare narrandi rationi apud homines usitatae. — f) Nullus *error* est in s. Scriptura, *nulla falsitas, nulla vera contradictio*. Ast singulos huiusmodi textus, qui ab adversariis carpuntur, examinare et defendere non pertinet ad compendium theologicum, sed ad opera biblica. Impossibile quoque est, ut Deus sit auctor erroris aut vitii; neque loca ab adversariis obiecta demonstrant, quod Deus positive et directe homines unquam deciperit vel decipere possit. Qua in re lectorem ad Theologiam specialem remittimus.<sup>1)</sup>

B. *Obiectiones ex Patribus* huc ferme revocantur:

1. Hagiographos «aliquando a Deo, aliquando a seipsis loqui». <sup>2)</sup>

2. Eos aliquando «humano modo disserere;»<sup>3)</sup> aliquid «humani ipsis accidere;»<sup>4)</sup> quaedam «propter fragilitatem humanam, non a Deo scripta esse». <sup>5)</sup> Imo

3. Scriptores sacros aliquando non secundum «rei veritatem» sed iuxta opinionem illius temporis referre;<sup>6)</sup> aliquando vero memoriae suae nimis fidentes, «unum verbum pro alio posuisse;»<sup>7)</sup> etiam veros prophetas interdum falsa dicere posse et revera dixisse.<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Melch. Can. l. 2. c. 3; Egger, Enchir. Th. sp. n. 62.

<sup>2)</sup> Basil. contra Eunom. l. 5. c. paenult.; Origen. in Num. hom. 16. n. 4.

<sup>3)</sup> Chrysost. in Act. Apost. hom. 49.

<sup>4)</sup> Hieron. ad Gal. c. 5. v. 12.

<sup>5)</sup> Ambr. in Luc. l. 8. n. 7 et 8.

<sup>6)</sup> Hieron. in Ierem. c. 28. v. 10.

<sup>7)</sup> Id. in Mich. c. 5.

<sup>8)</sup> Greg. M. in II. Reg. VII. v. 3. Cf. Denzinger, Bücher von der relig. Erkenntnis B. 2. n. 118.

Resp. Omnes Patres, qui nobis opponuntur, aliis in locis s. Scripturae inspirationem docuerunt. Quare absque necessitate supponi non debet, Patres his locis communi doctrinae Ecclesiae et sibimetipsis contradicere. Nulla autem est necessitas hoc supponendi; licet unum alterumve testimonium duriusculum esse non diffiteamur.

Nam ad 1. Haec duo: «s. scriptor a seipso loquitur,» et «s. scriptor non est inspiratus,» non sunt identica. Non repugnat enim, ut Spiritus s. hagiographo inspiret, ut ea, quae ex seipso locutus est, conscribat.

Ad 2. Distinguendum est inter ipsam *rem* et *scriptionem* rei. Nonnulla sunt in Scriptura, quae non habent Deum auctorem quoad *rem*, utique vero quoad *scriptionem*. Praeterea significare volunt Patres, in Scriptura nonnunquam exprimi affectus auctoris humani aut alterius personae, quae loquitur; licet illi affectus humanam fragilitatem sapiant. Cur enim Spiritus sanctus, qui in hoc negotio inspirationis adeo se attemperavit communi modo loquendi, non possit hagiographo inspirare, ut etiam suos affectus conscribat?

Ad 3. Scriptura nonnumquam aliqua continet, quae falsa sunt, *non simpliciter* et secundum mentem hagiographi, sed *secundum opinionem aliorum*. Sic Ioseph pater Domini vocabatur, utique non secundum rei veritatem; sed «iuxta opinionem illius temporis,» ut Hieronymus dicit. — Ad alterum locum adverte, Hieronymum ibi non ex propria, sed ex aliena sententia loqui, ut ex contextu apparet; dicit enim: «Sunt, qui asserunt in omnibus fere testimoniis, quae de veteri testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur aut verba et interdum sensus quoque ipse diversus sit, Apostolis non ex libro etc.» — Gregorius M. vero non agit directe de Scriptura aut scriptoribus sacris, sed de prophetis, qui oretenus loquuntur. Gregorius videlicet nil aliud dicit, quam fieri posse, ut prophetae aliquando per errorem credant, ex inspiratione se loqui; dum reapse inspirati non sunt, et ita decipiuntur.

C. *Ex ratione* obiciunt:

1. Finis inspirationis est, ut homines edoceantur veri-

tates religiosas. Ergo quidquid ad religionem non pertinet, inspiratum non est.

2. Certè ipse Apostolus omnia ad nostram doctrinam et utilitatem et spem scripta esse testatur (II. Tim. 3, 16 sq.; Rom. 15, 4). Quid vero penula Pauli, quid canis Tobiae et aliae sexcentae huiusmodi minutiae ad nostram spem et doctrinam ac supernaturalem utilitatem conferunt? Imo

3. istarum minutiarum inspiratio divinam maiestatem plane dedecere videtur.

Resp. ad 1. Nego suppositum. Obiectio supponit enim, a *priore* determinandum esse, quid inspiratum sit, quid tale non sit. Hoc autem falsum est. Inspiratio enim, quae a libera Dei voluntate omnino pendet, unice ex fontibus revelationis constare potest; isti autem nos docent, Scripturam cum *omnibus* suis partibus inspiratam esse. Nihil ergo excludendum est ab inspiratione, licet non appareat, cur aliquid a Deo inspiratum fuerit. Praeterea, licet Deus generi humano revelationem per modum catechismi aut codicis legalis dare potuisset; maluit tamen eligere formam *historicam* et magis *familiarem* epistolarum, ubi necessario quaedam occurrunt, quae non immediate ad religionem, sed potius ad vitam communem pertinent, et per se minuta esse videntur. Pulchre s. Augustinus<sup>1)</sup> ait: «Non sane omnia, quae (in Scriptura) gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea, quae nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria: et soli nervi in citharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed ut aptari possint, adsunt et cetera in compagibus organorum, quae non percutiuntur a canentibus, sed ea, quae percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur et aliqua, quae nihil significant, sed quibus adhaereant, quae significant, et quodammodo religuntur.»

Ad 2. Imprimis iterum moneo, non ex utilitate inspira-

---

<sup>1)</sup> De Civ. Dei l. 16. c. 2. n. 3.

tionem, sed ex inspiratione utilitatem essa inferendam. Hoc modo etiam Paulus procedit. Licet ergo utilitas alicuius textus non statim in oculos incidat, non ideo neganda est inspiratio. Verum enimvero nullus est textus, cuius non sit multiplex utilitas. Sane  $\alpha$ ) omnes textus concurrunt ad unum librum integrum constituendum, in quo ex dictis profana ad religiosa sicut cortex ad nucleum, et sicut corpus ad animam se habent.  $\beta$ ) Libri inspirati sunt etiam libri historici, ac praeter divinam etiam auctoritatem *historicam* habent. Sine textibus profanis autem haec auctoritas historica, quae contra incredulos perutilis est et praeambula auctoritatis divinae, s. Scripturae deesset.  $\gamma$ ) Attento insuper modo, quo Patres ss. libros interpretantur et usui ecclesiastico accomodant, vix ullus invenietur locus, qui sensu vel litterali, vel mystico, vel saltem accomodato religioni et pietati non serviat.<sup>1)</sup>  $\delta$ ) Denique profana, quae religiosis admiscuntur, efficiunt, ut longe facilius et cum maiore gustu s. Scriptura legatur.

Ad 3. objectionem iam Hieronymi responsionem audivimus: videlicet si Deum parva dedecerent, etiam cum Marcione alium creatorem vermium et culicum, alium caeli et angelorum introducere deberemus. Certe si Deum non dedecet cum *hominibus* loqui, nec *modo humano* cum ipsis loqui dedecebit. Sicut Verbum Dei incarnatum etiam hominibus per omnia assimilatum est, excepto peccato: ita verbum Dei scriptum libris humanis per omnia simile factum est, excepto errore. Sed de hoc non minus, quam de illo valet illud Christi: *beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me* (Matth. 11, 6).

## CAPUT II.

### De canone s. Scripturae.

228 Parum nosse prodesset, s. Scripturam generatim esse inspiratam, nisi sciremus, quinam libri in concreto ad s. Scripturam pertineant. Hinc quaestio de catalogo seu de *canone* librorum sacrorum summi momenti est; maxime propter adversarios, qui canonem catholicum impugnarunt.

<sup>1)</sup> Cf. Schmid l. c. n. 33.

Nam  $\alpha$ ) antiqui haeretici libros apocryphos in canonem inserebant.<sup>1)</sup>  $\beta$ ) E contrario Iudaei non solum omnes libros Novi Testamenti, ut per se patet, sed etiam plures Veteris expunxerunt.<sup>2)</sup>  $\gamma$ ) Reformatores saec. 16. plures tam Veteris quam Novi Testamenti libros ex canone Ecclesiae reiecerunt.  $\delta$ ) Immo etiam inter Catholicos aliquando dubium de pluribus libris movebatur. Hinc distinctio inter libros *protocanonicos* et *deuterocanonicos* invaluit. Appellantur scilicet protocanonici, qui in Ecclesia semper tamquam canonici spectabantur; deuterocanonici, de quorum inspiratione in ipsa Ecclesia aliquando dubitabatur. Ad deuterocanonicos pertinent e Vetere Testamento: Baruch, Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus et duo libri Machabaeorum cum cantico trium puerorum (Dan. 3, 24—90), cum historia Susannae et Beli et draconis (ib. cc. 13 et 14), nec non historia Esther (a cap. 10, 4 usque ad c. 16, 24). In Novo Testamento: Epistola ad Hebraeos, secunda Petri, secunda et tertia Ioannis cum eius Apocalypsi, epistola Iacobi et Iudae, et quaedam partes Evangeliorum (scil. Marc. 16, 9 usque ad finem, Luc. 22, 43—44; Ioan. 5, 4 et 7, 53—8, 11; I. Ioan. 5, 7).

Ad vindicandum canonem catholicum  $\alpha$ ) generatim ostendemus, quibus criteriis inspiratio alicuius libri cognoscatur;  $\beta$ ) veritatem canonis Tridentini demonstrabimus.

## ARTICULUS I.

### De criteriis inspirationis.

1. *De criteriis negativis.* Haec criteria indicant, librum aliquem, de cuius inspiratione forte quaeritur, *non esse inspiratum*. Ea peti possunt ex materia et tempore

<sup>1)</sup> Irenaeus (Adv. haer. l. 1 c. 20 n. 1) testatur, haeticos «inenarrabilem multitudinem» apocrypharum et perperarum (νόθων) scripturarum finxisse.

<sup>2)</sup> Distinguendus tamen est canon *Esdrinus* vel *Palaestinensis*, quo Iudaei hodie utuntur; et canon *Alexandrinus* seu *Hellenistarum*. In illo soli libri protocanonici habentur; at in canone graeco 70 interpretum, quo Iudaei Alexandrini utebantur, omnes deuterocanonici immixti sunt. Cf. Cornely, *Histor. et crit. Introd. in U. T. libros sacros* vol. 1 p. 1 c. 2 § 3 (ed. 2 Paris. 1894 sqq.)

scriptionis, ex persona scriptoris, et maxime ex testimonio Ecclesiae. Itaque:

a. Primum indicium negativum ex *materia* libri petitur. Si enim liber aliquis *evidenter* errores continet, vel inter se aut cum aliis libris inspiratis pugnantia dicit, aut pietati et bonis moribus opponitur: tunc inspiratus esse non potest. Res per se patet.

b. Aliud indicium ex *tempore scriptiois desumitur*; scilicet liber, qui post *tempora apostolica* scriptus est, eo ipso ex canone librorum inspiratorum excluditur. Revelatio catholica enim Ecclesiae facta cum Apostolis conclusa est (197). Atqui inspiratio non solum s. Scripturae generatim, sed singulorum librorum ad revelationem et depositum fidei pertinet. Si ergo post tempora apostolica liber aliquis inspiratus et Ecclesiae ut talis traditus fuisset, novum dogma, quod non est ex revelatione apostolica, constitueretur. — Ex hac sola ratione apparet, nec librum „*Pastor*” *Hermae* adscriptum, nec *constitutiones apostolicas*, nec punctationem *masorethicam*, nec quasdam *inscriptiones Psalmorum* inspiratas esse; quippe quae omnia recentiora sint temporibus apostolicis. Ex eadem ratione versio Vulgata qua talis non potest esse inspirata; contra ac unus alterve antiquus Theologus, e. g. Mariana existimavit.<sup>1)</sup>

c. *Declaratio Ecclesiae*, librum aliquem apocryphum esse, praecipuum criterium negativum constituit. Hac de causa liber III et IV Esdrae et I. III Machabaeorum non possunt haberi ut inspirati; contra ac non nemo existimavit. Licet enim Ecclesia directe eos ex canone non excluderit, id tamen satis clare indirecte fecit. Non solum enim Ecclesia nunquam praefatos libros in canonem s. Scriptu-

---

<sup>1)</sup> Aliter de versione Septuaginta iudicari debet, quae utique saltem inspirata esse *posset*, quia tunc charisma inspirationis nondum desierat. Immo Augustinus (De civit. Dei I. 18 c. 43) revera eam inspiratam putavit: «Quidquid est apud Septuaginta, in hebraeis autem codicibus non est, per istos ea maluit quam per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens, utrosque fuisse prophetas.» Cf. Schmid I. c. n. 325. Septuaginta, ut per se patet, de inspiratione participat, inquantum originali textui est conformis, etiamsi vulgaris narratio de origine huius versionis inter fabulas computanda sit.

rae recepit; sed neque usu practico ut libros inspiratos eos unquam agnovit.<sup>1)</sup>

d. Aliud indicium ex *persona* auctoris petitur. Absolute loquendo non repugnat quidem, ut Deus etiam per hominem perversum librum s. conscribat, sicut etiam per homines pravos, e. g. per Balaam et Caiphā prophetavit (cf. Num. 22—24; Ioan. 11, 49—51; Matth. 27, 37). Agitur enim de charismate gratis dato.<sup>2)</sup> Nihilominus ex lege ordinaria Deus huiusmodi charismata nonnisi hominibus sanctis concedere solet; et ex inductione completa constat, reapse omnes hagiographos revera fuisse viros sanctos. Ex hac causa nonnulli Patres Apocalypsin reiecerunt, quia illam ab haeretico Cerintho confictam putabant.<sup>3)</sup>

e. Negativum criterium ex loco originis vel ex lingua, quod Iudaei palaestinenses adhibuerunt, omnino non est sufficiens.

2. *De criteriis positivis.* Dum criteria negativa indicant, librum aliquem non esse inspiratum, criteria positiva indicant, vel saltem indicare deberent, quales libri *revera* inspirati sint, seu quinam libri ad canonem Scripturae pertineant. Distinguere possumus criteria *subiectiva* et *obiectiva*; obiectiva iterum in *interna* et *externa*. 230

Haud pauci Reformatores criterium mere subiectivum statuerunt, eo quod Spiritus sanctus pio lectori immediate divinitatem Scripturae testetur. Hinc Scripturam *αὐτόπιστον*, i. e. ex se ipsa credibilem appellat *Calvinus*.<sup>4)</sup> Ad hoc immediatum testimonium Spiritus sancti revocatur etiam argumentum ex *gustu aliisque effectibus subiectivis*, quos Spiritus sanctus in corde pii lectoris producit; ad quod argumentum iam *Lutherus* et synodus *Dordracensis* et postea

1) Cf. Schmid, l. c. n. 330. 359.

2) Cf. Egger, Dogmat. special. n. 339, 4.

3) Cf. Epiph., Haer. 51 n. 3. 32.

4) Instit. l. 1 c. 7 n. 5: s. Scriptura «est αὐτόπιστος, neque demonstrationibus et rationibus eam subiicere fas est; quam tamen meretur apud nos certitudinem, Spiritus testimonio consequitur».

*Pietistae et Enthusiastae* provocaverunt.<sup>1)</sup> — Alii vero ex Protestantibus concedunt necessitatem *criteriorum obiectivorum*, et quidem *interna* repetunt ex indole s. Scripturae. Triplex enim criterium ipsi Scripturae inhaerere existimant: α) *historicum*, quod constituunt in miraculis et prophetiis in Scriptura comprehensis; β) *dogmaticum*, collocatum in sanctitate, congruentia et consensione doctrinae hisce libris contentae; et γ) *aestheticum*, quod in simplicitate unicum sublimitate dictionis reponunt.

Alii inspirationem probare volunt criteriis obiectivis *externis* scl. aut ex *persona* et *munere* scriptorum, aut ex *traditione Iudaeorum* et ex *testimonio Christi et Apostolorum*. Inspirationem enim librorum Veteris Testamenti probant ex traditione Iudaeorum, et ex approbatione eiusdem per Christum et Apostolos. Pro libris Novi Testamenti, qui ab Apostolis conscripti sunt, ad munus apostolicum, cui charisma infallibilitatis annexum erat, provocant; ita e. g. *Michaelis*.<sup>2)</sup>

E contrario *Catholici* docent, factum inspirationis eiusque extensionem seu canonem non aliunde quam ex *traditione divina* constare posse. Primo igitur Protestantes refutabimus, deinde dogma catholicum stabiliemus.

231 **Thesis 59.** *Canon s. Scripturae neque ἀντόπιστος est; neque ex criteriis Protestantium singillatim vel collective sumptis probari potest.*

**A.** *Non sufficiunt criteria subiectiva.*

S. Scriptura non est ἀντόπιστος seu immediate credibilis per testimonium Spiritus s. aut per effectus in lectoribus productos. Hoc figmentum

1. sine *ratione* confictum est; ideoque gratis assertum gratis negatur.

2. Fanatismo latam viam aperit. Hoc modo enim omnes libri apocryphi per provocationem ad eorum ἀντοπιστίαν

<sup>1)</sup> Sic synodus Dordracensis dicit: «Hos solos libros pro sacris et canonicis recipimus, idque non tam quod Ecclesia eos approbat vel recipit, sed quod Spiritus s. in cordibus nostris testatur a Deo profectos esse.»

<sup>2)</sup> Introd. in N. T. t. 1 c. 3.

in canonem intrudi possent; immo ipsi Mohametani, quem-admodum Protestans *Michaelis*<sup>1)</sup> fatetur, hoc unico argumento divinitatem Corani atque sectae mohameticae probant.

3. Sicut ex praetenso illo testimonio Spiritus sancti libri apocryphi in canonem intrudi, ita genuini propter defectum talis testimonii ex eo expungi possent. Quis enim effectus illos mirabiles in lectione epistolae ad Philemonem, vel in lectione genealogiarum (I Paral. c. 1—10) et similium partium Scripturae in se experitur? — His tamen negare nolumus salutare effectus atque etiam gustum spirituale, quos pia lectio et meditatio Scripturae in mente fidelium producere solet. Verum isti effectus nec semper nec in omnibus nec ab omnibus partibus Scripturae nec a sola Scriptura producuntur; ideoque criterium inspirationis constituere non possunt.

**B. Protestantium criteria obiectiva ad cognoscendum inspirationis factum et extensionem non sufficiunt.** 232

1. *Non sufficiunt criteria interna ex indole Scripturae:*  
**a.** Quia non sunt *exclusiva*, i. e. non *soli* et *omni* libro inspirato conveniunt. Non enim omnes libri s. Scripturae miracula et prophetias referunt, aut doctrinam sublimem et gustu plenam continent, aut stylo, qui ab aliis libris notabiliter differat, conscripti sunt. Vicissim multi alii libri reperiuntur, quibus aequae vel fortasse etiam magis characteres enuntiati quadrant. Exempla obvia prostant. — **b.** Quia sunt *vaga* et *indeterminata*. Quis enim gradum determinabit, quo istae qualitates libro inesse debent, ut ad contestandam eius inspirationem sufficiant? Quomodo simplices et rudes fideles criterium historicum aut theologicum aut aestheticum intelligent et examinabunt? Et tamen etiam rudes criterio egent ad cognoscendam s. Scripturam, praesertim in hypothesis Protestantium, quibus Scriptura est unica norma credendi.

**Obiectio.** Etiam Patres et graves Theologi haec criteria *interna* ad probandam Scripturae inspirationem adhibuerunt. Ipse e. g. *Bellarminus*<sup>2)</sup> scribit: «Ecclesia potest de-

<sup>1)</sup> L. c.

<sup>2)</sup> De verbo Dei l. 1 c. 10 ad 2.

clarare, quis sit liber habendus canonicus, et hoc non temere nec pro arbitrato, sed ex veterum testimoniis et similitudine librorum, de quibus ambigitur, cum illis, de quibus non ambigitur, ac demum ex communi sensu et quasi gustu populi christiani.» — Resp. *Dist. antecedens*: Patres et Theologi adhibent haec criteria ad *confirmationem* inspirationis, quae ex testimonio Ecclesiae iam certo constat, C.; ad proprie dictam et *per se sufficientem demonstrationem* inspirationis, N. Distinctionis datae veritas ex ipso loco obiecto Bellarmini consequitur, quippe qui ad declarationem Ecclesiae provocet: «Ecclesia potest declarare.» Ecclesia autem primario ex «testimoniis veterum», et non nisi secundario ex consonantia doctrinae vel ex sensu ac gustu fidelium inspirationem diiudicat. Hac ultima expressione autem Bellarminus non intelligit gustum subiectivum et fictitium Lutheri et Pietistarum, sed «sensum fidelium», qui est unum ex criteriis traditionis (192).<sup>1)</sup>

233 2. *Neque ad traditionem Iudaeorum approbationem-que Christi et Apostolorum Protestantes provocare possunt.*

Ut hoc rite intelligatur et probetur, attende quae sequuntur:

a. Concedimus, ex traditione Iudaeorum et ex testimonio Christi et Apostolorum, in scriptis apostolicis conservato, libros veteris Testamenti, immo et nonnullos novi probari posse. Iudaei enim omnes libros, quos nunc in suo canone habent, certe iam tempore Christi habuerunt. Hoc non solum ex Patribus, sed etiam ex testimonio domestico Iosephi Flavii constat. Pariter certum est, Christum et Apostolos fidem Iudaeorum circa inspirationem Scripturae approbasse, ac non solum generatim ad legem, prophetas et psalmos, sed nominatim pene ad omnes libros canonis iudaici tamquam ad libros divinos provocasse (211 sq). Immo b. Petrus (II ep. 3, 15 sq) etiam epistolas Pauli s. Scripturae, quo nomine semper libri inspirati veniunt, adnumerat: *sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quae-*

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin l. c. thesi 5 II.

*dam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas (ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς), ad suam ipsorum perditionem.* Paulus etiam (1 Tim. 5, 18) satis clare ad Evangelium Lucae (10, 7) alludit, illudque ut Scripturam sanctam allegat. Ergo ex traditione historica et ex s. Scriptura mere *historice* spectata colligitur inspiratio librorum saltem protocanonicorum veteris et plurium novi Testamenti.

b. Atvero hoc criterium nec pro *tota* Scriptura valet, nec generatim *ad fidem* sufficit. Non valet pro tota Scriptura; ut de libris N. T. per se liquet. Praeter epistolas Paulinas et Evangelium Lucae enim alii ab omnibus Christianis libri inspirati admittuntur, in quorum favorem ex s. Scriptura nihil extundi potest. Quoad libros verò V. T. utique plures a Christo et Apostolis ut verbum Dei allegantur; nullibi vero dicitur, hos *solos* inspiratos fuisse. Quare etiam canon V. T. ex hoc unico criterio non omnino constat; ideoque nec ad scientificam demonstrationem, multo vero minus ad *fidem* sufficit. Numquid enim simplices fideles innumeras quaestiones, quae circa canonem moveri possunt ac revera moventur, per artem criticam solvere poterunt? Utinam prius viri docti eas solverent!

c. Minus adhuc *Protestantes* ad praefatum criterium appellare possunt. Sane nos argumentum ita instruximus: Ex Scriptura mere *historice* spectata certe demonstratur missio divina et veracitas Christi et Apostolorum; certe item demonstratur, Christum et Apostolos nonnullis libris auctoritatem divinam attribuere. Ergo isti libri revera auctoritate divina gaudent. Protestantes autem hoc argumento uti nequeunt. Ex eorum doctrina enim unica regula fidei est Scriptura formaliter talis, i. e. qua *verbum Dei scriptum*. Nihil ergo iuxta ipsos credendum est, nisi quod in verbo Dei scripto continetur, ac proinde Scriptura cuivis dogmati *praesupponitur*. Atqui unum, immo principale dogma pro Protestantibus hoc est, Scripturam esse verbum Dei. Ergo hoc dogma vel sine fundamento admittunt, vel illud per evidentem circulum vitiosum sibi ipsi praesupponunt.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin l. c. thesi 8.

234      3. *Neque ex munere apostolico Protestantes inspirationem Scripturae demonstrare possunt.*

Ante omnia hoc ex dictis consequitur; quia iuxta Protestantes nihil credi debet, nisi quod scriptum est et quia scriptum est. In Scriptura autem non legitur, cum munere apostolatus coniunctum fuisse charisma inspirationis. Ergo Protestantes pro inspiratione Scripturae ad munus apostolicum provocare nequeunt. — Sed hoc etiam expresse demonstratur.

Sane a. aliud est charisma apostolatus, aliud charisma inspirationis. Apostolatus enim importat infallibilitatem in revelanda doctrina christiana; inspiratio importat praerogativam scribendi id omne et solum, quod Deus scribere iubet. Apostoli autem utique infallibiles erant in omnibus, quae munus eorum spectabant, tam in praedicando quam in scribendo; in aliis rebus autem infallibiles non erant, saltem talis infallibilitas gratuito assereretur. Scriptura autem a Deo inspirata integra infallibilis est.

b. Etsi cum munere Apostoli nexum esset munus scriptoris inspirati, nondum probatum esset, eum semper et necessario hoc charismate uti, neque alios quam libros inspiratos conscribere voluisse ac debuisse. Proinde demonstrandum relinqueretur, Paulum e. g. praecise in scribenda epistola ad Romanos fuisse inspiratum. Iuxta *Augustinum* etiam hagiographi «alia sicut hominis historica diligentia, alia sicut prophetae inspiratione divina» scribere potuerunt.<sup>1)</sup>

c. Haec confirmantur ipso *facto*. Non enim omnes Apostoli scripserunt libros inspiratos, neque omnes scriptores inspirati erant Apostoli, neque omnia scripta Apostolorum inspirata erant. Profecto, sic dicta epistola Barnabae licet ab antiquis communiter huic Apostolo adscriberetur, nunquam tamen in canonem relata fuit; utique vero ad eum pertinent Evangelium Marci et Lucae. Ergo ex solo munere apostolatus non probatur cum certitudine inspiratio vel *unius* libri; minus adhuc *omnes*, minime vero *omnes* et *soli* libri inspirati ex munere hagiographi probari valent.

---

<sup>1)</sup> De civit. Dei l. 18 c. 38.

Quod de munere apostolico dictum est, mutatis mutandis etiam de munere *prophético* valet.

**Thesis 60.** *Integer canon ex sola traditione divina certe cognoscitur, infallibiliterque ab Ecclesia proponitur.* 235

1. Hoc *per viam exclusionis* tamquam corollarium ex praecedentibus sequitur. Si enim Protestantes, reiecta Ecclesia, nullum amplius verum et sufficiens criterium inspirationis reperire potuerunt, quid aliud restat, quam ut canon ab Ecclesia discatur? Ecclesia autem ipsa canonem ex traditione habuit. Ex traditione ergo verum canonem discere debemus.

2. Idem probatur *positive*. Inspiratio enim est dogma fidei. Atqui dogmata fidei non aliunde, quam ex testimonio divino seu ex revelatione hauriri possunt. Ergo etiam inspiratio seu in concreto libri inspirati non aliunde, quam ex *revelatione* nobis innotescere possunt. Revelatio autem duplici via ad nos derivatur, per s. Scripturam et traditionem divinam. Ergo etiam dogma inspirationis et canon Scripturae ex alterutro horum fontium hauriri debent. Non possumus autem ad hoc dogma probandum uti s. Scriptura, *qua libro inspirato*, quia id *praecise est, de quo quaeritur*; ex Scriptura autem tamquam libro *historico* aliqui tantum libri sacri, non integer canon nec modo omnibus fidelibus accommo innotescunt (233). Ergo canon Scripturae non aliunde certo et sufficienter probari potest, quam ex traditione divina.

3. Idem confirmatur, si genetice canonem consideramus. Canon enim in ultima analysi originem ducit ex inspiratione hagiographi, quae est factum *internum et supernaturale*, quod per se nonnisi ipse s. scriptor nosse et testari potest. At hoc testimonium non est infallibile neque ad fidem divinam catholicam sufficit, nisi Deus ipse veluti sigillum apponat per miracula et prophetias, et praecipue per approbationem alicuius legati divini. Sic libri V. T. per prophetas synagogae, et totus canon V. et N. T. per Christum et Apostolos Ecclesiae traditi, et per magisterium infallibile ad nos usque incorrupte propagati sunt.

Quapropter tota quaestio de canone huc tandem redit: Quid de illo docet et docuit Ecclesia?<sup>1)</sup>

4. Emphatice hoc enuntiat *Augustinus*:<sup>2)</sup> «Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas... qua infirmata iam nec Evangelio credere potero.» Cui consonant reliqui Patres. Iam *Irenaeus*<sup>3)</sup> scripsit: «Omnis sermo ei constabit, si et Scripturas *diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est Apostolorum doctrina.*» Similiter dixerunt *Tertullianus* (171) et *Cyrillus Hieros.*:<sup>4)</sup> «Studiose itaque *ab Ecclesia, quoniam Veteris Testamenti libri, qui vero Novi sint, disce... Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus; multo prudentiores et religiosiores te erant Apostoli et veteres episcopi Ecclesiae rectores, qui eos tradiderunt; tu ergo filius Ecclesiae cum sis, ne leges positas transverte.*» Conc. *Toletanum* I (a. 447) can. 12 diserte statuit: «Si quis dixerit vel crediderit, alias scripturas, praeter quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit.»<sup>5)</sup> Denique Leo XIII. docet («Providentissimus Deus»), quod s. Scripturae auctoritatem «nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae».

**Corollarium.** Quamvis omnes Catholici concedant, canonem s. Scripturae nonnisi ex magisterio Ecclesiae infalibiliter cognosci posse, controversia tamen aliqua est, quomodo Ecclesia ab Apostolis canonem didicerit: utrum videlicet inspirationem ex sola apostolica libri *origine* cog-

---

<sup>1)</sup> Nervose hoc expressit ep. Gasser, in relat. ad cap. 2. schem. const. de fid. cath. (Coll. Lacens. pg. 142): «Ut Ecclesia de fide credendum proponere possit, librum aliquem esse inspiratum, utique non solum debet esse haec scientia certa, sed debet etiam esse revelata; ut vero sit revelata, debet inveniri in deposito Ecclesiae, et ut inveniat in deposito Ecclesiae, utique deponi debuit a Iesu Christo, ab Apostolis» etc.

<sup>2)</sup> Contr. ep. fundam. c. 5.

<sup>3)</sup> Adv. haer. l. 4 c. 32 n. 1.

<sup>4)</sup> Catech. 4 n. 33. 35.

<sup>5)</sup> Denzinger 32. De vera origine huius canonis vide ipsum Denzinger pg. 15 not. 1.

noverit, an *expressum inspirationis testimonium* necessarium fuerit. Putant enim nonnulli, in munere apostolatus iam implicite contineri charisma inspirationis tam in praedicando quam in scribendo (theopneustiam et inspirationem strictam). Sicut ergo fideles praedicationem oralem Apostolorum ut verbum Dei suscipiebant, ita etiam eorum scripta propter solam originem apostolicam iam ut divinitus inspirata suscipiebant, quin aliud *expressum inspirationis testimonium* necessarium fuerit. Sed neque quoad Evangelium Marci et Lucae Actusque Apostolorum huiusmodi explicitum testimonium necessarium ducunt. Cum enim Marcus et Lucas essent comites individui Petri et Pauli, atque ab iis edocti iisque invigilantibus libros conscripserint, hoc sufficebat, ut isti libri ceu inspirati reciperentur.<sup>1)</sup> — Patroni huius sententiae duplici potissimum argumento innituntur. Primo, Apostoli, qui libros sacros conscripserunt, nunquam ad charisma aliquod speciale scribendi, sed generatim ad munus suum apostolicum provocant, ut ex initiis epistolarum apparet. Secundo, Patres in controversiis de canonicitate alicuius libri passim quaestionis solutionem ex sola eiusdem origine, utrum scilicet ab Apostolo vel discipulo apostolico an ab alio exaratus fuerit, petunt. Sic *Augustinus* de quibusdam apocryphis expresse dicit: «Quae si illorum (i. e. Apostolorum) essent, recepta essent ab Ecclesia.»<sup>2)</sup>

Communior tamen sententia tenet, solam originem apostolicam alicuius scripti non esse sufficiens inspirationis criterium, idque tum ex diversitate charismatum apostolatus et inspirationis tum ex ipso facto demonstravimus (234). Neque argumenta contraria quidquam probant. α) Apostoli enim non solum generatim ad munus apostolicum provocant, ut epistolis suis auctoritatem concilient; sed B. Petrus saltem epistolas Paulinas *expresse* s. Scripturae annumerat (II ep. 3, 15 sq). Merito ergo concluditur, eosdem etiam omnes alios libros N. T. fidelibus

<sup>1)</sup> Ita Schanz, *Apologie des Christentums*, 3. Aufl. S. 608 ff (Freiburg 1905).

<sup>2)</sup> Contr. adversar. legis l. 1 c. 20 n. 39; cf. De civit. Dei l. 18 c. 38.

tamquam partes sacrae Scripturae tradidisse. In hoc autem iam continetur aequivalens *testimonium* inspirationis. β) Quod autem Patres attinet, ii non simpliciter et universim munus apostolicum ut criterium inspirationis considerarunt. Hoc iam inde patet, quod omnes Patres Evangelium Lucae et Marci Actusque Apostolorum ut libros inspiratos habebant, epistolam Barnabae vero minime. Nihilominus polemica et ad hominem aliquando quaestionem de inspiratione ad quaestionem de persona auctoris revocabant. Hoc accidit e. g. de Apocalypsi, quam nonnulli reiiciebant; eo quod non ab Apostolo Ioanne, sed a Cerintho haeretico conscripta esset. Patres igitur, qui eius canonicitatem defendebant, non argumenta positiva et absoluta pro Apocalypsis inspiratione quaerebant, sed ad hominem arguentes ostendebant, eam revera ab Apostolis et non ab impostoribus scriptam fuisse, ac proinde nullam rationem adesse, eius inspirationem reiiciendi.<sup>1)</sup>

Multo vero minus inspiratio Evangelii Marci et Lucae Actuumque Apostolorum ex eo deduci potest, quod fuerint individui comites Petri et Pauli ab iisque edocti iisque invigilantibus libros conscripserint. Haec etenim teste *Leone XIII.* («*Providentissimus Deus*») minime sufficiunt, ut Deus auctor eorum librorum dicatur; sed «Spiritus sanctus supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae». Cum ergo talis operatio supernaturalis Spiritus sancti absque speciali revelatione a nemine sciri possit, necesse omnino fuit, ut Ecclesia expresse desuper edoceri deberet.<sup>2)</sup>

## ARTICULUS II.

### **Criterion applicatio ad canonem Tridentinum.**

236 Tota quaestio de canone Scripturae, ut iam vidimus,

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin th. 5 I; Schmid l. c. n. 343 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. Leitner, Die prophetische Inspiration (Freiburg 1896); Pesch, Theol. Zeitfragen 3. Folge S. 102 ff, De inspir. n. 625 sqq (contr. Schanz). —

eo tandem redit: Quid desuper docet et semper docuit Ecclesia? Ut responsio theologica detur, non solum doctrina praesentis magisterii Ecclesiae ad instructionem fidelium proponi, sed etiam documenta traditionis exhiberi debent (182), quibus *scientificè* apostolica origo canonis catholici demonstratur. Iudicium porro solemne magisterii ecclesiastici de amplitudine canonis exhibetur in conc. Tridentino et Vaticano. Conc. *Tridentinum* enim saepius allegatum, enumeratis septuaginta duobus libris tam proto- quam deuterocanonis, anathema dicit iis, qui hos libros *pro sacris et canonicis non susceperint*. Fuit utique unus alterve Theologus, qui etiam post conc. Tridentinum negaret, libros deuterocanonicos eiusdem auctoritatis esse ac protocanonicos;<sup>1)</sup> sed sine omni prorsus ratione. Concilium enim non solum libros primi et secundi canonis connumerat et permiscet, sed expresse docet, eos „*pari pietatis affectu et reverentia*” suscipiendos esse; rationem assignat, quia unus „*Deus est auctor utriusque testamenti*”; anathema dicit iis, qui praefatos libros cum omnibus suis partibus (sine ulla distinctione) pro sacris et canonicis non suscipiunt; ac tandem scopum huius suae declarationis indicat, scilicet ut «omnes intelligant, quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus (synodus) sit usura». Clarissima ergo est doctrina concilii, *eiusdem auctoritatis* esse libros proto- et deuterocanonicos; quae quidem omnia ex historia eiusdem concilii luculenter confirmantur.<sup>2)</sup>

Conc. *Vaticanum* (Const. de fide, can. 4 de revel.)<sup>3)</sup> decretum Tridentinum confirmavit et explicavit: «Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos s. synodus Tridentina recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos *divinitus inspiratos* esse negaverit, anathema sit.» Si ergo omnes libri pro sacris,

---

<sup>1)</sup> Sic Lamy (Appar. bibl., ed. 6 pg. 375), Dobmayer, (Syst. theol. cath. t. 4 app. § 24) et praesertim Iahn (Institut. I pg. 140), qui deuterocanonis minorem auctoritatem attribuerunt. Sixtus Senens. (Bibl. sacr. I pg. 44) saltem fragmenta Estheris a canone eicere voluit. Cf. Franzelin l. c. thesi 9; Cornely, Introd. vol. 1 n. 53.

<sup>2)</sup> Cf. Pallavicini, Hist. conc. Trid. l. 6 c. 1.

<sup>3)</sup> Denzinger 1809.

canonicis et inspiratis recipi debent, consequenter *eandem* omnes auctoritatem habent; auctoritas verbi Dei enim absoluta est nec gradus admittit. De his sincerum Catholicum ulterius dubitare non licet. — Procedimus ad demonstrationem *scientificam* canonis Tridentini.

237 **Thesis 61.** *Traditio inde ab Apostolis incepta, nunquam interrupta ac iugiter crescens, originem apostolicam canonis Tridentini invicte probat.*

Praenoto *α*): Ex scopo polemico traditionem tantummodo ut argumentum *historicum* urgemus; licet re ipsa etiam demonstrationem theologicam praebeat, eo quod consensus magisterii authentici inde elucet. — *β*) Demonstratio procedere potest primo *synthetice*, exhibitis nimirum documentis, in quibus integer canon collective exprimitur; secundo *analytice*, singulis libris singillatim prolatis. Quoniam vero controversia tantummodo de libris *deuterocanonicis* agitur, de his fere unice solliciti erimus. — *γ*) Propter ingentem multitudinem testimoniorum, quae in hac materia prostant, generalia principia indicare sufficiat, accuratiore expositione biblicis relicta.<sup>1)</sup>

Itaque 1. *synthetice* integer canon Tridentinus continetur:

**a.** In antiquissimis *catalogis*, propositis a concilio<sup>2)</sup> Hipponensi (a. 393),<sup>3)</sup> et a duobus Carthaginiensibus (a. 397 et 419). Eundem canonem recenset Innocentius I. (a. 405) in responsione ad quaesita Exsuperii Tolosani. Item Gelasius (a. 496) in concilio 70 episcoporum dicens, quod eum «sancta et catholica Romana suscipit et honorat Ecclesia». Concilium Trullanum (a. 692), quod a Graecis habitum est veluti continuatio concilii oecum. VI., pariter canonem Carthaginiensem recepit. Idem catalogus reperitur apud antiquos scriptores ecclesiasticos, inter quos sunt

<sup>1)</sup> Cf. Cornely, dissert. 1 cap. 1—4; Franzelin thesibus 10—18.

<sup>2)</sup> Num etiam Concilium Nicaenum I. (a. 325) canonem proposuerit, valde dubium est.

<sup>3)</sup> Hippon. (a. 393) ab episcopis totius Africae habitum in statuto 36 ita decernit: «Ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae Genesis», etc. (sequuntur omnes libri canonis Tridentini permixti usque ad Apocalypsim inclusive). Denzinger 92.

saec. 5. s. *Augustinus*,<sup>1)</sup> saec. 6. *Cassiodorus*,<sup>2)</sup> saec. 7. *Isidorus*,<sup>3)</sup> saec. 9. *Rabanus Maurus*; saec. 11. *Ivo Carnot.*; saec. 12. *Petrus Blessensis* etc.

b. Libri deuterocanonici existunt etiam in variis *versionibus*. Inter has longe eminet graeca 70 interpretum seu *alexandrina*, qua ipse Christus et Apostoli usi sunt. Dubium enim non est, Apostolos in suis allegationibus Veteris T. plerumque alexandrinam versionem esse secutos, eiusdem versionis usum neophytis permisisse, atque haud raro ad deuterocanonicos simili modo, quo ad protocanonicos, aluisse.<sup>4)</sup> Ex versione graeca immediate derivatae sunt: latina itala (s. 2.), coptica, aethiopica, syriaca (Peschito), armenica, slavonica.

c. Denique superstites sunt antiquissimi *codices* graeci, in quibus pariter libri deuterocanonici aequae ac protocanonicus habentur. Praecipui sunt: alexandrinus, vaticanus, sinaiticus Tischendorfii, Ephraemi rescriptus etc.

2. *Analytice* canon Tridentinus probatur illis locis, in quibus libri deuterocanonici *singillatim* sive *theoretice* sive *practice* tamquam divini agnoscuntur. Huc pertinet: 238

a. *Usus citandi*. Nullus quippe est liber deuterocanicus, qui non allegatur a Patribus sub formulis solemnibus: *scriptum est, secundum illud* (*κατὰ τὸ*), *Scriptura, sacra vel divina Scriptura, Spiritus s. in divina Scriptura dicit, dicit propheta, dicit Deus*. Huiusmodi allegationes occurrunt apud Patres *vetustissimos* ipsosque *apostolicos* passim; apud Patres *innumeros*, immo apud *omnes*, quorum scripta sat ampla supersunt; denique apud illos ipsos, qui *theoretice* de nonnullis dubium moverunt. Id clare indicat, fidem, ut ita dicam, practicam Ecclesiae de librorum deuterocanonicorum inspiratione nunquam vacillasse.<sup>5)</sup>

b. Idem apparet ex consuetudine ab Apostolis inducta,

1) De doctr. chr. l. 2 c. 8.

2) Div. instit. c. 1 sq.

3) Etymol. l. 6 c. 1.

4) Cf. Cornely l. c. n. 32, ubi hoc variis exemplis probat.

5) Testimonia haud pauca pro his assertionibus proferunt: Franzelin, Cornely II. cc., et praesertim Blanchini (Vind. can. Script.), ac Vincenzi (Sess. IV. conc. Trid. vindic.).

libros Veteris et Novi T. in *publicis conventibus legendi*. Licet enim in his conventibus alii etiam libri, ut acta martyrum, epistolae Pontificum et ss. Patrum legerentur, tamen in ipsis conciliis cautum erat: «ut praeter Scripturas canonicas nihil legatur *sub nomine divinarum Scripturarum*». Atqui in his conventibus publicis sub nomine divinarum Scripturarum *omnes* libri deuterocanonici legebantur.

c. Constat item ex *consensu ecclesiarum*, quae ab unitate catholica recesserunt. Nestoriani chaldaei enim, Monophysitae syri, aethiopici, armeni, copti etc. libros deuterocanonicos in suo canone habent. Photius et concilia recentiora Graecorum pariter cum Catholicis consentiunt. Atqui acerrimi isti inimici Ecclesiae latinae certe suum canonem non ab ea sumpserunt. Ergo eum iam ante suum schisma habuerunt. Canon Tridentinus ergo est canon antiquae Ecclesiae.<sup>1)</sup>

239 *Difficultates*, quibus traditionis argumentum de veritate canonis Tridentini debilitari vel omnino enervari videtur, sunt praecipue sequentes:

a. *Diversitas canonis Iudaeorum*. Improbabile enim est, Deum, qui synagogae revelaverat divinitatem librorum protocanonicorum, eidem celasse divinitatem deuterocanonicorum.

b. Canones *manci* a pluribus insignibus Patribus exhibiti, in quibus desunt libri deuterocanonici.

c. Immo expressa ablegatio istorum librorum inter *dubios et apocryphos*, facta ab iisdem Patribus; ita ut ipse *Augustinus* fateatur, «adversus contradictores non tanta firmitate proferri, quae scripta non sunt in canone Iudaeorum».<sup>2)</sup>

d. *Fluctuatio perdurans* etiam posterioribus tempori-

<sup>1)</sup> Adduci possent etiam monumenta artis christianae. Imagines enim, quibus antiqui Christiani hypogaea sua, sarcophaga ac vasa liturgica exornarunt, non minus frequenter ex secundi, quam ex primi canonis libris desumptae sunt. Frequenter conspiciuntur: Tobias cum Raphael, Daniel in lacu leonum, draco a Daniele occisus, Susanna, Iudith etc. Sed advertendum est artem christianam quandoque etiam ex fontibus legendariis hausisse.

<sup>2)</sup> De civit. Dei l. 17 c. 20 n. 1; cf. De doctr. christ. l. 2 c. 8 n. 12.

bus inter ipsos Scholasticos, ex quibus e. g. s. Antoninus, Caietanus aliique non eandem auctoritatem deuterocanonici ac protocanonici libris attribuerunt. Frustra ergo pro canone Tridentino ad traditionem provocatur; neque patres Tridentini sine nova revelatione libros deuterocanonicos catalogo s. Scripturae inserere potuerunt.

*Respondeo* 1. generatim. α) Ante omnia concedi oportet, traditionem circa canonicitatem nonnullorum librorum revera aliquando *obscuratam* fuisse. Dum enim primis tribus saeculis Ecclesia practico usu et pacifica possessione omnes libros deuterocanonicos ut divinos in suo canone habuit; successu temporis quaestiones sat graves de illis excitatae, pluresque Patres, praesertim s. *Hieronymus*, dubitanter et durius de eorum canonicitate locuti sunt. ρ) Sed haec fluctuatio imprimis orta non est ex maiorum traditione, sed ex causis *extrinsecis*; praesertim ex comparatione canonis ecclesiastici cum canone Iudaeorum quoad libros Veteris T., et ex abusu haereticorum quoad nonnullos libros Novi T., e. g. quoad epistolam ad Hebraeos et Apocalypsim.<sup>1)</sup> γ) Praeterea nunquam invaluit traditio contraria *firma, universalis et constans*, qua immutaretur fides et praxis Ecclesiae; sed haec eadem semper permansit. δ) Multo vero minus Ecclesia vel per magisterium ordinarium vel per solemne iudicium unum ex praefatis libris *positive* reiecit. Immo Ecclesia contrarium fecit, ac controversias per varia decreta de inspiratione omnium librorum, qui in canone Tridentino recensentur, terminare satagit. Quod et reapse evenit; dubia enim paulatim dissipata sunt, et consensioni universali locum dederunt. ε) Iuxta doctrinam de traditione divina ergo (185. 187. 203 b) ex dubiis et controversiis, quae aliquamdiu in Ecclesia de deuterocanonicorum librorum inspiratione existebant, nihil contra illos concludi potest.

*Resp. 2. in specie.* Ad a. respondeo primo: *Transeat.* Esto enim, probabile non esse, quod Deus Iudaeis non revelaverit inspirationem alicuius libri, qui revera inspiratus erat; at impossibile id esse, demonstrari nequit. Plura enim

<sup>1)</sup> Franzelin l. c. thes. 12 pg. 393 sqq; thes. 16 pg. 440 sqq.

dogmata Christus per suos Apostolos revelavit Ecclesiae, quae ignorabat vel saltem non clare cognovit synagoga. Cum igitur certissime constet de inspiratione librorum deuterocanonicorum ex definitione Ecclesiae, cum *Hieronymo*<sup>1)</sup> melius esse dicimus, «Pharisaeorum displicere iudicio et episcoporum iussionibus servire». — Secundo respondeo: *Nego suppositum*. Nam, ut iam alibi observavimus, probabilissimum est, Iudaeos hellenistas in suo canone libros deuterocanonicos habuisse. Ipsi etiam palaestinenses eorum inspirationem, ut Iosephus Flavius testatur, non quidem satis compertam habebant, sed nec positive eam excluserunt, immo eos in magna veneratione habuerunt. Falso ergo adversarii tam confidenter supponunt, Iudaeis inspirationem librorum deuterocanonicorum ignotam fuisse.

Ad **b.** Canones manci haud difficulter explicantur. Nonnulli Patres enim mere *historice* canonem Iudaeorum proponunt; e. g. Origenes, Melito et Epiphanius.<sup>2)</sup> Alii Patres utique canonem christianum exhibere intendunt; omiserunt tamen libros deuterocanonicos, quia post exortam de illis controversiam in scriptis polemicis non tanta securitate proferebantur. Unde distinxerunt libros *ὁμολογουμένους*, qui penes omnes in confesso erant, et *ἀντιλεγόμενους*, de quibus nonnulli dubitabant. Patres ergo, qui istos libros *ἀντιλεγόμενους* ex canone excludunt, non exhibent neque exhibere volunt canonem *conclusum*; sed canonem adhuc apertum pro aliis libris, quos Ecclesia, ut illi Patres bene noverant, quotidiano usu ut canonicos legebat, et quos ipsi quoque in instructione fidelium ut canonicos allegabant.

Ad **c.** Est similis responsio. Scilicet testimonia Patrum, quae opponuntur, demonstrant quidem statum *dubii* et *controversiae* circa canonicitatem nonnullorum sacrorum librorum; non demonstrant vero contrariam persuasionem *firmam* et *constantem* eorundem Patrum, multoque minus contrariam *fidem Ecclesiae*. Ipse s. *Hieronymus*, qui in hac materia maximam difficultatem facessit, ab adversariis non potest citari ut testis sufficiens contrariae sententiae. Prima qualitas testis enim est, ut sibi constans sit; Hiero-

<sup>1)</sup> Praef. in Tob.

<sup>2)</sup> Franzelin l. c. pg. 389 sq.

nymus autem in hac quaestione non sibi constat, sed potius sibi ipsi contradicit, ideoque eius testimonium negligi potest ac debet.<sup>1)</sup> Ea, quae ex *Augustino* opponuntur, rem nostram confirmant. Certo certius enim est, Scripturae «*eminentissimae auctoritatis*» a s. Augustino adnumerari omnes libros deuterocanonicos. Si ergo nihilominus dicit, eos non tanta firmitate proponi, profecto id non dicit propter intrinsecum discrimen librorum, sed propter difficultates, quae a nonnullis eis opponebantur. Ideo non simpliciter, sed „*adversus contradictores*” non tanta firmitate eos proponi asserit.<sup>2)</sup>

Denique ad **d.** concedi quidem debet, etiam posterioribus saeculis nonnulla vestigia prioris fluctuationis relicta fuisse; quae tamen seriam difficultatem non creant. Sunt enim pauci scriptores ecclesiastici ac nonnulli Scholastici, qui opponuntur. Verumtamen neque isti neque illi ullum librum deuterocanonicum simpliciter negabant, sed vel historice aliorum sententias referunt, vel praefationibus Hieronymi nimiam auctoritatem tribuentes ancipites haerent et ambigue loquuntur.<sup>3)</sup>

**Scholion.** Quaeritur, num liber aliquis inspiratus interire potuerit ac revera interierit. Affirmatur a plerisque; saltem si agitur de libro, qui Ecclesiae custodiae nondum est traditus. In hypothesis enim certe possibili, quod liber aliquis a Deo propter finem *particularem* inspiratus fuerit, cessante hoc fine Deus etiam permittere potuit, ut liber ipse interiret. Immo neque absolute impossibile videtur, ut etiam liber, iam Ecclesiae custodiae traditus, perdatur. Nam, ut observat *Franzelin*,<sup>4)</sup> «libri inspirati non sunt unicum nec absolute necessarium instrumentum ad conservandam revelationem; unde potest Spiritus s. per Ecclesiam conservare integritatem revelatae veritatis, licet permitteret libri aut partis libri inspirati iacturam». Quamvis autem hoc verissimum sit, ex adverso iactura tam pretiosae particulae depositi fidei nec providentiae Dei nec diligentiae et

<sup>1)</sup> Cornely l. c. n. 43.

<sup>2)</sup> Cf. Franzelin l. c. thesi 13, II.

<sup>3)</sup> Ibid. thesi 14 et Cornely l. c.

<sup>4)</sup> De Deo trino ed. 2 pg. 42 § 11.

fidelitati Ecclesiae satis congruere videtur. Facilius tamen de uno alterove textu, quam de integro libro talis suppositio creditur.<sup>1)</sup>

### CAPUT III.

#### De authentia Vulgatae.

- 241 Cum quaestione de canone librorum sacrorum intime cohaeret quaestio de versione genuina et authentica eorundem. Libri quippe *autographi* hagiographorum non amplius existunt, sed *apographi* tantum; neque iis in lingua originali, in qua scripti sunt, sed in *versionibus* plerumque utimur.<sup>2)</sup> Porro unusquisque novit, facile in apographis ac versionibus librorum vel scribarum oscitantia vel etiam malitiose<sup>3)</sup> aliquid mutari; et reapse variae versiones Scripturae, quae decursu saeculorum prodierunt, non in omnibus conveniunt. Quaestio igitur, an et quae sit versio authentica s. Scripturae, certe magni momenti est. Ad eam solvendam primo *statum quaestionis* exponemus, deinde *Vulgatae* authenticam *demonstrabimus* ac *determinabimus*.

### ARTICULUS I.

#### Status quaestionis.

- 242 1. *Authentia quid?* Authenticum (*αὐθεντία*) a iurisperitis illud instrumentum dicitur, quod per se indubitatum et legitimam auctoritatem facit nec alterius probatione indiget. Hinc generatim omne id, quod auctoritatem habet

<sup>1)</sup> Plures in Scriptura commemorantur libri, qui non amplius supersunt, et quorum inspiratio cum maiore ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐκδομένη supponitur. Lege e. g. Num 21, 14; III Reg. 11, 41; I Par. 29, 29; II Par. 12, 15; III Reg. 4, 32; II Par. 35, 25; I Mach. 16, 24. Ex N. T.: I Cor. 5, 9 et Col. 4, 16. Cf. Cornely l. c.

<sup>2)</sup> Omnes libri V. T. hebraice scripti sunt, exceptis libris Tobiae, Iudith, Esdrae et Danielis, qui primitus chaldaice, et exceptis libris Sapientiae ac secundo Machabaeorum, qui graece conscripti esse putantur. Libri N. T. graeca lingua primitus exarati erant, excepto Evangelio Matthaei, quod lingua syrochaldaica conscriptum fuit.

<sup>3)</sup> Sic Graeci corruptionis s. Scripturae saepius accusantur a Patribus; cf. e. g. Tertull., Adv. Marcion. l. 5; Iren., Adv. haeres. l. 1 c. 29; Basil., Contr. Eunom. l. 2; Euseb., Hist. eccl. l. 5 cap. ult.

ac meretur, authenticum dici solet. Quando igitur de authenticia alicuius documenti scripti quaeritur, hoc idem est ac quaerere, an illud fidem mereatur. Responsio quoad documentum originale ab auctoritate pendet ipsius auctoris. Hanc quaestionem circa Scripturam iam solvimus, quippe quae verbum Dei sit infinitamque auctoritatem habeat. In praesente vero de versionibus agitur, ideoque quaestio circa earundem authenticam ita efformanda est: an versio aliqua s. Scripturae cum originali conformis existat.

2. *Authentia quotuplex?* Ab auctoribus distingui solet: **a.** *authentia originalis*, quam aliqui *identitatis* vocant; *authentia apographi*, quam *similitudinis*, et *authentia versionis*, quam *conformitatis* seu *fidelitatis* appellant. Ut versio *simpliciter* conformis seu authentica dici mereatur, saltem quoad *substantiam* cum originali consonare debet. Quid vero ad substantiam alicuius documenti pertineat, tum ex eius natura, tum ex fine propter quem conscriptum est, tum ex communi aestimatione desumendum erit. Quis e. g. dubitet, maiorem conformitatem versionis cum originali requiri, ubi de testamento vel de lege vel de dogmate agitur, quam cum de circumstantiis minoris momenti factorum historicorum quaeritur. — Ceterum per se liquet, versionem cum originali non solum in stricte substantialibus concordare debere, sed generatim cum illo identicam esse oportere. Si enim versio passim discrepet ab originali, esto quod discrepet in accidentalibus tantum, quis talem versionem fidelem dicet? — **b.** *Intrinseca* et *extrinseca*. Authentia intrinseca est ipsa auctoritas, quae inest scripto ex sua origine et conformitate cum originali authentico; authentia extrinseca dicitur illa, quae ex aliis rationibus fidem facientibus scripto accedit. Huiusmodi sunt sigilla, testimonia et maxime declaratio auctoritatis competentis, cui conservatio talis instrumenti commissa est. Authentia extrinseca, ut patet, intrinsecam non facit, sed supponit estque illius externa manifestatio. — **c.** *Publica* et *privata* seu mere scientifica, prouti nimirum authentia alicuius documenti critice et historice tantum, vel per declarationem expressam aut aequivalentem publicae auctoritatis certa efficitur. — **d.** *Absoluta (perfecta)* et *relativa (imperfecta)*, quatenus trans-

latio sensum originalis in omnibus exacte reddit, vel tantum in rebus substantialibus minusque perfecte.

3. *Vulgata aliaeque versiones Scripturae*. Nomine *Vulgatae* editionis seu versionis intelligitur illa, quam maxima ex parte s. *Hieronymus* adornavit, Ecclesia longo saeculorum usu sacravit, concilium Tridentinum ut authenticam declaravit, quaeque *Sixti V.* et *Clementis VIII.* iussu recognita et accuratius edita est.<sup>1)</sup> — Praeter Vulgatam commemorandae sunt: *graeca* septuaginta interpretum (septuagintaviralis, LXX, ἡ τῶν ἑβδομήκοντα), quae ratione originis, aetatis et approbationis apostolicae (237) summa auctoritate in Ecclesia fruebatur, immo a nonnullis Patribus<sup>2)</sup> inspirata credebatur. Magnam etiam auctoritatem habuit *latina*, quam Hieronymus *communem*, Gregorius M. *veterem*, Augustinus *italam* appellat. «Itala ceteris versionibus latinis praeferatur; est enim verborum tenacior cum perspicuitate sententiae»; ita *Augustinus*.<sup>3)</sup> Sed aliae insuper prodierunt versiones *graecae* (ab Aquila, Theodotione, Symmacho) adornatae, et ab Origene nomine *Tetrapla* et *Hexapla* in unum collectae. Accedunt versiones *aethiopica*, *gothica*, *armenica*, *georgica*, *syriaca*, *slavonica*, *arabica*. Versionum *latinarum* sub finem saec. 4. tanta erat multitudo, ut *Augustinus*<sup>4)</sup> diceret, eas enumerari non posse.

4. *Doctrina catholica* exprimitur in saepe laudato decreto *Tridentino*.<sup>5)</sup> «Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, a. s.» Post hanc indirectam approbationem *Vulgatae* concilium adiungit directam: «Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quatenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et

1) Historiam *Vulgatae* vide apud biblicos e. g. *Hilber*, Einleitung, Brixen 1922. 3. ed. p. 64 sqq.

2) Cf. e. g. *Cyrill. Hier.*, Cat. 4 n. 34.

3) De doct. christ. l. 2 c. 15 n. 22.

4) L. c. c. 11 n. 16.

5) Denzinger 784 sq.

declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.» Utrumque hoc decretum, ut prima fronte apparet, *dogmaticum* est. In primo enim directe definitur canonicitas omnium enumeratorum librorum, et indirecte conformitas Vulgatae cum textu primitivo. In secundo decreto vero haec conformitas seu authenticitas Vulgatae directe declaratur. Haec declaratio autem non tantum *disciplinaria* est, ut nonnulli (Hermes, Hug) dixerunt; sed edisserit *factum dogmaticum*. *Factum*, inquam, scilicet: Vulgata est conformis cum textu originali; *dogmaticum*, quia in hoc facto includitur dogma: Vulgata est Scriptura inspirata. — Quousque haec conformitas se extendat, mox determinabimus.

5. *Errores et variae opiniones.* Apud *Protestantes* nulla est nec esse potest Scripturae *publica authenticitas extrinseca*, quippe qui nullam auctoritatem infallibilem in rebus fidei agnoscant, sed ductui Spiritus sancti seu potius proprio iudicio omnia relinquant. Quare ad summum critice et scientifice de authenticitate alicuius editionis penes ipsos constare potest. — Inter Catholicos plures veteres Theologi affirmabant, Vulgatam authenticam esse in omnibus et singulis ita, ut ne minimus quidem error incuria aut inscitia amanuensium vel interpretis irrepere potuisset. Quod enim, inquiunt, authenticum est, conforme est cum originali, et proinde verbum Dei. Cum igitur Vulgata quoad omnia declarata fuerit authentica, in omnibus etiam minimis est verbum Dei. E contrario nonnulli authenticitatem Vulgatae nimis restringentes dixerunt, eam ab Ecclesia generatim et quoad rei summam, non vero quoad singulos textus ne dogmaticos quidem declaratam fuisse authenticam; immo vulgatam non *reduplicative qua versionem*, sed *mere specificative* esse authenticam, idest, non eius conformitatem cum textu originali, sed cum *deposito fidei* credendam esse; conc. Tridentinum enim nec voluisse nec *potuisse* aliud infallibiliter definire, quam quod veritates religiosas in Vulgata contentae cum deposito fidei congruant.

## ARTICULUS II.

**Authentia Vulgatae vindicatur et determinatur.**

Ante omnia *doctrinam catholicam* de Vulgatae authenticitate demonstrabimus, et deinde *quaestiones scholasticas* de authenticæ extensione solvere satagemus.

243 **Thesis 62.** *Versio Vulgata tamquam authentica credi debet.*

1. *Argumentum theologicum.* a. Certum imprimis est, authenticam Vulgatae *revera* ad doctrinam catholicam pertinere. Iuxta conc. Tridentinum enim libri cum omnibus suis partibus, *prouti* in veteri vulgata latina editione habentur, sub anathematis poena pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Atqui eatenus aliquis liber est sacer et canonicus, quatenus est inspiratus. Ergo libri integri cum omnibus partibus, *prouti* in Vulgata continentur, sunt inspirati. Sed non essent inspirati, nisi interpret vel ipse inspiratus fuit, vel librum inspiratum fideliter vertit. Cum ergo non admittatur primum, necessario sequitur secundum. Ergo authentia Vulgatae *revera* ad doctrinam catholicam pertinet.

b. *Iure merito* quoque concilium authenticam Vulgatae credendam proposuit. Successores Apostolorum enim sunt *infallibiles custodes et doctores fidei* (169. 204). Atqui ad depositum fidei pertinet etiam s. Scriptura. Ergo successores Apostolorum s. Scripturam integram atque incorruptam custodire omnesque quaestiones, a quarum solutione haec custodia dependet, infallibiliter decidere debent. Iamvero ad integram incorruptamque s. Scripturae custodiam non sufficit, ut eius inspiratio et canon in tuto ponantur, sed requiritur insuper, ut versio legitima determinetur. Quid enim nosse prodesset, s. Scripturam in originali, quod non exstat vel non legitur, esse verbum Dei, nisi etiam sciatur, eam versionem, quae in Ecclesia catholica ut s. Scriptura legi consuevit, esse verbum Dei atque adeo conformem textui originali inspirato?

2. *Argumentum historicum.* Certissime enim inde a saec. 6. aut saltem 8. in Ecclesia versio vulgata in usu fuit. At non solum theologicæ, sed etiam historice impossibile est, Ecclesiam, quae tanta diligentia depositum fidei custo-

diebat (174), versionem substantialiter corruptam s. Scripturae adhibuisse et verbo divino verbum humanum substituuisse. «Nec enim temere, inquit *Bellarminus*,<sup>1)</sup> per annos fere mille, i. e. a tempore b. Gregorii, omnis Ecclesia latina hac una editione usa est, omnes concionatores hanc explanaverunt et populis proposuerunt, omnia concilia ex hac editione testimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Porro Ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturae interpretatione caruisse atque in iis, quae ad fidem et religionem pertinent, errorem interpretis nescio cuius pro verbo Dei coluisse, mirum est, si cui mirum et absurdum non videatur, praesertim si ex Apostolo didicerit, eam esse columnam ac firmamentum veritatis.»

3. *Argumentum iuridicum*. Unicuique societati perfectae ius competit, ut documenta sua authentica declaret. Ecclesia autem est societas perfecta. Ergo Ecclesiae ius competit, authenticam s. Scripturae, quae est instrumentum principale, quo ad probanda dogmata et instruendos mores utitur, declarandi.<sup>2)</sup>

4. *Argumentum criticum* quasi a priori ex *aptitudine* interpretis, et a posteriore ex *comparatione scientifica* Vulgatae cum aliis versionibus desumitur. Interpres autem fuit *Hieronymus*, de cuius aptitudine ad hoc opus nemo unquam dubitavit. Pretium quoque versionis hieronymianae viri docti, tam antiqui quam recentiores, agnoverunt.<sup>3)</sup>

**Thesis 63.** *Authentia Vulgatae vi decreti Tridentini non est credenda: α) absolute perfecta; neque β) exclusiva respectu textus primitivi versionumque antiquarum, quae semper in Ecclesiae usu erant; sed γ) credenda est in eo gradu perfecta, ut Scripturam quoad substantiam in omnibus fideliter exprimat.* 244

<sup>1)</sup> De verbo Dei l. 2 c. 10.

<sup>2)</sup> Cf. Cornely l. c. n. 177, ubi ostendit, ipsos Protestantes hoc sibi ius vindicasse.

<sup>3)</sup> «Hodie, inquit Cornely (l. c.), peritiores interpretes uno ore confitentur, non solum omnium latinarum versionum Vulgatam nostram esse optimam, sed inter reliquas quoque antiquas translationes eam primatum tenere, quum et puriore textu primigenio usus sit s. Hieronymus illumque maiori cum fidelitate reddiderit.»

**A. *Non est absolute seu summe perfecta.***

Doctrina illorum Theologorum, qui Vulgatam inspiratam vel saltem tam perfectam dixerunt, ut ne levissima quidem menda in rebus etiam accidentalibus reperiantur, hodie vix non antiquata dici potest, nec operosa refutatione indiget. Repugnat enim historiae concilii, qua testante ipsi patres Tridentini huiusmodi menda agnoverunt;<sup>1)</sup> repugnat expresso testimonio Theologorum, qui concilio interfuerunt (Vega, Laynez, Salmeron, Andrada); repugnat ipsi Vulgatae, in qua sunt nonnulla levioris momenti inter seipsa pugnancia;<sup>2)</sup> repugnat denique correctioni Vulgatae a Sixto et Clemente institutae; quod enim absolute perfectum est, nulla indiget, nullam admittit correctionem. Immo post correctiones praefatas Vulgata nondum fuit «omnibus numeris absoluta»; ut legimus in praefatione editioni clementinae praemissa. Id Leo XIII. quoque supponit, dum dicit («Providentissimus Deus»): «si quid *ambigue*, si quid *minus accurate* inibi (i. e. in Vulgata) elatum sit» etc.<sup>3)</sup> Et revera viri doctissimi adhuc laborant, ut textum Vulgatae emendatorem in lucem edant.

**Obiectio.** Decretum Tridentinum prohibet, ne quis Vulgatam «reiicere quovis praetextu audeat»; versionem mendosam autem reiicere licet. — Resp. *Dist. min.* Reiicere licet versionem simpliciter mendosam, *Conc.*; versionem, quae in quaestionibus accidentalibus levia menda habet, *Subdist.* Talem versionem reiicere i. e. contemnere licet, *Neg.*; ab ea in quaestionibus accidentalibus aliquando salva reverentia recedi potest, *Conc.* Porro concilium non vetuit, quominus a Vulgata in quaestionibus accidentalibus ex solidis rationibus et salva reverentia recedatur. Revera ipsa Ecclesia Romana in chronologia ab ea recedit, sequens alexandrinam versionem (cf. Martyrologium Rom. 25. Dec.).

245 **B. *Authentia Vulgatae non fuit declarata ad exclusionem textus primitivi versionumque antiquarum.***

Hoc ex ipso decreti scopo et tenore clare elucet, quippe

<sup>1)</sup> Cf. Pallavicini, Hist. conc. Trid. l. 6. c. 15.

<sup>2)</sup> Cf. e. g. II Reg. 6, 23 cum 21, 8; I Reg. 18, 19; 25, 44 et IV Reg. 8, 26 cum II Par. 22, 2; et IV Reg. 24, 8 cum II Par. 36, 9.

<sup>3)</sup> Cf. Cornely l. c. n. 172 sq; Franzelin l. c. thesi 19.

quod dumtaxat ex *latinis editionibus*, quae tunc *circumferbantur* atque in dies augebantur, unam pro authentica declaraverit; de textibus primigeniis vero ac de antiquis versionibus prorsus siluit. Et cum unus ex patribus concilii illas reiiciendas esse censuisset, restiterunt reliqui patres, ut ex historia concilii Theologorumque, quos supra laudavimus, testimonio constat. Ergo textus originalis et versiones post concilium Tridentinum eandem auctoritatem retinuerunt, quam prius habuerunt.<sup>1)</sup>

C. *Vulgata certe authentica est in eo gradu perfectionis, ut omnia, quae ad substantiam originalis inspirati pertinent, fideliter in ea exprimantur.* 246

Propositionem veluti per gradus, a facilioribus ad difficiliora progredientes, demonstrabimus et determinabimus. Itaque:

1. Vulgata saltem in *omnibus substantialibus* textui originali conformis est. Hoc per se liquet, nec ab ullo catholico Theologo negatur. Nisi enim Vulgata generatim loquendo in omnibus substantialibus textum primogenium fideliter exprimeret, nullo modo authentica dici posset; quaevis enim res denominatur ex eo, quod in ipsa substantiale est. — Difficultas incipit in determinanda quaestione, quid ad versionis substantiam pertineat. Ad eam solvendam dicimus:

2. Si de *singulis textibus* quaeritur, certum est, occurrere textus *mendosos*, ut supra demonstravimus. Aequè vero certum est, ista menda „*parvi momenti esse*”, ut Card. *Montanus*, praeses concilii, consentientibus patribus declaravit.<sup>2)</sup> Liquet autem parvi momenti non fore, si menda aut tam *multa* essent, ut versio quoad rei *summam* originali non amplius congrueret, aut tam *gravia*, ut finis decreti frustraretur. Finis decreti autem fuit, ut omnes intelligerent, «quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in con-

<sup>1)</sup> De auctoritate textus hebraici et graeci diversarumque versionum antiquarum vide Kaulen-Hoberg, Einleitung § 83 ff, 104 ff; Cornely l. c. n. 86 sqq.

<sup>2)</sup> Theiner, Acta genuina conc. Trid. t. 1 pg. 83 (ed. Zagarriens).

firmandis *dogmatibus* et instaurandis in Ecclesia *moribus* synodus sit usura». Cum ergo finis decreti non parvi sed magni momenti sit, ultro consequitur, singulos textus dogmaticos, sive ad fidem sive ad mores spectantes, authenticos esse neque in illis notabile mendum admitti posse. Sed semper respici debet, quid in *veteri* Vulgata contineatur, quinam textus in Ecclesia *legi consueverint*.

3. Hinc Vulgata in sua genuina forma  $\alpha$ ) nequit continere textum dogmaticum *falsum*; alioquin esset versio haeretica, non authentica. —  $\beta$ ) Nec potest continere textum dogmaticum *specificè diversum* ab originali. Hoc accideret, si Vulgata et Scriptura originalis eodem loco duo dogmata omnino diversa exprimerent; vel si in Vulgata exstaret dogma, quod textus originalis nec in illo nec in alio loco haberet, licet fortasse in traditione comprehenderetur. Talis quippe difformitas versionis ab originali esset manifesto *substantialis*. —  $\gamma$ ) Concedunt autem probatissimi Theologi, non repugnare authenticæ Vulgatae, si dogma aliquod non plane *eodem modo* exprimatur in hac ac in textu primigenio;<sup>1)</sup> immo concedunt, non repugnare, ut textus aliquis dogmaticus, qui in originali reperitur, *in Vulgata desideretur*.<sup>2)</sup> Ex una parte enim finis decreti per talem difformitatem non frustratur; ex altera parte vix negari potest, eam in uno alterove loco revera occurrere. —  $\delta$ ) Breviter igitur dici potest: Non est inter Vulgatam

---

<sup>1)</sup> Salvo decreto Tridentino iuxta Theologos concedi exempli causa potest, Gen. (3, 15) loco *ipsa* conteret (ut Vulgata habet) legendum esse: *ipse* conteret; vel Rom. (5, 12) loco: *in quo* omnes peccaverunt, legendum: *quia* omnes peccaverunt; vel I Cor. (15, 51) loco: *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ponendum esse: *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*. Utrovis modo enim, inquit Franzelin (l. c), primitus scriptum fuisse dicas, dogmata eadem promissi redemptoris et immaculatae eius matris, peccati originalis, universalis resurrectionis utrimque licet paulo aliter reperiens enuntiata.

<sup>2)</sup> Sic Augustinus (De peccat. merit. et rem. l. 2 c. 18 n. 30 et alibi saepius) utitur versu (Prov. 8, 35 vers. LXX): *Paratur voluntas a Domino*, qui in Vulgata deest. Etiam Hieronymus saepius (e. g. ad Aug. ep. 112, 20 et in Praef. in Pentat. etc.) asserit, in versionibus certe authenticis textus dogmaticos, imprimis vaticinia messiana defuisse. Cf. Cornely l. c. n. 176.

et textum primitivum difformitas *contradictionis*, nec difformitas *positiva realis*, utique vero difformitas *negativa et modalis*.<sup>1)</sup>

4. Quaeritur tamen, an salva authenticæ Vulgatae fieri possit, ut textus aliquis dogmaticus in Vulgata reperiatur, qui deest in loco correspondenti originalis, licet in aliis locis tale dogma contineatur.

Affirmant plures recentiores. Ex ipso enim tenore decreti Tridentini, inquiunt, duplex conditio ad authenticam alicuius textus etiam dogmatici requiritur:  $\alpha$ ) ut in Ecclesia cath. legi consueverit,  $\beta$ ) ut in veteri Vulgata inveniatur. Iam vero unus alterve textus reperitur in hodierna editione Vulgata, de quo istae conditiones non verificantur, vel saltem non *certe* verificantur. Cum ergo supponi nequeat, textus, qui ante conc. Tridentinum dubii erant, eius decreto ut certos declaratos fuisse, consequitur, textus etiam dogmaticos spurios in hodierna Vulgata reperiri posse.<sup>2)</sup> De sic dicto commate Ioanneo (I ep. 5, 7) non obstantibus verbis S. Officii d. d. 13. Ian. 1897 biblici hodiedum dubitant, num revera sit textus ad genuinam Vulgatam pertinens.

**Corollarium.** Praeter Vulgatam plures aliae editiones 247 publico usu Ecclesiae approbatae pro authenticis haberi possunt, e. g. versio graeca, vetus itala, syriaca, armena. Maiore tamen *gradu authenticæ* gaudet Vulgata; quia haec  $\alpha$ ) *solemni iudicio*,  $\beta$ ) quoad *omnes partes* declarata est ut authentica; quod de reliquis dici non potest. Hoc tamen non impedit, quominus nonnulli textus in aliis versionibus clariores sint et conformiores textui originali. Utiliter ergo a Theologo huiusmodi versiones in adiutorium vocantur. Id multo magis de ipso textu primitivo valet, ut per se patet; cum nulla versio, quantumvis bona, sensum originalis adaequate exprimere valeat. «Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad aliam linguam» (Eccli., Prolog. V, 6). Quare Leo XIII. docet (l. c.), «habendam esse rationem reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quam-

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin l. c. thesi 19.

<sup>2)</sup> Cf. Cornely l. c. vol. 3 n. 231 de authenticæ commatis Ioannei.

vis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae, suasore Augustino, proficit.»<sup>1)</sup>

## CAPUT IV.

### De s. Scripturae interpretatione.

248 Ex hucusque demonstratis s. Scriptura est verbum Dei scriptum, fontemque revelationis divinae constituit. At hic fons non est semper et in omnibus fons patens, sed aliquando fons signatus. Quaeritur ergo, quomodo et a quo reseretur, ut doctrina revelata pura ex eo attingi possit. Aliis verbis, quaeritur:  $\alpha$ ) *quis sit authenticus interpret s. Scripturae*, et  $\beta$ ) *quaenam legitima interpretationis principia*.

## ARTICULUS I.

### De authentico interprete s. Scripturae.

Controversia agitur cum Protestantibus, qui aliquando Scripturam per se claram nec interprete indigam contendunt,<sup>2)</sup> aliquando ad immediatam Spiritus sancti illuminationem provocant, aliquando iudicio privato omnia committunt.<sup>3)</sup> Contra vero Catholici contendunt, ius sensum Scripturae authentice interpretandi esse unam ex praerogativis infallibilis Ecclesiae. Sit igitur:

<sup>1)</sup> Cf. Cornely, l. c. n. 176.

<sup>2)</sup> Ita Lutherus (Praef. ad art. a Leone damnatos) de s. Scriptura dicit, quod sit «ipsa per se certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpret, omnium omnia probans, iudicans et illuminans». Cf. Bellarm., De verbo Dei l. 3 c. 1.

<sup>3)</sup> Veteres Reformatores, Anabaptistae aliaeque sectae ad Spiritum sanctum eiusque effectus in anima productos provocarunt (cf. 230); recentiores vero Protestantes post Semler passim *Rationalismo biblico* subscribunt, cui Kant interpretationem *moralem*, Paulus *psychologicam*, Strauss *mythicam* substituerunt. Cf. Cornely l. c. n. 261 sq. *Modernismus* auctoritatem Ecclesiae et Patrum in interpretatione Scripturae omnino spernit, ac philosophiam agnosticam «magistram et ducem», seque ipse «iudicandi normam sibi deligit». En cycl. Pascendi, Denzinger 2100, cf. 2090.

**Thesis 64.** *Scriptura non est tam aperta, ut interpretatione non indigeat.*

Prob. 1. *Ex testimonio ipsius Scripturae.* Legimus enim (II Petr. 3, 16): *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Adverte, hoc loco agi de iis, quae ad *fidem moresque* pertinent; si enim de rebus adiaphoris ageretur, Apostolus non diceret, eos, qui Scripturas depravant, perditionem sibi adsciscere. Hinc praeccluditur Protestantibus effugium, Scripturas tantum in rebus minoris momenti, non vero in necessariis obscuras esse. Et revera quis, quaeso, affirmare audeat, epistolam ad Romanos non agere de rebus necessariis, aut eam claram esse? (Cf. Luc. 24, 27. 45; Act. 8, 31).

2. *Ex materia et indole Scripturae,* quippe quae certe multa contineat difficilia intellectu, puta dogmata de Trinitate et incarnatione, de peccato originali, de praedestinatione; et alia sexcenta. Insuper haud pauca occurrunt, quae non tam in seipsis, quam in modo, quo proponuntur, difficultatem creant. Sic allusiones ad res nobis occultas, phraseologia a nostro idiomate longe diversa, idiotismi, figuratae locutiones, sensum varietas aliaeque circumstantiae quam plurimae sacrorum librorum interpretationem salebrosam reddunt. Hinc ipse s. *Augustinus* fateri non erubuit, «se in ipsis s. Scripturis multo nescire plura, quam scire». <sup>1)</sup>

3. Nec desunt *rationes*, ob quas divina sapientia s. Scripturam non adeo planam atque apertam esse voluit. Scilicet: α) ut intellectus a fastidio revocetur, cui facile investigata vilescent; <sup>2)</sup> β) ut mens nostra utiliter exerceatur et his piis laboribus occupata a deterioribus avocetur; γ) ut labore mysteriorumque profunditate superbia humana edometur; δ) ut ipsa obscuritate s. Scripturae honor concilietur etc. <sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Ad Ianuar. ep. 55, 21; cf. Hieron., Ad Paulin. de studio Scripturae.

<sup>2)</sup> Cf. August., De doctr. chr. l. 2 c. 6; De catech. rud. c. 9.

<sup>3)</sup> Cf. Hurter n. 183 (ed. 9), ubi istas rationes Patrum testimoniis comprobatur.

*Obiiciunt* Protestantes α) plures locos s. Scripturae, in quibus verbum Dei *lumen* et *lucerna* dicitur (Ps. 18, 9; 118, 105. 130; Prov. 6, 23; II Petr. 1, 19). — Sed gratis; distinguo enim sensum similitudinis: Scriptura est *lumen obiective, Conc.; subiective, Subdist.*: quoad certa capita et pro iis, qui ab Ecclesia Scripturas didicerunt, *Conc.*; quoad omnia et independenter ab authentico interprete, *Nego*.

*Obiiciunt* β) quaedam testimonia Patrum, praesertim *Chrysostomi*, qui inter alia dicit: «Omnia sunt dilucida et recta, quae sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt, quaecunque sunt necessaria»;<sup>1)</sup> unde «per se quisque e sola lectione discere potest».<sup>2)</sup> — Resp. Obiectio laborat sophismate, quod logici appellant «simpliciter et secundum quid». Claritatem etenim, quam Patres de Scriptura *secundum quid*, i. e. cum aliqua restrictione affirmant, extendunt ad Scripturas simpliciter et universim. Sic Chrysostomus in locis obiectis quadam amplificatione utitur ad auditorum torporem excutiendum, et de rebus historicis loquitur; alibi vero exponens illud «scrutamini Scripturas» (Ioan. 5, 39) expresse dicit, quod non «in superficie vel in conspectu iacent, sed quasi thesaurus quispiam profunde admodum recondita sunt».<sup>3)</sup>

249 **Thesis 65.** *Infallibilis sacrae Scripturae interpretatio neque α) ab immediata Spiritus sancti illuminatione, neque β) a subsidiis scientificis exspectanda est.*

Non negamus, ad fructuosam interpretationem Scripturae exigi et petentibus revera dari gratiam illuminantem Spiritus sancti. *Negamus vero, Spiritum s. immediate et independenter a magisterio ecclesiastico singulis fidelibus sensum Scripturae aperire.* Pariter non inficiamur, subsidia scientifica utilissima immo necessaria esse ad interpretationem biblicam; sed inficiamur, *interpretationem scientificam infallibilem regulam credendi constituere.* — Thesis quoad utramque partem tam clara est, ut demonstratione longiore non indigeat.

<sup>1)</sup> Hom. 3 in II Thess. n. 4.

<sup>2)</sup> Hom. 3 de Lazar. n. 3.

<sup>3)</sup> Hom. 41 in Ioan. n. 1; cf. Bellarm. l. c. c. 2.

1. Sane, quod primum attinet, praetensa illa immediata Spiritus sancti interpretatio non solum gratis asseritur, sed evidenter falsa est, fanaticismo latam viam pandit atque ab ipsa historia ad absurdum ducta est. Iam tempore *Bellarmini*<sup>1)</sup> bis centum interpretationes verborum Christi: «hoc est corpus meum», recensebantur; viginti eodem tempore opiniones de satisfactione penes confessionis augustanae asseclas; sexdecim diversae sententiae de peccato originali invaluerunt.<sup>2)</sup> Sed quid mirum, cum iam *Vincentius Lir.* scribat:<sup>3)</sup> «Quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videntur.» Quaero iam: num omnes istae tam discrepantes interpretationes erant fructus Spiritus sancti?

2. *Scientia* quoque *hermeneutica* cum disciplinis subsidiariis non praebet infallibilem interpretationem, neque sufficit ad obtinendum finem, propter quem datae sunt Scripturae.

α) Datae enim sunt tamquam fons et regula fidei, immo iuxta Protestantes tamquam unicus fons et regula fidei. Talis regula autem *certa* sit oportet, *infallibilis* omnibusque etiam rudibus *accomoda*; alioquin non erit apta ad subiugandum fidei divinae omnem intellectum. Atqui scientia humana, ut experientia luculenter testatur, non praebet regulam certam, infallibilem omnibusque accomodam.

β) Confirmatur ex *mysteriis*, quae in Scriptura continentur. Cognitio enim et interpretatio reciproca sunt. Cum ergo mysteria solo lumine rationis non cognoscantur, neque solis regulis scientificis interpretantur. «Eorum (librorum) verbis, auctore Spiritu sancto, res multae subiiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et *hermeneuticae leges* indicare videntur.» Ita Leo XIII. (Encycl. „*Providentissimus Deus*“).

---

<sup>1)</sup> Cf. De Euch. l. 1 c. 8 n. 2.

<sup>2)</sup> Cf. Perrone l. c. n. 160—222, ubi fuse hoc argumentum contra Protestantes prosequitur.

<sup>3)</sup> Commonit. II (2).

250 **Thesis 66.** *Ecclesia est authentica interpres ac iudex de vero sensu Scripturae in rebus fidei et morum.*

$\alpha$ ) *Ecclesia*, inquam, i. e. successores Apostolorum seu pastores Ecclesiae, quibus magisterium authenticum a Christo commissum fuit, ut in tractatu de traditione demonstravimus (169).  $\beta$ ) *Authentica* interpres, i. e. talis, quae s. Scripturam *infallibiliter* interpretari fidelesque *auctoritative* ad credendum sensum ab ipsa propositum obligare potest.  $\gamma$ ) *Iudex*, non ipsius Scripturae, quasi Ecclesia supra verbum Dei se constituat; sed iudex de vero sensu, quem Ecclesia sub assistentia Spiritus sancti infallibiliter cognoscit.<sup>1)</sup>  $\delta$ ) *In rebus fidei et morum.* De auctoritate Ecclesiae enim in interpretandis locis profanis s. Scripturae agemus in sequente thesi.

Propositio est de fide ex conciliis *Tridentino* et *Vaticano*, quae expresse declarant, quod «in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium is pro vero sensu s. Scripturae habendus est, quem tenuit ac tenet s. mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum».<sup>2)</sup>

1. Thesis ante omnia est veluti corollarium ex hucusque demonstratis. Namque  $\alpha$ ) si Scriptura nec per se clara est, nec immediata Spiritus sancti illuminatione cuique aperitur, sed authentico interprete indiget, quid aliud restat, quam ut sensus Scripturae ab Ecclesia discatur, quae columna et firmamentum est veritatis?  $\beta$ ) Ecclesia eaque sola est, per quam inspiratio, canon et authentica editio Scripturae cognosci potest (235. 243, 3). Ultro ergo concluditur, etiam authenticam interpretationem Scripturae ad Ecclesiam pertinere. In omni quippe societate eadem auctoritas, quae instrumenta publica proponit et conservat, etiam authentice ea interpretatur.  $\gamma$ ) Ecclesiae a Christo col-

<sup>1)</sup> «Non ergo constituimus Ecclesiam supra verbum Dei, ut Protestantes calumniantur; sed dicimus Ecclesiam dirigi verbo Dei in credendo, sicque esse sub verbo Dei, et eandem genuinum verbi sensum infallibiliter intelligere et singulis proponere credendum, sicque esse supra privatam fallibilem intelligentiam singulorum.» Franzelin op. c., de div. trad. thesi 18 coroll. 4.

<sup>2)</sup> Conc. Trid. (Sess. IV decr. de edit. et usu ss. libr.) et Vatic. (Const. de revelatione c. 2). Denzinger 786. 1788.

latum fuit magisterium infallibile, quo revelatio divina integre et incorrupte conservaretur et propagaretur (169. 174). Scriptura autem multas continet revelationes divinas. Ergo ad Ecclesiam spectat, earum sensum interpretari.

2. Patres contra haereticos unanimiter docent, Ecclesiam esse authenticam interpretem Scripturae. «Ubi charismata Domini posita sunt, inquit *Irenaeus*,<sup>1)</sup> ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim . . . Scripturas sine periculo nobis exponunt.» Etiam *Tertullianus*<sup>2)</sup> docet, quod apud Ecclesiam est «veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum;» item *Clemens Alex.*<sup>3)</sup> «expositionem Scripturarum *secundum ecclesiasticam regulam*» accipiendam esse docet. — Patrum sententias *Vincentius Lir.*<sup>4)</sup> comprehendit his verbis: «Hic forsitan requirat aliquis: Quum sit perfectus canon Scripturarum sibi que ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius . . . aliter postremo Nestorius. Atqui idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut *propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.*»

**Obiectio.** Hac doctrina libertas interpretis nimis restringitur, et scientia exegetica impossibilis redditur. — Resp. Haec obiectio haereticorum non uno ex capite absurda est: α) Imprimis libertatem scientiae confundunt cum libertate errandi, et finem scientiae in exercitio et ostentatione ingenii, et non in adeptione veritatis reponunt. Longe

1) Adv. haer. l. 4 c. 26 n. 5; cf. c. 33 n. 8.

2) De praescript. c. 19 (vide tract. de tradit. n. 171).

3) Strom. l. 6 c. 15; Origen., Comment. in Matth. n. 46.

4) Commonit. II (2); cf. Hieron. in Dan. 11, 45.

aliter iudicavit *Augustinus*, qui palam fatetur:<sup>1)</sup> «melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere». —  $\beta$ ) Deinde exegesis considerant ut scientiam mere humanam, privato studio hominis unice excolendam. Hoc autem falsum est. Exegesis enim pro obiecto habet interpretationem verbi Dei, ideoque est scientia theologica. —  $\gamma$ ) Denique falso supponunt haeretici, quod Ecclesia sensum Scripturae in omnibus iam determinaverit, ita ut nihil amplius scientiae relinquatur. E contrario paucissima sunt dogmatice definita, atque immensus patet campus inquisitioni interpretis, non solum in historicis, physicis aliisque id genus quaestionibus, sed etiam circa ipsos textus dogmaticos.<sup>2)</sup>

- 251 **Thesis 67.** *Ecclesia ius habet, determinandi sensum Scripturae  $\alpha$ ) in rebus fidei et morum positive,  $\beta$ ) in rebus profanis saltem negative.*

*Declaratio.* Conc. Tridentinum (Sess. IV.)<sup>3)</sup>: «ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam s. interpretari audeat.»

Tridentinum igitur duplex obiectum Scripturae distin-

<sup>1)</sup> De doctr. christ. l. 3 c. 9.

<sup>2)</sup> Praeclare Leo XIII. («Providentissimus Deus») allegato decreto conc. Vaticani et Tridentini de interpretatione Scripturae subdit: «Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coërcet; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam et diffinitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aequè prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis.»

<sup>3)</sup> Denzinger 786.

guit; scilicet «res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium», et res profanas, quae per se neque ad fidem neque ad mores pertinent. Per se, inquam; nam ratione inspirationis etiam res profanae sunt verbum Dei, ideoque sub hoc respectu ad fidem pertinent.<sup>1)</sup> — Decretum Tridentinum ergo per se nonnisi ad res fidei et morum pertinet.

Duplex autem habetur falsa interpretatio huius decreti. *Prima* eorum, qui licitum esse dicunt interpreti catholico, etiam textui dogmatico alium sensum substituere, quam tenet Ecclesia, dummodo non negetur ipsum dogma, quod Ecclesia in illo textu contentum esse declarat. Sic iuxta hos auctores fas esset negare, e. g. verba: *quorum remiseritis peccata etc.* (Ioan. 20, 23) de potestate remittendi peccata in sacramento Poenitentiae interpretanda esse, quamvis conc. Trident. (Sess. XIV can. 3)<sup>2)</sup> hunc sensum declaraverit; dummodo ipsum dogma potestatis clavium non negetur. — *Secundus* error est eorum, qui docent, exegetam catholicum in interpretatione partium profanarum Scripturae ab auctoritate Ecclesiae omnino independentem esse.

Contra hos errores dico:

**A.** *Ecclesia ius habet, in rebus fidei et morum positive determinandi sensum Scripturae, ita ut is praecise sensus credi debeat, quem Ecclesia certo textui inesse docet.*

Patet 1. ex tenore decreti *Tridentini*: «nemo contra eum sensum, quem tenet Ecclesia» etc. Ergo non solum nefas est, interpretari Scripturam contra *dogma* Ecclesiae, sed etiam contra *sensum*, quem tenet Ecclesia. Idem confirmatur ex formula *professionis fidei* a *Pio IV.*<sup>3)</sup> praescripta:

---

<sup>1)</sup> Cf. Thom. in II sent. d. 12 q. 1. a. 2: «Quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur. Quaedam enim sunt per se substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum; quaedam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu sancto dictante promulgatam esse.» Cf. etiam Card. Billot, De inspiratione s. Scripturae (Romae 1903) cap. 2 pg. 80 sqq; Scheeben, Dogmatik Bd 1 S. 26.

<sup>2)</sup> Denzinger 913.

<sup>3)</sup> Ibid. 995.

«Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, . . . admitto.»

2. Conc. *Vaticanum* (Const. de revelatione cap. 2)<sup>1)</sup> non solum innovat decretum Tridentinum, sed illud explicat ac defendit contra pravam expositionem, inquiens: «Quoniam vero, quae s. Tridentina synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur,<sup>2)</sup> nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, *is pro vero sensu s. Scripturae habendus sit*, quem tenuit ac tenet s. mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam s. interpretari.» Ergo non solum nefas est, «*contra sensum*» Ecclesiae interpretari Scripturam, ut Tridentinum definivit, sed praecise „*is pro vero sensu*“ habendus est, quem tenet Ecclesia, ut Vaticanum declarat.

---

<sup>1)</sup> Denzinger 1788.

<sup>2)</sup> In quo haec prava expositio decreti Tridentini consistat, declarat cl. ep. *Gasser* in relatione huius schematis (Coll. Lacens. pg. 143): «In hac paragrapho, inquit, primo renovatur decretum conc. Tridentini, et deinde mens huius decreti accuratius definitur. Et quare hoc? Ad proscribendos duos errores. Primus error est eorum, qui contendunt, decretum hoc concilii Tridentini de interpretatione Scripturarum s. esse solummodo *disciplinare*. Hinc renovatur hoc decretum, et quidem in constitutione *dogmatica*, et dicimus, quod concilium salubriter decrevit: „idem decretum renovantes“. Secundo mens decreti conc. Tridentini accuratius definitur contra errorem eorum, qui distinguunt inter *interpretationem dogmaticam ab Ecclesia propositam*, et inter *dogma*, quod iuxta sensum Ecclesiae in loco quodam biblico invenitur. Et quidem distinguitur ita, ut dicant, interpretem cath. satisfacere decreto concilii Trid., etiamsi recedat ab interpretatione dogmatica Ecclesiae cath.; dummodo non reiiciat dogma iuxta mentem Ecclesiae in loco quodam biblico contentum. Ad hunc errorem proscribendum dicimus: ut in rebus fidei et morum *is pro vero Scripturae sensu habendus sit*, quem tenuit ac tenet s. mater Ecclesia.» — De praetensa oppositione inter sensum criticum et dogmaticum (super-literalem, ut aiunt) cf. *Civiltà cattol.* Quaderno 1220, pg. 200; Egger, *Absol. oder relat. Wahrheit* n. 197—204.

**B.** *Licet Ecclesia non sibi vindicet ius, textus etiam in se profanos Scripturae positive determinandi; certe tamen ius negativum habet, proscribendi omnes explicationes, quibus vel ipsa inspiratio horum textuum vel aliud dogma in discrimen vocaretur.* 252

Sane 1. Ecclesia, ut hic supponitur, est custos et interpres infallibilis totius depositi fidei. Ergo etiam ius habet proscribendi omnem doctrinam, qua sive ipsum dogma inspirationis sive aliud dogma negaretur vel in discrimen vocaretur. Profecto, si Ecclesia «ius et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi» (conc. Vatic., Const. de fid. et rat. cap. 4),<sup>1)</sup> quanto magis falsas interpretationes Scripturae proscribere poterit.

2. *Tridentinum* sine omni restrictione enuntiat: «cuius (i. e. Ecclesiae) est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum». Ergo Ecclesia etiam de sensu rerum profanarum aliquo modo iudicare potest. Neque dicas, hanc restrictionem factam esse per verba praecedentia «in rebus fidei et morum». Nam propositio affirmativa non est exclusiva. Ergo ex verbis, Scripturam «in rebus fidei et morum» interpretandam esse iuxta sensum Ecclesiae, profecto non sequitur, in reliquis quaestionibus Ecclesiam non posse iudicare. Aliud est positivam expositionem dare et aliud iudicium ferre de aliqua expositione. — Ceterum, ut iam diximus, tota s. Scriptura est verbum Dei, ac propterea omnes eius partes, etiamsi per se de rebus profanis agant, continent res fidei et morum, non utique directe ex parte «obiecti», sed indirecte ex parte «dicentis», ratione inspirationis.

3. Ecclesia hoc ius revera sibi vindicavit et adhuc illud exercet per Commissionem Biblicam, cuius decreta etiam quaestiones mere historicas Scripturae respiciunt. Decisiones Commissionis Biblicae utique non sunt iudicia infallibilia, sed tamen non mere privata.

**Obiectio.** Ecclesia α) per multa saecula in interpretandis textibus de motu solis circa terram (Ios. 10, 13; Is. 38, 8; Matth. 5, 45) erravit; immo β) veram sententiam Galilei

<sup>1)</sup> Denzinger 1798.

proscripsit. Ergo Ecclesia ne quidem ius *negativum* habet interpretis infallibilis Scripturae in rebus profanis. — Resp. ad  $\alpha$ ) Nego, Ecclesiam in hac re errasse. Nunquam enim positive docuit multoque minus definivit motum *realem* solis circa terram; sed Ecclesia sicut totus mundus tunc temporis secundum apparentiam iudicavit. Revera, quamvis Patres et Theologi iuxta persuasionem illius temporis unanimiter putarent, solem revera circa terram moveri et consequenter textus praefatos intelligerent, nunquam tamen docuerunt, motum solis realem et non tantum apparentem esse; eo quod haec quaestio tunc nemini in mentem venerit. — Ad  $\beta$ ) respondeo, Ecclesiam nunquam supremo et infallibili iudicio proscripsisse sententiam Galilei; sed hoc fecerunt Congregationes Romanae, quae utique magna gaudent auctoritate, sed infallibiles non sunt. Verum enimvero etiam illa R. Congregationis decreta non sunt adeo spernenda, ut multi putant. Etenim neque Copernicus neque Galilei argumenta concludentia pro suo systemate astronomico protulerant. Quare sensus obvius Scripturae interpretatioque traditionalis adhuc, ut ita dicam, erat in possessione, neque ab ea propter hypotheses tunc plerisque visas minime verisimiles discedere licuit. Congregatio Rom. ergo non sine causa illas hypotheses proscripsit; eo vel magis, quod tunc temporis falsae interpretationes Scripturae ab haereticis ubique propagari tentabantur, atque ideo periculum fidei a tribunalibus, ad eam tuendam deputatis, magna cautela praecaveri debuit.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### De interpretationis principiis.

253 Scriptura est liber divino-humanus, qui a Deo quidem inspiratus, at humano modo conscriptus est. Quare principia interpretandi s. Scripturam sunt duplicis generis: *dogmatica* et *scientifica*. Illa ex fontibus revelationis, ista ex re-

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin op. c., de div. trad. thes. 12 schol. 1; Hergenröther, Kirchenlexikon, Bd 5, art. «Galilei» auctore Schanz; Egger, Streiflichter V. VI. Cf. etiam *Adolf Müller*, Der Galileiprozeß, Freiburg i. B. 1909.

gulis hermeneuticis rationis petuntur, iisque simul uti debet interpret catholicus. Utriusque generis principia breviter proponemus.<sup>1)</sup>

## I.

## De principiis dogmaticis.

**Thesis 68.** *Si sensum alicuius textus vel ipsa Scriptura per se interpretatur; vel si Ecclesia solemni iudicio aut magisterio ordinario illum definit; vel si speciatim Patres unanimi consensu textum dogmaticum exponunt: hunc sensum omnis fidelis pro vero amplecti debet.*

Praenoto a. Sicut generatim duplex fons revelationis est, Scriptura et traditio, ita etiam ex duplici hoc fonte non solum genuina, sed authentica interpretatio saltem nonnullorum textuum Scripturae hauriri potest. — b. Illa ipsa criteria, quibus divina traditio depositi fidei generatim innotescit, etiam sensum Scripturae in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium manifestant; quippe qui ad depositum fidei pertineat. Criteria sunt: solemnia iudicia Pontificum et conciliorum, consensus Patrum, consensus ac sensus Theologorum et fidelium, ex quibus magisterium ordinarium Ecclesiae indirecte patescit (vide n. 180—193). Ex his igitur criteriis etiam authentica interpretatio Ecclesiae de aliquo textu Scripturae cognosci poterit. — His praenotatis principia in thesi enuntiata non tam demonstratione, quam brevi expositione indigent. Sane:

1. *Si ipsa Scriptura sensum alicuius textus interpretatur, hic sensus est infallibiliter verus.* Consequitur evidenter ex inspiratione s. Scripturae. Sic sensus vaticinii Isaiae (7, 14): *ecce virgo concipiet etc.* ab Evangelista Matthaeo (1, 22, sq), vaticinium Isaiae (61, 1) ab ipso Christo authentice exponitur (Luc. 4, 18 sqq); typum agni paschalis (Ex. 12, 46) interpretatur Ioannes (19, 36) etc.

2. *Si Ecclesia solemni iudicio directe vel indirecte sensum alicuius textus determinavit, illum credere debemus.* Ratio petitur ex assistentia Spiritus sancti, quae successorii-

<sup>1)</sup> Vide opera hermeneutica e. g. Hilber, *Biblische Hermeneutik* 3. ed. Brixen, ubi etiam literaturam invenies.

bus Apostolorum promissa fuit. Directe e. g. a Tridentino definitus est sensus Rom. 5, 12 de peccato originali, Matth. 26, 26 de institutione ss. Eucharistiae, Iac. 5, 14 de extrema unctione etc. Indirecte sive implicite in dogmate divinitatis Christi definitur sensus verborum *Pater maior me est* (Ioan. 14, 28); in dogmate sacrificii Missae sensus verborum (Luc. 22, 19): *hoc facite in meam commemorationem*. (Consule verba relatoris conc. Vaticani superius allegata n. 251, nota.) Eandem auctoritatem habet etiam *magisterium ordinarium* Ecclesiae, ut suo loco probabimus; quamvis ex magisterio ordinario difficilius, quam ex solenni iudicio erui possit, quid doceat Ecclesia.

3. *Si Patres unanimiter textum aliquem dogmaticum exponunt, is pro vero sensu accipiendus est.* Praeter rationem generalem enim, quod consensus Patrum quoad res fidei et morum in consensum Ecclesiae resolvitur (185), commemoranda est specialis auctoritas, qua Patres in exponendis Scripturis gaudebant. In his enim Patres maxime, immo fere unice omnem suam operam collocabant. Quare Patrum interpretatio semper ut praecipua norma catholicae interpretationis habebatur. «Non licet, inquit *Leo M.*,<sup>1)</sup> aliter de divinis Scripturis sapere, quam beati Apostoli et Patres nostri dixerunt atque docuerunt.» Et conc. *Trullanum*<sup>2)</sup> decrevit: «Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis exposuerunt.» Similiter *Clemens V.* in conc. Viennensi ad Patrum auctoritatem et consensum provocat;<sup>3)</sup> et *Leo X.* in conc. Lateranensi (Bulla „*Supernae maiestatis*” n. 4) mandavit «omnibus, qui evangelicam veritatem populum docturi essent, ut s. Scripturam iuxta interpretationem doctorum, quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit, explanarent». Quare conc. Trident. et Vatic. merito decernunt, quod «nemo . . . contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat».

---

<sup>1)</sup> Ep. 62 c. 1.

<sup>2)</sup> Cap. 19. Harduin, Conc. coll. t. 3 pg. 1670.

<sup>3)</sup> Cf. Denzinger 480.

**Thesis 69.** *Etiam singulorum Patrum sententia in interpretandis Scripturis circa res fidei et morum generatim magni aestimanda est.* 254

Consequitur evidenter ex iis, quae de auctoritate ss. Patrum in genere scripsimus in tractatu de Traditione (186). Expresse vero enuntiatur a Leone XIII. („*Providentissimus*“): «Sanctorum Patrum, quibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit, *summa auctoritas* est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes; nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorundem vero Patrum sententia tunc etiam *magni aestimanda* est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpret suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu». Praeter auctoritatem summam ergo seu *absolutam*, quae inest *consensui* Patrum in *rebus fidei* (185), agnoscenda quoque est auctoritas *relativa*, quam singuli Patres per se habent, quaeque eo maior est, quo maior est scientia, sanctitas, ac numerus Patrum, qui textum aliquem biblicum explicant. Quo intimius insuper talis textus cum dogmate aliquo cohaeret, et quo maiore firmitate et consensu Patres illum explicant, eo religiosius eorum interpretatio erit sequenda. Ab omnibus igitur his momentis pendet Patrum auctoritas, et quo plura circa aliquem textum concurrunt, eo magis urget monitum Pontificis: „*interpret suum esse noverit, Patrum vestigia reverenter persequi*“. Circa interpretationem rerum profanarum Scripturae Patres nulla speciali auctoritate gaudent; sed tantum valent, quantum probant.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Cum hodie auctoritas Patrum semper magis vilescat, aliud monitum Leonis XIII. ex eius Encycl. «*Providentissimus*», nostris temporibus peropportuno, addere liceat: «Id nimium dedecet, ut

**Corollarium.** Sequitur ex dictis, interpretem catholicum semper respicere debere doctrinam Ecclesiae; non solum *negative*, ne sensum contrarium ex ullo textu eliciat, sed etiam *positive*, ut „*iuxta analogiam fidei*“ Scripturas exponat. Sic e. g. verba: *Sacramentum hoc magnum est* etc. (Eph. 5, 32), considerata secundum intellectum catholicum longe plenior sensum fundunt, ac si iuxta solas regulas mere hermeneuticas exponantur. Idem dic de II Cor. 1, 22; Eph. 1, 13 respectu characteris sacramentalis; de verbis Luc. 1, 28; Gen. 3, 15, praesupposito dogmate de immaculata conceptione; et de multis aliis locis.<sup>1)</sup>

## II.

### De principiis scientificis.

255 Cum s. Scriptura a Deo quidem inspirata, sed modo humano conscripta sit, consequenter praeter principia dogmatica etiam *regulae interpretationis a ratione naturali dictatae* attendi debent. In Theologia dogmatica vero non possumus nec debemus omnes regulas interpretationis proponere, sed eas dumtaxat, quae et quatenus ad eruenda *dogmata* directe pertinent. Hoc autem a duobus potissimum pendet, scilicet a *sensu* verborum et a *personis*, a quibus proferuntur. — Circa sensum Scripturae hoc principium statuimus:

**Thesis 70.** *Distinctione facta inter sensum litteralem, typicum, consequentem et accommodatum dicimus: α) Ex sensu typico aequae ac litterali argumentum dogmaticum derivari potest, illudque argumentum Scripturae est. β) Ex sensu consequente etiam argumentum dogmaticum deduci*

quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvare interdum possit interpretes catholici, meminere tamen, ex crebris quoque veterum documentis, incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam nequiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt» (Greg. M., Moral. XX, 9).

<sup>1)</sup> Franzelin, I. c. de trad. thesi 18 II et coroll. 2.

*potest, at tale non est argumentum Scripturae, sed rationis theologicae. γ) Ex sensu accommodato autem per se certum argumentum dogmaticum colligi non potest.*

Praenoto. *Sensus Scripturae* est illa veritas, quam sacer textus ex intentione Spiritus sancti exprimit et manifestat. Est duplex: *litteralis* (historicus) et *typicus* (mysticus, spiritualis). *Sensus litteralis* ille est, quem ipsae voces in hoc contextu *immediate* exprimunt; *typicus* ille, quem voces non immediate, sed mediantibus *personis* aut *rebus*, quas significant, exprimunt.<sup>1)</sup> Sic voces *Agar* et *Sara* immediate uxores Abraham, mediate duo testamenta significant (Gal. 4, 24). Sensui litterali et typico haud pauci adiungunt sensum *accommodatum* vel *accommodatitium* et *consequentem*. Intelligunt nomine sensus accomodati illum, quem sacer textus non per se, sed ex accommodatione interpretis exprimit. Sic Ecclesia ea, quae per se de sapientia increata scripta sunt, in liturgia passim ad Mariam applicat. Sensem consequentem vero appellant eum, qui non continetur quidem in sacro textu, sed legitime ex eo deducitur.<sup>2)</sup> His positis dico:

**A. Tam ex sensu litterali quam ex typico argumentum dogmaticum, et quidem scripturisticum, ut aiunt, peti potest.** 256

1. Quoad sensum *litteralem* res est evidens, quippe qui immediate a Spiritu sancto intendatur et manifestetur. Cum ergo de hoc sensu certo constat, eo ipso de verbo Dei constat. Sensus autem secundum hermeneuticas regulas, quas

---

<sup>1)</sup> «Auctor rerum, inquit s. Thomas (Quodlib. 7 q. 6 a 14; cf. Summ. th. p. 1 q. 1 a. 10), non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram alterius; et secundum hoc in s. Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundum quod res significatur per verba, et in hoc consistit sensus litteralis; alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis.»

<sup>2)</sup> Veteres paulo aliter sensus Scripturae dividebant iuxta notum illud: *Littera* gesta docet, quid credas *allegoria*; *moralis* quid agas; quo tendas *anagogia*. Augustinus pariter de quadrifaria expositione loquitur: «secundum historiam, secundum aitiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam» (De util. cred. c. 3 n. 5). At difficile non est, diversas istas divisiones inter se componere, ut ostendit Cornely l. c. n. 194; cf. Thom., Quodlib. 7 q. 6 a. 15; Summ. th. p. 1 q. 1 a. 10 ad 2.

auctores biblici tradunt, eruendus est; debito tamen semper respectu interpretationis Ecclesiae habito.

Obiter adverto:  $\alpha$ ) Iuxta *Origenis* opinionem nonnulli textus Scripturae *sensu litterali prorsus carent*, ac solum spirituales sensum habent. Haec sententia autem singularis, falsa et perniciosa est; quia sic «subtracto fundamento rei gestae quasi in aëre»<sup>1)</sup> aedificaretur. Dicendum ergo, quod «sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo».<sup>2)</sup> —  $\beta$ ) Iuxta *Augustinum*, *Thomam* multosque veteres Theologos *multiplex sensus litteralis* in aliquibus locis Scripturae admittendus est. Recentiores tamen fere communiter hanc sententiam reiiciunt.<sup>3)</sup>

2. Quoad sensum typicum propositio ita probatur. Ex sensu typico certum argumentum dogmaticum deduci potest, si revera typi in Scriptura reperiuntur, et si de eorum significatione certo constare potest. Atqui ita est. Utrumque enim tam ex Scriptura quam ex traditione colligitur. Sic quae litteraliter de agno paschali dicta sunt (Ex 12, 46; Num. 9, 12), ea in Christo impleta esse docet Ioannes (19, 36). Hoc autem falsum esset, nisi ex positiva Dei voluntate agnus paschalis fuisset typus Christi, ita ut ea, quae de non confringendis agni ossibus praescripta sunt, simul eminentiore quodam sensu de Christo intelligenda essent. Quare aut omnino est neganda inspiratio, atque dicendum, errasse Evangelistam haec verba in Christo impleta dicentem, aut veri typi verusque sensus typicus statuendi sunt.

At dices: Apostoli ex divina inspiratione significationem typorum noverunt; nos autem solummodo ex *similitudine typi cum antitypo coniecturaliter* concludere possumus. Unde «ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum», ut dicit *Angelicus Doctor*.<sup>4)</sup> — Resp. Vis argumenti ex

<sup>1)</sup> August., Sermo 2 de tentat. Abrah. c. 6 n. 7.

<sup>2)</sup> Thom., Quodlib. 7 q. 6 a. 14 ad 1.

<sup>3)</sup> Vide Patrizi, De interpretat. Bibl. pg. 15—51, Cornely l. c. n. 198, et praesertim Schmid, De inspir. Bibl. vi et rat. n. 222—258, ubi quaestionem erudite tractat et probare conatur, sententiam Augustini, licet minus probabilem, tamen nec in abstracto impossibilem nec in concreto absolute falsam dici posse. Cf. Hilber, Bibl. Hermeneutik p. 22 sqq.

<sup>4)</sup> Quodlib. 7 q. 6 a. 14 ad 4.

sensu typico petiti a duobus pendet, scilicet ex interna similitudine typi cum antitypo, et ex authentica interpretatione et applicatione vel per ipsum scriptorem inspiratum vel per infallibile magisterium Ecclesiae. Primum elementum per se solum, ex ratione a s. Thoma allata omnimodam certitudinem gignere nobis utique nequit; magnam tamen et saepe maximam probabilitatem parere potest, si similitudo inter typum et antitypum est omnino evidens et determinata, maxime si praesto sint alii analogi typi iam authentice declarati. Probabilitas autem transit in certitudinem per authenticam interpretationem alterius scriptoris sacri vel Ecclesiae; quod certe s. Thomas non negavit.

*Instabis:* ergo argumentum ex sensu typico petitum saltem non est argumentum scripturisticum, quia ex se non plenam certitudinem gignit. — Resp. Nego consequentiam. Nam etiam sensus litteralis alicuius textus non semper per solas regulas intrinsecas hermeneuticas, sed dumtaxat per declarationem Ecclesiae plenam certitudinem producit; quin ideo argumentum ex tali textu petitum nomen et rationem argumenti scripturistici amittat. A pari de sensu typico dicendum. — Adverto interim, sensum typicum, etsi ad *demonstranda* dogmata rarius inserviat, ad *illustranda* et *confirmanda* frequentissime et magno successu praesertim in concionibus adhiberi posse; et reapse sensus mysticus non solum a Patribus et Theologis, sed etiam a conciliis adhibitus fuit.<sup>1)</sup>

**B.** *Ex sensu consequente argumentum dogmaticum deduci potest, sed non scripturisticum.* 257

Sensus consequens, ut diximus, non subest quidem sacro textui, at legitimo argumento ex eo deducitur. Hinc α) argumentum efficax ex eo hauriri potest ad demonstranda dogmata. Quod enim ex veritate revelata evidenter concluditur, infallibiliter verum est. β) Attamen hoc argumentum non est stricte argumentum *Scripturae*, sed potius argumentum *ex ratione theologica*. Nam sensus consequens non continetur in verbis Scripturae, sed ope ratiocinii ex Scriptura deducitur. Hinc si proprie loqui velimus, sensus quem consequentem dicunt, non est vere sensus Scripturae.

<sup>1)</sup> Cf. Scheeben l. c. n. 240 f; Cornely l. c. n. 204.

Verum equidem est, quod dicit *Augustinus*:<sup>1)</sup> «Spiritus Dei, qui per scriptorem inspiratum haec verba operatus est, etiam hanc sententiam lectori vel auditori occurruram sine dubitatione praevidisse, immo ut occurreret, quia et ipsa veritati sit subnixa, providisse.» Sed ratio *sensus* aliquid amplius requirit, scilicet ut talis veritas non solum *ex* Scriptura deducatur, sed ut *in* Scriptura contineatur. — Sedulo tamen adverte, non statim sensum consequentem dicendum esse, si ad eum eruendum aliqua *explicatio terminorum* requiratur; utique vero, si est fructus proprie dictae argumentationis. Sic ex verbis: *ave gratia plena* (Luc. 1, 28) immaculata conceptio tamquam sensus consequens eruitur; sed in verbis: Christus est homo, eius compositio ex anima rationali et reali corpore organico non phantastico litteraliter continetur.<sup>2)</sup>

258 C. *Ex sensu accommodato per se certum argumentum dogmaticum colligi non potest.*

Sensu accommodato s. Scriptura adhibetur, si verba ad aliud applicantur, quam quod ex intentione scriptoris sacri significant. Unde ultro liquet, sensum accommodatum minore adhuc iure proprie dictum sensum Scripturae nominari, ac sensum, quem consequentem vocant. Duplicem porro accommodationis speciem distinguunt biblici: per *extensionem* et per *allusionem*. Illa in rerum, haec in verborum similitudine fundatur. Cum e. g. Ecclesia in suis officiis verba Ecclesiastici de Noe (44, 17): *Inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio*, ad sanctos confessores applicat, haec est accommodatio per extensionem. Cum verba Psaltis (67, 36): *mirabilis Deus in sanctis suis*, ad sanctos accommodantur, est accommodatio per allusionem, quia verba textus proprie de *sanctuario* dicta sunt.

His positis imprimis accommodatio s. Scripturae, debitis sub cautelis, nedum licita, sed pia et utilis est eiusque usus admodum familiaris Patribus et Ecclesiae in liturgia, nec ipsi Scripturae alienus.<sup>3)</sup> Sed non minus certum est,

<sup>1)</sup> De doctr. christ. I. 3 c. 27 n. 38.

<sup>2)</sup> De hoc etiam postea.

<sup>3)</sup> Comparetur e. g. Hebr. 13, 5 cum Ios. 1, 5; II Cor. 8, 15 cum Ex. 16, 18; Apoc. 11, 4 cum Zach. 4, 14 etc. Cf. Cornely n.

accommodatos textus in dogmatum demonstrationem vel confirmationem per se afferri non posse; quippe quum sensus accommodatus ex dictis nec sit verus sensus Scripturae, nec ex eo necessario consequatur.

Dixi autem *per se*; nam si Ecclesia in suis officiis vel Patres unanimi consensu textum certo modo accommodant, bene exinde argumentum traditionis resultare potest. Sic nullum dubium, pro sanctitate et dignitate b. Virginis ex officiis, in quibus dicta de Sapientia hypostatica ad Mariam applicantur, haud spernendum argumentum desumi. Sed hoc argumentum non est scripturisticum sed ex traditione vel ex sensu Ecclesiae.

**Thesis 71.** *Ea omnia, quae s. Scriptura in persona auctoris inspirati dicit, divinam auctoritatem habent. Si autem alia persona loquens inducitur, verbis eius tunc solum canonica auctoritas inest, si haec verba vel ex dignitate et indole personae, vel ex approbatione hagiographi, vel ex aliis circumstantiis et maxime ex authentica interpretatione Ecclesiae in Deum tamquam in auctorem refunduntur.* 259

Non omnis sententia s. Scripturae circa fidem vel mores, etsi sensus planissimus et certissimus sit, eo ipso regulam credendi constituit. Quamvis enim in s. Scriptura omnia vere dicta sint, at non omnia dicta etiam vera sunt. «In Evangelio, inquit *Augustinus*,<sup>1)</sup> quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia, quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse, verax Evangelii Scriptura testatur.» Quid porro de huiusmodi dictis tenendum sit, aliquando ultro liquet, cum e. g. de sentiis impiis hominum perversorum agitur; aliquando vero res non tam liquida, immo valde dif-

---

206, qui de sensibus Scripturae dilucide tractat. Audiatur etiam Leo XIII («Providentissimus Deus»): «Caveat idem (interpres), ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti.»

<sup>1)</sup> Contr. Priscill. ad Oros. c. 9 n. 12.

facilis esse deprehenditur. Quid e. g. dicendum de verbis matris Machabaeae eiusque filiorum (II Mach. c. 7), aut de verbis Iob eiusque amicorum, ex quibus integer fere liber inspiratus componitur? Quid de dictis Heli (I Reg. 2, 25), Achior (Iudith c. 5), coeci nati (Ioan. 9, 31), Marthae (ib. 11, 21), Gamalielis (Act. 5, 34 sqq), Stephani (ib. c. 7), et de sexcentis aliis dicendum? Quapropter sin minus necessarium, certe peropportunum erit, ut in Theologia fundamentali, quae de locis theologicis ad probanda dogmata agit, saltem generalia principia de hac quaestione statuantur. Ea in thesi proposita innuuntur.<sup>1)</sup> Itaque ;

260 Dico 1. *Ea omnia, quae scriptor sacer vi inspirationis dicit, divinam auctoritatem habent.*

Principium enuntiaturum ex ipsa notione inspirationis immediate elucet. Ex inspiratione etenim fit, ut sacer scriptor non tam ex proprio quam ex divino impulsu sua sensa depromat; quocirca magis Deo quam scriptori omnia attribuenda et imputanda sunt. — Sed sunt nonnulla dubia:

a. Quid, si auctor inspiratus *verba alio tempore ab ipso dicta referat*, non sensa praesentia? An e. g. infallibiliter verum et credendum est, Moysen non fuisse eloquentem, eo quod ipse narrat, se Domino respondisse: *non sum eloquens* (Ex. 4, 10)? — Resp. Minime. Moyses enim eo tempore, quo haec dixerat, nec infallibilis nec inspiratus erat. Quare verba tunc ab eo prolata non erant infallibilia; neque ex eo solum, quod in libro inspirato narrantur, ad dignitatem verbi Dei evehuntur.

b. Quid porro, si auctor sacer se *a Deo discernit*, aut sua *gesta narrat*? An e. g. infallibiliter verum est, quod Paulus dicit, se supra modum persecutum esse Ecclesiam Dei (Gal. 1, 13), aut se omnium peccatorum primum esse (I Tim. 1, 15), aut b. Petrum reprehensibilem fuisse (Gal. 2, 11)? — Respondeo, quod sic. Haec enim non solum narrationem de eo, quid auctor inspiratus aliquando senserit, sed eius sensum praesentem veramque affirmationem expriment, quam auctor inspiratus hic et nunc, ac proinde *qua*

<sup>1)</sup> De hac materia copiose disserit Schmid, De inspirationis Bibliorum vi et ratione, quem «librum *classicum*» appellat Kaulen (Einleitung in die Hl. Schrift p. 1 n. 21 ed. 3).

*inspiratus* profert. Ergo ex ipsa notione inspirationis in Deum tamquam in auctorem refunduntur. Solummodo dici potest, verba, quibus Apostolus tam abiecte de se loquitur, hyperbolice dicta esse. Cum enim hyperbola sit figura legitima sermonis humani, ea neque a Scriptura divina, quae modo humano exarata fuit, abhorrere putanda est.

c. Quid dicendum, si sacer scriptor proprios *animi motus* manifestat? — Resp. In primis liquet, hagiographum, dum scriberet, illos affectus revera habuisse; hoc quippe postulat s. Scripturae veritas. Sed non minus certum esse videtur, istos animi motus in se licitos ac honestos fuisse. Affectus animi enim, qui in verbis vel scriptis vel factis foras prorumpunt, eo ipso quasi corpus induunt, novamque bonitatem vel malitiam contrahunt. Qui e. g. imprecationes conscribit, non solum propter odium mente conceptum, sed etiam propter conscriptionem imprecationum peccat. Cum igitur Deus sit auctor principalis scriptionis, eo ipso particeps efficeretur affectuum pravorum hagiographi. Sed dices: an peccat, qui peccata sua scribit, ut ea manifestet? Resp. Si peccata scribit, ut de illis se accuset, non peccat; utique vero, si affectu peccaminoso, quem hic et nunc gerit, ea quasi scribendo confirmet. Hagiographi autem suos affectus, quos tunc habebant et approbabant, Deo movente conscripserunt. Ergo sine blasphemia dici nequit, eos inhonestos fuisse. Hinc sequitur, diras imprecationes, quae in nonnullis Psalmis inveniuntur, nedum peccato carere, sed sanctas fuisse.

d. Quid tandem, si sacer scriptor *praecepta* dat aut *consilia*? — Resp. De his ante omnia idem valet, quod de affectibus diximus; scilicet ista praecepta et consilia certe licita et vera fuerunt tam in se quam in suis suppositionibus. Sic ex mandatis Apostoli de usu charismatum (I Cor. 14) infallibiliter constat, huiusmodi charismata in prima Ecclesia admodum frequentia fuisse. — Alia quaestio est, an omnia praecepta, a scriptore inspirato data et conscripta, eo ipso iuris *divini* sint. Sed respondendum est omnino negative. Quis e. g. dicet, fuisse praeceptum divinum, ut Timotheus penulam afferret (II ep. 4, 13), ut modico vino uteretur (I ep. 5, 23)? Ratio assertionis est, quia s. Scriptura a Deo

quidem inspirata, ast modo humano conscripta est. Sicut ergo Deus sacro auctori in scribendo inspirare potuit, quid ipse qua homo probus et sanctus sentiat, ita non minus ei suggerere potuit ut scribat, quid tamquam amicus amico suadeat aut tamquam superior humanus subditis praecipiat. Quapropter ut lex aliqua divini iuris esse dicatur, minime sufficit, eam in libro aliquo inspirato scriptam reperiri aut ab auctore inspirato datam esse; sed hoc aliunde e. g. ex materia legis aut ex verbis, quibus datur, determinandum est.

261 Dico 2. *Si in s. Scriptura alia persona loquens inducitur, ex eius verbis non semper, sed nonnisi sub certis conditionibus argumentum dogmaticum desumi potest.*

Conditiones notari possunt sequentes:

a. *Dignitas et auctoritas personae.* Si videlicet in Scriptura Deus loquitur aut Christus Deus-homo, aut b. Virgo aut angeli ceterive caelicolae, aut Apostoli et prophetae qua Apostoli aut prophetae, ea verba canonica auctoritate pollent. De *Deo* et *Christo* res est evidens. Verba quoque b. *Mariae*, quae est sedes Sapientiae et virgo prudentissima, certe vera et sancta fuerunt; quod prae primis de cantico «Magnificat» valet, in spiritu prophetico prolato. *Angeli* ceterique caelicolae (cf. Apoc. 6, 9. 10; 7, 10; 8, 13), quia Dei visione fruuntur, nec mentiri nec falli possunt, et nonnisi tamquam internuntii divini hominibus apparent ac loquuntur. Quare eorum verba nedum vera esse cognoscuntur, sed auctoritatem mittentis Dei participant. Vides e. g., quod ex hoc solo capite sermo Archangeli Raphaelis (Tob. 5, 7 sqq) ab omni mendacio excusari potest et debet.<sup>1)</sup> *Prophetas*, quando ut tales loquuntur, infallibiles esse ex eorum munere constat. At non semper ut tales loquebantur, et tunc errare poterant ac revera aliquando errabant; sicuti e. g. accidit Nathan prophetae, qui primo erronee consilium dedit David, ut templum aedificaret, postea autem audito sermone Domini, eum prohibuit (II Reg. 7, 3 sqq).

Quoad verba *Apostolorum* distinguendum primo est inter ea quae ante adventum Spiritus sancti, et ea quae post

<sup>1)</sup> Cf. Suarez, De Fide disp. 8 s. 3 n. 4; Gutberlet in Tob. 5, 7 (Kommentar z. Buch Tobias, Münster 1877).

illum protulerunt. Priora certe non omnia divina erant, ut ex ipsa improbatione Christi patet (cf. e. g. Matth. 16, 23). Sed etiam post adventum Spiritus s. non in omnibus infallibiles erant Apostoli, sed dumtaxat in rebus fidei et morum. Et revera, cum e. g. Paulus in oratione Mileti ad maiores natu habita diceret (Act. 20, 25): *Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei*, in hoc videtur errasse. Cum enim post priorem captivitatem in Asiam minorem rediret, utique plures eorum, quibus valedixerat, faciem eius iterum videre poterant. At hic error non erat circa res fidei et morum. — Et si I Cor. 1, 14—16 Paulus primo ex lapsu memoriae affirmat, quod Corinthi neminem baptizaverit nisi *Crispum* et *Caium*, postea autem se corrigens dicit: «*Baptizavi et Stephanae domum, ceterum nescio si quem alium baptizavi*», haec contradictio non obest veracitati Scripturae. Agitur enim de opinione privata Apostoli, in qua errare potuit. Deus utique ei inspiravit, ut hanc suam opinionem manifestaret et conscriberet; sed eam non approbavit. Immo ex immediato contextu patet, primam affirmationem (v. 14) ex lapsu memoriae falsam esse, ideoque v. 16 corrigitur. Ergo versus 14 verus quidem est veritate citationis, sed non rei citatae.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Zeitschrift f. kath. Theologie XXXIV (1910) S. 500—525: Holzmeister, Enthalten die Verse I Kor. 1, 14 u. 16 einen Widerspruch? — Huic principio innixi nonnulli exegetae interpretantur I Thess. 4, 14 sqq: „*Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt . . . et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo*“. His verbis, inquiunt, Paulus satis clare innuit opinionem, semetipsum quoque in adventu Domini inter vivos futurum esse. Quae opinio utique falsa fuit, at non ex revelatione hausta, sed coniectura tantum personalis Apostoli. — Haec interpretatio tamen omnino improbabilis esse videtur. Cum enim in A. T. regnum Messiae non ut particulare ac veluti momentaneum, sed tamquam universale et permanens (Is. 2, 2 sq; c. 60; Matth. 24, 14) praedictum fuerit; cum ipse Christus Ecclesiam suam manifesto non ad unum alterumve annum nec pro solis Iudaeis, sed pro toto genere humano instituerit, fidemque universae creaturae apostolos praedicare iusserit: quis, quaeso, sibi persuadebit, apostolos putasse, Christum ipsis adhuc viventibus ad ultimum iu-

**b. *Inspiratio prophetica***, si certo adfuisse constat, divinam auctoritatem conciliat verbis etiam hominis ceteroquin perversi. Sic non solum prophetia Iacob morientis (Gen. 49), Tobiae (13, 14), Simeonis (Luc. 2, 34), cantica populi Israel (Ex. 15), Debborae (Iud. 5), Annae (I Reg. 2), Iudith (16), Zachariae (Luc. 1, 68), b. Virginis (1, 46) etc.; sed etiam prophetiae Balaam arioli (Num. 23 sq) et Caiphae (Ioan. 11, 49 sq) ut verbum Dei considerari debent. Aliae vero assertiones, utut extraordinariae et sanctissimae personae in Scriptura loquentis, per se ad summum probabile, non vero certum argumentum veritatis dictorum praebent: quod expressa demonstratione non eget. Sic dictum coeci nati: *quia peccatores Deus non audit* (Ioan. 9, 31) non est sententia divina, licet ceteroquin vero sensu accipi possit.

**c. *Approbatio divina*** cuilibet dicto canonicam auctoritatem tribuit. Res est evidens. Quare omnis sententia, quae vel a Deo vel ab hagiographo vel ab Apostolis aut expresse aut sub formula «Scriptura dicit, scriptum est» approbatur, pro canonica haberi debet. Sic auctor inspiratus approbavit sacrificia pro mortuis (II Mach. 12, 43 sq); Christus confessionem b. Petri (Matth. 16, 16 sq), turbae ac puerorum (ib. 21, 9. 15. 16); Deus verba Iob (42, 7) approbat; Paulus ipsum effatum Eliphaz allegavit sub formula «scriptum est» (I Cor. 3, 19; cf. Iob 5, 13 et Ps. 93, 11). Immo non solum expressa, sed *tacita* quoque et *aequivalens* approbatio sufficiens censi debet. Quare interpretatio vaticinii Michaeae a principibus sacerdotum et scribis data (Matth. 2, 5) sine dubio divinam auctoritatem habet, non propter infallibilitatem interpretum, sed propter tacitam approbationem Evangelistae.<sup>1)</sup>

---

dicium venturum esse? Et revera ipse Paulus II Tim. 4, 4—8 satis clare expressit, moriendum sibi esse ante adventum Domini. Dicendum ergo est cum s. Augustino, quod Paulus illis verbis: „*nos qui vivimus*“ personam illorum quos Christus in suo adventu viventes inventurus est, in se atque illis qui tunc secum vivebant, transfiguravit. (De civit. Dei l. 20 c. 20 n. 2).

<sup>1)</sup> Ad rem Cornely (l. c.): «Quapropter divina auctoritate gaudere censemur illa omnia, quae a Iobo amicisque eius et Eliu proferuntur, in quantum inter eos de illis convenit et in quantum

E contrario defectus approbationis hagiographi signum est, relationem aliquam historicam, quae in Scriptura legitur, veram quidem esse veritate citationis, sed non veritate rei citatae. Sic in I Mach. 6, 1—16 et II Mach. 9, 1—29 mors Antiochi aliter narratur, quam in II Mach. 1, 10—17. Quae dissonantia solvi potest, si attendatur, quod hagiographus in hoc altero loco, scil. II Mach. 1, 10—17 non *suam ipsius* relationem narrat, quam expresserat in prioribus locis (I Mach. 6, 1—16 et II c. 9, 1—29), sed narrat relationem *Iudaeorum Ierosolymitanorum*, quin eam approbet vel suam faciat. In prioribus locis ergo habetur veritas citationis et rei citatae; in posteriore loco veritas quidem citationis habetur, sed non veritas rei citatae. — Haec solutio bene respondet decreto Commiss. Bibl. de Citationibus implicitis.<sup>1)</sup>

d. *Interpretatio authentica Ecclesiae*, dummodo suffi-

illis nec a Deo nec in prologo nec in epilogo (i. e. ab hagiographo) contradicatur. Namque ex regulis in dialogi compositione observatis omnia illa auctor censetur approbare, in quibus interlocutores consentiunt, nisi dissensum suum alibi in opere diserte manifestet; ergo etiam a primario libri nostri auctore, Spiritu sancto, eadem velut vera approbantur. Porro ex inspiratione libri immediate deducitur, saltem summam doctrinam, quae legitima interpretatione ex eo eruitur, veram esse et divinae auctoritatis; secus enim inutilis esset ad docendum . . . et erudiendum in iustitia. Ad summam autem hanc illa quoque pertinent, quae a colloquentibus ad eam explicandam, illustrandam, confirmandam adducuntur, in quantum de iis vel diserte vel tacite conveniunt, et in quantum auctor ea erronea esse alio modo non manifestat.» — Ut aliud exemplum afferamus, non videtur esse dubium, assertionem matris Machabaeae, mundum ex nihilo factum esse, a Scriptura canonica approbatam fuisse. Cum enim haec mulier ab hagiographo «supra modum mirabilis» et «repleta sapientia» praedicetur (II Mach. 7, 20. 21), quis in animum sibi inducet, eam in dogmate fundamentali de origine mundi errasse ac haeresim pronuntiasse? Praeterea s. Scriptura creationem ex nihilo aliis in locis manifesto docet, ideoque indirecte etiam effatum matris Machabaeae approbat et confirmat. — Aliud exemplum habes in verbis daemonum, quibus divinitatem Christi divinamque eius missionem confessi esse narrantur (Marc. 1, 23 sq; Luc. 4, 33 sq). Ea enim sine dubio ab Evangelista approbata dici debent. Ideo enim in Evangelio haec referuntur, ut omnibus innotescat, Christum a caelo, a terra et ab inferis testimonium suae missionis accepisse.

<sup>1)</sup> Denzinger 1979. Cf. Hetzenauer l. c. pg. 75.

cienter de ea constet, pariter indubium testimonium veracitatis est. Haec sola ratio sufficit, ut e. g. sermones Apostolorum, qui in Actibus relati sunt, et plures alii loci Scripturae, qui a Patribus unanimi consensu ut inspirati allegantur, divina auctoritate gaudeant.<sup>1)</sup>

262 **Scholion 1.** *De lectione s. Scripturae* haec pauca notasse sufficiat: **a.** Lectio s. Scripturae generatim *utilissima* est non solum pro Ecclesia docente, iuxta illud (II Tim. 3, 16): *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* etc. sed etiam pro Ecclesia discente, cum omnibus dictum sit ab Apostolo (Rom. 15, 4): *Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.*

**b.** Lectio Scripturae non est *absolute necessaria*, neque pro Ecclesia generatim, neque pro singulis fidelibus. Vera religio enim per solam traditionem oralem conservari et propagari potest, et revera propagata fuit in antiquo foedere usque ad Moysen, et in novo foedere usque ad scriptionem Evangelii et in nonnullis regionibus longo post tempore. Nam, ut *Irenaeus*<sup>2)</sup> dicit, sunt «multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes»... «propter fidem placent Deo». Et *Augustinus*:<sup>3)</sup> «Homo fide, spe et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria in solitudine sine codicibus vivunt».<sup>4)</sup>

**c.** Est tamen lectio Scripturae *secundum quid necessaria pro Ecclesia docente*. Certe enim hoc talentum pretiosissi-

<sup>1)</sup> Quaeres: an sententia aliqua, quae persuasionem constantem veteris synagogae exprimit, pro infallibili habenda est? — Resp. Utique; eo quod populus israeliticus probabiliter non solum ordinario magisterio sacerdotii divinitus instituti, sed extraordinarie per prophetas et responsiones divinas per Urim et Thumim in vera religione conservabatur. Ad singulas tamen sententias piorum Israelitarum aut etiam summi Pontificis, quae in Scriptura occurrunt, infallibilitas non debet extendi. Cf. e. g. I Reg. 2, 25.

<sup>2)</sup> Adv. haeres. l. 3 c. 4 n. 2.

<sup>3)</sup> De doctr. christ. l. 1 c. 39 n. 43.

<sup>4)</sup> Cf. Perrone, Praelect. theol. de Ecclesia n. 29.

num Deus non ideo dedit Ecclesiae, ut illud in terram foderet, sed ut eo uteretur ad finem, propter quem datum est. Hinc Apostolus Colossenses monuit, ut epistolam legerent, quam scripserat ad Laodicenses, ac vicissim ut Laodicenses eam legerent, quam direxerat ad Colossenses: *Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur, et eam, quae Laodicensium est, vos legatis* (Col. 4, 16). — Immo per accidens fieri potest, ut lectio Scripturae etiam homini privato ad inveniendam veritatem necessaria sit, e. g. homini Iudaeo ad inveniendum Messiam (Ioan. 5, 39) vel Protestanti ad inveniendam veram Ecclesiam.

**d.** *Lectio illimitata et a magisterio ecclesiastico independens pro singulis fidelibus nec necessaria nec utilis, sed perniciosa est*, maxime iis temporibus, cum haeretici insurgunt, qui Scripturis abutuntur ad incautos fallendos. Res est evidens in se et saeculorum experientia confirmata.

**e.** Secundum principia enumerata, quae nemo negare potest, Ecclesia catholica semper se gessit et adhucdum se gerit. Semper enim studium et lectionem s. Scripturae in suis ministris promovit, iisque iniunxit, ut historiam praesertim biblicam, Evangelium, epistolas apostolicas aliasque partes Scripturae fidelibus exponerent.<sup>1)</sup> Ex altera vero parte Ecclesia, mater et magistra, non solum iure optimo usa est, sed officio stricto satisfecit, dum lectionem s. Scripturae in lingua vernacula moderaretur et congrue restringeret.<sup>2)</sup>

**Scholion 2.** Tractatibus de traditione et s. Scriptura absolutis pro coronide succinctam eorum inter se comparisonem instituere iuvat. 263

Itaque 1. tam Scriptura quam traditio verbum Dei continent fontemque divinum revelationis constituunt. Quare *simpliciter dignitate pares* sunt, ideoque «pari pietatis af-

<sup>1)</sup> Conc. Trid. (Sess. V de ref. c. 1) statuit, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus peculiaris praebenda constitueretur pro uno s. Theologiae lectore, cuius esset exponere et interpretari s. Scripturam pro clero et populo.

<sup>2)</sup> Cf. Theolog. Wirzeb. t. 1 n. 49—54; Perrone l. c. n. 294—335.

fectu ac reverentia» eas suscipere ac venerari debemus (conc. Trid. Sess. IV).<sup>1)</sup> Nihilominus *secundum quid* Scriptura dignitate praecellit traditioni; non quidem *materialiter* sed *formaliter*, quia Scriptura non solum revelationem continet ut traditio, sed insuper divinitus inspirata Deum auctorem habet.

2. Ex altera parte traditio, si eam adaequate tam active quam objective (166) consideramus, sub multiplici respectu *praecedit Scripturae*; et quidem: **a.** *Amplitudine*, cum verbum Dei traditum latius pateat, quam verbum Dei scriptum (176). Immo ipsa Scriptura est pars traditionis, quae ad instar ingentis fluminis Scripturam gestat velut navem mercibus pretiosissimis plenam. — **b.** *Praecedit tempore*, eo quod prius fuerit traditio quam Scriptura (173). — **c.** *Cognitione*, cum Scripturae inspiratio, canon et sensus nonnisi ex traditione certe, infallibiliter et modo omnibus accommo cognosci possit (235. 250), traditio vero active spectata seu in concreto magisterium orale a Christo institutum etiam aliis mediis cognosci queat. — **d.** Hinc traditio praecedit quodammodo *independentia* et *necessitate*; eo quod Scriptura tamquam littera mortua a magisterio vivo divinitus instituto ita dependet, ut per se nequaquam sufficiat ad illam fidem gignendam et conservandam, quam Christus fundavit et exigit (170, 3). Quare manet illud *Augustini* dictum: «Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.»<sup>2)</sup> Ecclesia autem est subiectum, seu iuxta *Irenaeum*<sup>3)</sup> «depositorium divines» apostolicae traditionis. Sed de his uberius in sequente tractatu.

---

<sup>1)</sup> Denzinger 783. Cf. Pallavicini, Hist. conc. Trid. l. 6 c. 14 n. 3.

<sup>2)</sup> Contr. epist. fundam. c. 5 n. 6.

<sup>3)</sup> Adv. haer. l. 3 c. 4.

# TRACTATUS IV.

## DE ECCLESIA CHRISTI.

Codex iur. canon. lib. 3 pars 4 De magisterio ecclesiastico can. 1322—1408, Romae 1917. R. Bellarmin, De controversiis christianae fidei, Romae 1581. J. v. Döllinger, Kirche und Kirchen, München 1861. Idem, Christentum und Kirche in der Zeit der Grundlegung 2. Aufl., Regensburg 1868. C. Passaglia, De Ecclesia Christi, Ratisbonae 1853. J. F. H. Selbst, Die Kirche Christi nach den Weissagungen der Propheten, Mainz 1883. J. B. Franzelin, Theses de Ecclesia Christi ed. 2., Romae 1907. C. Mazzella, De religione et Ecclesia ed. 5., Romae 1896. J. V. de Groot, Summa apologetica de Ecclesia ed. 3., Ratisbonae 1906. L. de San, Tractatus de ecclesia et Romano Pontifice 1906. Th. Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin, Paderborn 1892. J. Schäfer, Das Reich Gottes im Lichte der Parabeln des Herrn, Mainz 1897. W. Wilmers, De Christi Ecclesia, Ratisbonae 1897. L. Billot, De Ecclesia Christi ed. 2., Romae 1904. M. Grabmann, Die Lehre des hl. Thomas v. Aquin von der Kirche als Gotteswerk, Regensburg 1903. Poschmann, Sichtbarkeit der Kirche nach Cyprian 1908. E. Commer, Die Kirche in ihrem Wesen und Leben, Wien 1904. Bruders, Verfassung der Kirche bis 175 (1905). K. Adam, Der Kirchenbegriff Tertullians, Paderborn 1907. G. van Noort, De Ecclesia Christi ed. 2., Amsterdam 1909. S. Schiffini, De vera religione seu de Christi Ecclesia eiusque munere doctrinali, Senis 1908. J. Beßmer, Philosophie und Theologie des Modernismus, Freiburg 1912. B. Bartmann, Das Himmelreich und sein König nach den Synoptikern 1904. Idem, Das Reich Gottes in der Hl. Schrift (Bibl. Zeitfragen) 1912. Dorsch, De Ecclesia Christi 1904. St. Dunin-Borkowsky, Die Kirche als Stiftung Jesu 3. Aufl., München 1921. Idem, Anfänge des Episkopats 1900. Tanquerey, De vera religione, de ecclesia ed. 13., Romae-Torn.-Paris 1910. A. Straub, De Ecclesia Christi 2 vol., Oeniponte 1912. M. d'Herbigny, Theologica de Ecclesia 2 vol. ed. 2., Paris 1921. Esser-Mausbach, Religion, Christentum, Kirche III 4. Aufl., Kempten 1921. H. Dieckmann, De Ecclesia 2 vol., Friburgi 1925. Idem, Die Verfassung der Urkirche 1923. A. Ehrhard, Urchristentum und Katholizismus 1926.

---

## Prolegomena.

### De variis acceptionibus et statibus Ecclesiae.

#### Eius definitio, pretium, divisio.

264 I. *De etymologia et usu profano nominis.* „Ecclesia“ etymologice (ἀ ἐκκαλέω) idem sonat ac *evocatio* seu in concreto *evocatorum coetus*. Evocatio opponitur coactioni, ideoque ad creaturas dumtaxat liberas dirigitur. Libera autem convocatio et inde resultans congregatio non fit, quin finis aliquis communis eos adunet. Ecclesia igitur prima sua acceptione quemlibet coetum hominum, sive religiosum sive profanum, sive bonum sive malum denotare potest. Haud raro etiam sensu translato ipse *locus*, ubi convocati congregantur, ecclesia appellatur. — Istae porro acceptiones non solum apud auctores profanos, sed etiam in s. Scriptura aliquando occurrunt. Saepius enim coetus profanus et politicus dicitur ecclesia (cf. Act. 19, 32. 39 sq; Iud. 20, 2; Eccli. 21, 20 etc.); Psalmi loquuntur de ecclesia malignantium (Ps. 25, 5); alibi ecclesia metonymice pro *loco*, *concione*, *concilio* sumitur (Iudith 6, 21; I Cor. 11, 22; Deut. 18, 16).

II. *De usu theologico huius nominis generatim.* Licet vox *ecclesia* etiam profanam congregationem designare possit, communi tamen et solèmoni usu *Ecclesia* in ss. litteris significat coetum religiosum, Deo sancte religatum.<sup>1)</sup> Et quoniam nonnisi una est vera religio eaque supernaturalis, hinc sensu theologico generice nomine Ecclesiae *societas supernaturalis* intelligitur, quae bene definitur a Card. Franzelin:<sup>2)</sup> *Societas vel communio vero supernaturali cultu adhaerentium Deo*. Haec definitio describit Ecclesiam late sumptam.

Merito autem, ut docet Bellarminus,<sup>3)</sup> populus Dei vocatur *Ecclesia* seu «coetus *vocatorum*, quia nemo ad hunc populum se adiungit per se et suo proprio instinctu, sed omnes, quotquot veniunt, a Dei vocatione praeveniuntur... Hinc toties Apostolus Christianos appellat vocatos in omni-

<sup>1)</sup> Lactant., Div. inst. IV, 28.

<sup>2)</sup> Theses de Eccl. Christi, opus posthumum, thes. 1 (Romae 1887); cf. Greg. de Valentia, Analys. fid. l. 4 c. 2.

<sup>3)</sup> De Eccl. milit. l. 3 c. 1.

bus fere epistolis». Et *Catechismus Rom.*:<sup>1)</sup> «*Vocavit enim nos (Deus) intimo quidem Spiritus sancti afflatu, qui corda hominum aperit, extrinsecus autem pastorum et praedicatorum opera ac ministerio.*»

III. *De Ecclesia in sensu latissimo, ut est communio 265 sanctorum.* Ecclesia generatim spectata ex dictis est societas supernaturali cultu Deo adhaerentium. Duplex autem est classis creaturarum rationalium Deo adhaerentium, scilicet *angeli et homines*; duplex quoque est modus adhaesionis, nimirum in *via* et in *termino*. Sensu ergo latissimo Ecclesia non solum fideles super terram, sed etiam animas fidelium in purgatorio, et angelos ac sanctos in caelo sub se complectitur. Hinc orta est pervulgata distinctio Ecclesiae in *triumphantem, militantem et purgantem*; quae uno verbo *communio sanctorum* vocantur. Adverte tamen, ista nomina proprie non exhibere tres diversas Ecclesias, sed tres status unius eiusdemque Ecclesiae. Nam ut *Augustinus* ait:<sup>2)</sup> «Una civitas Dei, cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis (beatis) opitulatur.» Haec est illa civitas, quam Paulus significat, dicens (Hebr. 12, 22—24): *Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis, . . . et spiritus iustorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem.* Est illa civitas, quae in Apocalypsi describitur (c. 21), atque in hymno dedicationis Ecclesiae «caelestis urbs Ierusalem» magnifice decantatur. Porro in praesente tractatione sermo unice habetur de Ecclesia militante, quae, ut *Catechismus Rom.*:<sup>3)</sup> dicit, «ideo militans vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus, mundo, carne, satana perpetuum sit bellum». Sed in hac etiam varii status distinguere possunt et debent; scilicet Ecclesia *patriarchalis, mosaica et christiana.*

IV. *De Ecclesia patriarchali.* Primus status, quo Ecclesia se nobis repraesentat, est status *patriarchalis*. Ecclesia sub hac forma appellatur etiam Ecclesia *legis naturae*; non

<sup>1)</sup> P. 1 c. 10 q. 3.

<sup>2)</sup> De civit. Dei l. 10 c. 7.

<sup>3)</sup> L. c. q. 5.

quasi homo tunc in puris naturalibus fuisset, cum status purae naturae de facto nunquam exstiterit, sed ita appellatur in oppositione ad leges positivas per Moysen in veteri et per Christum in novo foedere datas. Ecclesia sub hac forma

a. incepit ab ipso exordio generis humani. Sicut enim nullum fuit tempus, in quo non colebatur vera religio, ita nullum fuit tempus, in quo non existebat vera Ecclesia, quae est subiectum concretum verae religionis. «Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiae constituti.» Ita *Gregorius M.*<sup>1)</sup> iuxta *s. Thomam*<sup>2)</sup> «corpus Ecclesiae constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius». Dicunt quidem Patres,<sup>3)</sup> Ecclesiam initium habere ab Abel, sicut mala civitas a Cain. At per hoc certe nolunt ab Ecclesia excludere protoparentes, a quibus Abel in religione institutus fuit; sed primum nominant Abelum, propter sacrificium quod obtulit, et propter innocentem et cruentam mortem, qua Christum praefiguravit.<sup>4)</sup>

b. Natura huius Ecclesiae minus quidem determinata erat, nihilominus essentialia elementa verae Ecclesiae in ea clare deprehenduntur, scilicet vera *fides*, praesertim in futurum redemptorem (104); *cultus externus*, *sacerdotes* et *sacrificia* (Abel, Enos, Noe, Abraham, Melchisedech etc.). Sacerdotium tunc propagandum erat per primogenituram, ita ut primogenitus simul patriarcha esset et sacerdos ac quasi propheta, ut Augustinus dicit, et «praeco iustitiae» (II Petr. 2, 5).

V. *De Ecclesia mosaica*. Ecclesiae patriarchali successit mosaica, quae etiam *synagoga* appellatur. Successit, in-

<sup>1)</sup> L. 5 ep. 18 ad Ioan.; cf. August. in Ioan. tr. 45 n. 9.

<sup>2)</sup> Sum. theol. p. 3 q. 8 a. 3.

<sup>3)</sup> Sic Gregorius M. (Hom. 19 in Evang.) vineam Dei universalem Ecclesiam vocat, «quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit».

<sup>4)</sup> Cf. August., De civit. Dei l. 17 c. 1; Franzelin l. c. thesi 3; Barthol. d'Avanzo ep. Calvens. in relat. ad c. 1 Const. de Eccles. (Coll. Lacens. pg. 318); Phillips, Kirchenrecht Bd 2 § 91 ff (Regensburg 1846).

quam, non tamen ita, ut illa penitus abrogaretur. Aggregatio ad synagogam enim non erat omnibus hominibus obligatoria, immo nec permissa (Deut. 23, 3. 8). Quare una cum Ecclesia nationali Iudaeorum usque ad promulgationem Evangelii perduravit Ecclesia legis naturae, in qua media salutis necessaria conservarentur; ut Patres docent et *Innocentius III.* (cap. *Maiores*) declaravit.<sup>1)</sup> Necesse non est, ut exponendae Ecclesiae mosaicae diutius immoremur; siquidem omnia, quae de revelatione mosaica (106—112) diximus, etiam de Ecclesia mosaica valent. Solummodo advertimus, eam multo perfectiorem fuisse Ecclesia patriarchali, atque ab ipso Deo quoad omnia elementa determinatam. Sacrificia enim, sacramenta, caeremoniae, solemnitates, tabernaculum et templum, sacerdotium, magisterium et regimen; brevi: omnia, quae quomodocunque ad cultum divinum pertinent, ab ipso Deo constituta erant atque ordinata. — Quamquam vero Ecclesia mosaica longe praecelleret Ecclesiae legis naturae, longe tamen cedebat Ecclesiae christianae, ad quam se habet ut umbra et typus, ut paedagogus ad filium, ut serva ad liberam (Hebr. 7, 19; Rom. 8, 15; Gal. 3, 24; 4, 24 sqq; cf. n. 110.)<sup>2)</sup>

VI. *De Ecclesia Christi.* Quamquam sensu aliquo vero 266 etiam Ecclesia veteris foederis christiana dici possit, eo quod fidei in Christum futurum innitebatur;<sup>3)</sup> tamen simpliciter loquendo nomine Ecclesiae Christi semper ea intelli-

<sup>1)</sup> C. 3 X. (3. 42); cf. Comp. theol. dogm. spec. n. 428.

<sup>2)</sup> Hanc inferioritatem Augustinus et post eum Theologi etiam in nomine *synagoga* expressam inveniunt. «In synagoga, inquit ille (in Ps. 81), populum Israel accipimus, quia et ipsorum propria synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit. Nostram vero Apostoli nunquam synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causa, sive quod inter congregationem, unde synagoga, et convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid, quod scilicet congregari et pecora solent . . . convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines.» Cf. Catech. R. p. 1 c. 10 q. 5; et Franzelin l. c. pg. 7, ubi Augustinum et Theologos contra quosdam recentiores defendit.

<sup>3)</sup> Sub hoc respectu dicit Augustinus (Retract. l. 1 c. 13): «Res ipsa, quae nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari christiana.»

gitur, quam Christus super Petrum aedificavit (Matth. 16, 18). Ea post *Bellarminum* communiter definitur: *coetus hominum viatorum eiusdem fidei professione eorundemque sacramentorum participatione sub legitimorum pastorum ac praecipue R. Pontificis regimine adunatus*. In hac definitione verba «coetus hominum, qui eandem fidem profitentur eademque sacramenta<sup>1)</sup> participant» exprimunt *genus proximum*; verba «sub legitimorum pastorum ac praecipue R. Pontificis regimine» *differentiam specificam* continent. Cum iuxta logicos ad bonam definitionem tria requirantur: veritas, claritas et brevitatis, facile perspicis, definitionem propositam brevem et claram esse; eius veritas autem ex decursu tractatus patebit.

*Obiiciunt* quidem nonnulli Theologi contra definitionem Bellarmini, quod sit inadaequata, quia Ecclesiam non nisi secundum partem *externam* describat. Hinc Ecclesiam adaequate secundum partem internam et externam seu secundum animam et corpus definiunt ut societatem fidelium baptizatorum, quos interius quidem animat fides, spes et caritas; exterius autem fidei eiusdem christianae professio, et eorundem sacramentorum communio adunat, sub uno capite Christo in caelis, et eius in terris vicario, summo Pontifice.<sup>2)</sup> At immerito. Etenim  $\alpha$ ) nomine Ecclesiae *simpliciter* sumptae, prouti in monumentis fidei occurrit, intelligenda est Ecclesia visibilis et externa; huic autem apprime quadrat definitio Bellarmini.  $\beta$ ) Praeterea anima i. e. fides, spes et caritas inseparabilis est ab ea societate, quae cum verae fidei professione et sacramentorum communione subest legitimis pastoribus; necesse ergo non est, ut animae expressa mentio fiat.  $\gamma$ ) Denique certissimum est, peccatores simpliciter ad Ecclesiam pertinere; si autem Ecclesia definiretur ut societas baptizatorum, quos animat caritas, peccatores ad Ecclesiam simpliciter dictam non pertinerent. Quamvis ergo verissimum sit, Ecclesiam interius fide, spe et caritate animari; minus tamen accurate definitur ut societas baptizatorum, quos fides, spes et caritas animat. Hoc

<sup>1)</sup> Nomine «sacramentorum» in definitione generatim media salutis ideoque etiam sacrificium intelligitur.

<sup>2)</sup> Cf. Schouppe, *Elementa theol. dogm.* tr. 3 n. 87 sqq.

quippe de *collectione*, sed non de *singulis* valet, ideoque definitio *ambigua* est.

VII. *De falsis ecclesiis*. «Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae,» inquit *Tertullianus*.<sup>1)</sup> Quare praeter veram etiam falsas ecclesias distinguere oportet; et sic de russica, protestantica, anglica ecclesia loquimur. Pro diversitate errorum, quos profitentur haeretici, etiam varias definitiones tradunt. Iuxta *Donatistas* e. g. Ecclesia est «coetus fidelium, quorum fides nunquam deficit»; iuxta *Pelagianos* est «congregatio eorum, qui nullum peccatum habent»; *Wiclifitis* et *Hussitis* Ecclesia tantundem valet ac «coetus praedestinatorum»; *confessio augustana* Ecclesiam dicit «congregationem sanctorum, in qua Evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta», *Rationalistis* denique Ecclesia nil aliud est, quam quaedam schola religiosa. Alii aliter.<sup>2)</sup> 267

VIII. *De partibus Ecclesiae*. Nomen *Ecclesia* non solum de toto, sed etiam de partibus tam integralibus quam inferioribus haud raro usurpatur. Aliquando enim hoc nomine grex fidelium, aliquando pastores intelliguntur. Coetus pastorum Ecclesia *docens* (Matth. 18, 17); grex fidelium Ecclesia *discens* (Act. 20, 28) vocatur. Praeterea aliquando sola pars invisibilis (*anima*), vel sola pars visibilis (*corpus*) per synecdochen Ecclesia appellatur. Sic dicunt Theologi, haereticos materiales ad Ecclesiam pertinere, quatenus de anima eius participant, licet in corpore non sint. Denique etiam partes inferiores hoc nomine decorantur; dum e. g. Apostolus ecclesiam, quae est Corinthi, Galatiae, Laodiciae etc. commemorat, vel etiam domesticam ecclesiam Priscillae et Aquilae salutari iubet (I Cor. 16, 19). 268

Adverte tamen: a. *Ecclesia Romana* tam ecclesiam particularem episcopi Romani, quam ipsam universalem Ecclesiam designat, cuius caput est episcopus Romanus. Denominatio enim fit a potiore. Unde Ecclesia Christi a concilio

<sup>1)</sup> Adv. Marc. I. 4 c. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Mazzella, De relig. et Eccles. disp. 3 n. 404; Hettinger, Fund.-Theol. Bd 2 § 1.

Vaticano (Sess. III cap. 1 const. de fide) convenienter statim ab initio nominatur „*Ecclesia Romana catholica*“.<sup>1)</sup>

b. Quamvis nomen *Ecclesia* ex dictis varias significationes admittat, nihilominus cum de Ecclesia *simpliciter* et sine addito sermo est, in usu theologico semper *Ecclesia universalis catholica* intelligi debet, et a nobis in decursu tractatus intelligetur. Ecclesia docens et discens enim, anima et corpus Ecclesiae seorsim spectata, ecclesiae particulares non sunt integra Ecclesia, sed eius partes; ecclesiae falsae non nisi aequivoce ita nuncupantur, sicut aurum falsum non appellatur aurum sensu proprio sed aequivoco. Neque demum Ecclesia veteris foederis, neque Ecclesia triumphans et purgans eiusdem rationis sunt ac Ecclesia Romana catholica. Quamvis enim omnes istae Ecclesiae inter se necessario cohaereant tamquam praeparatio, complementum et terminus finalis, status tamen earundem est essentialiter diversus.

269 IX. *Pretium et dignitas* Ecclesiae apparet:

1. Ex *natura* Ecclesiae, quippe quae sit «depositorium dives»,<sup>2)</sup> in quo tota fides christiana omnesque thesauri gratiarum reconditi sunt; est organum, per quod fides et gratia Christi omnibus fidelibus communicatur.

2. Ex *dotibus*, quibus Ecclesia ad finem sibi praestitutum instructa est, quarum praecipuae sunt: infallibilitas magisterii ad docendum, plenitudo sacerdotii ad dispensandas

<sup>1)</sup> Denzinger 1782. Hunc titulum ita praeclare exponit ep. Gasser in relatione ad hunc locum: «Quaenam, inquit, est significatio verborum, „Romana catholica Ecclesia“? Significat idem ac Ecclesia Romana, id est mater et magistra omnium ecclesiarum, coniuncta cum Ecclesia catholica, id est cum ea Ecclesia, quae est in toto orbe terrarum, et quidem ita coniuncta, ut Ecclesia Romana sit catholica, et catholica sit Romana. Proinde verba ista nil aliud significant, quam, ut ita dicam, *nomen proprium Ecclesiae*, et quidem verae Ecclesiae Christi in terris.» Ex hac ratione idem relator etiam quaestionem, quae inter Patres exorta fuerat, an scilicet inter verba «Romana catholica» virgula interponenda sit, feliciter solvit. Nam subdit, «nemo nostrum inter nomen suum proprium, id est inter nomen, quod ipsi inditum est in baptismo, et inter nomen suum gentilitium virgulam inserit; sed totum nomen proprium semper indistinctum qua unum profertur».

<sup>2)</sup> Irenaeus, Adv. haer. 1. 3 c. 4.

gratias, suprema potestas regiminis spiritualis, indefectibilitas, ne unquam intereat vel corrumpatur, visibilitas, ut facile ab omnibus cognoscatur, sanctitas, ut omnibus prae luceat, catholicitas, ut omnes in suo gremio complectatur, denique amor maternus, quo omnes ad se attrahit ac fovet.

3. Ex *relationibus*: α) ad *Deum*, cuius regnum, civitas et familia est Ecclesia;<sup>1)</sup> β) ad *Christum*, cuius est corpus, ovile, sponsa non habens maculam neque rugam, columba, regina et amica;<sup>2)</sup> γ) ad *Spiritum sanctum*, qui iuxta s. *Thomam*<sup>3)</sup> est veluti eius cor, a Leone XIII autem in encycl. „Divinum illud“ eius anima appellatur; δ) ad *fideles*, quorum est mater; nemo enim iuxta celebre dictum *Cypriani*<sup>4)</sup> potest Deum habere patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. ε) Denique *daemonibus* Ecclesia est terribilis ut castrorum acies ordinata (Cant. 6, 3).

4. Haec omnia confirmantur ex *figuris* et *typis* Ecclesiae, quorum praecipui iuxta Patrum interpretationem sunt paradisus terrestris, Eva formata ex latere Adam (Eph. 5, 30 coll. Gen. 2, 23), arca Noe, urbs Ierusalem, lapis de monte abscissus sine manu (Dan. 2, 34), navicula Petri, vas de caelo descendens (Act. 11, 5 sqq), tunica inconsutilis Christi<sup>5)</sup> etc.

5. Denique praetereundum non est *momentum* practicum tractationis de Ecclesia, quod *Catechismus Rom.*<sup>6)</sup> pastoribus animarum perpendendum proponit eo fine, ut summa diligentia hunc articulum fidelibus explicent: «Primum enim, inquit, teste s. Augustino, Prophetiae planius et apertius de Ecclesia quam de Christo locuti sunt, cum in eo multo plures errare ac decipi posse, quam in incarnationis sacramento, praeviderent. Neque enim defuturi erant impii, qui ad simiae imitationem, quae se hominem esse fingit, solos se Catholicos esse profiterentur, et catholi-

<sup>1)</sup> I Tim. 3, 5; Matth. 5, 14; Luc. 12, 42; 13, 18.

<sup>2)</sup> Col. 1, 18; Eph. 1, 23; 4, 12; 5, 27; Ioan. 10, 1 sqq; Cant. 4, 7; 6, 8; Apoc. 21, 9; Ps. 44.

<sup>3)</sup> Sum. theol. p. 3 q. 8 a. 1 ad. 3.

<sup>4)</sup> De unit. Eccl. c. 5.

<sup>5)</sup> Videsis plurimas et magnificas comparationes Patrum ap. Hurter t. 1 n. 186; cf. etiam Möhler, Symbolik § 34.

<sup>6)</sup> P. 1 cap. 10 q. 1.

cam Ecclesiam apud se tantum non minus nefarie quam superbe affirmarent. Deinde, si quis hanc veritatem firmo animo conceptam habuerit, facile horrendum haeresis periculum effugiet.»

**X. *Divisio tractatus.*** Circa Ecclesiam haec quaeri possunt et debent:

1. *An Christus et qualem instituerit Ecclesiam.* Huic quaestioni respondemus in prima sectione.

2. Quaeritur, *quaenam* ex multis, quae hoc nomine gloriantur, sit vera Christi Ecclesia. Veram igitur a falsis discernere oportet. Huic quaestioni in secunda sectione respondemus; scilicet veram Christi Ecclesiam esse eam solam, quae *catholica* appellatur.

3. Denique quaeritur, *ubi* sit vera Christi Ecclesia. Cum enim ipsa Ecclesia catholica per totum orbem diffusa sit multasque partes habeat, quae certe non omnes essentielles sunt, inquirendum restat: an et ubi sit centrum necessarium, cum quo omnes partes cohaerere; ubi fundamentum, cui superstrui debent, ut ad veram Ecclesiam Christi pertineant. Huic quaestioni satisfaciemus in tertia sectione, quae de primatu R. Pontificis aget. — Sunt igitur tres sectiones:  $\alpha$ ) *de Ecclesia christiana*, seu *an et qualis sit vera Ecclesia*;  $\beta$ ) *de Ecclesia catholica*, seu *quaenam sit vera Ecclesia*;  $\gamma$ ) *de Ecclesia catholica Romana vel de primatu*, seu *ubi sit vera Ecclesia*.

## SECTIO I.

### De Ecclesia christiana, seu an et qualem Christus instituerit Ecclesiam.

270 Ad perfectam Ecclesiae Christi ideam obtinendam examinari debent:  $\alpha$ ) *Institutio*,  $\beta$ ) *essentia*,  $\gamma$ ) *proprietates* Ecclesiae.

## CAPUT I.

### De institutione Ecclesiae christianae.

Institutio Ecclesiae christianae generatim spectata tam certa est ac ipsa eius existentia, quam oculis cernimus;

neque de facto in se spectato ulla controversia est. Sed quaestio, eaque fundamentalis, statim a limine exoritur, *quomodo* et in quem *finem* Christus Ecclesiam instituerit: utrum per modum *scholae religiosae vel collegii* ad instructionem mere theoreticam seu academicam discipulorum voluntariorum, ut Sociniani, Rationalistae et quam plurimi moderni Liberales existimant;<sup>1)</sup> an per modum verae et perfectae *societatis* ad finem eminenter practicum toti generi humano communem et necessarium, ut fides docet. — Examinabimus ergo  $\alpha$ ) quomodo,  $\beta$ ) in quem finem Christus Ecclesiam instituerit.

## ARTICULUS I.

### Quomodo Christus Ecclesiam instituerit.

**Thesis 72.** *Factum institutionis cum omnibus suis adiunctis perpensum manifeste docet, Christum suam Ecclesiam non per modum scholae religiosae aut collegii, sed tamquam veram societatem tam a synagoga quam a societate civili distinctam instituisse.*

**Praenotiones.** Antequam thesin demonstramus, iam a limine duas notiones praemittimus, quae ad exactam ideam Ecclesiae obtinendam magni momenti sunt, quid scilicet sit *societas*, quid *societas perfecta*.

1. *Societas* communiter definitur: stabilis hominum coniunctio ad communem aliquem finem *per media fini proportionata* collatis viribus conspirans. Notae igitur essentiales huius notionis sunt: *multitudo hominum*, qui uniuntur, *vinculum*, quo uniuntur, et *finis*, propter quem uniuntur. Vinculum, quo homines uniuntur et quasi colligantur, est *auctoritas*. Nam mentes voluntatesque hominum non sunt ad unum determinatae naturali necessitate. Ut ergo in tanta opinionum ac propensionum varietate homines ad certa quaedam media adhibenda determinentur, necesse est, ut adsit vis aliqua moralis, quae et operandi modum praefiniat et omnium voluntates ad operandum obligare valeat. Haec vis moralis est *auctoritas publica*. Multitudo ho-

<sup>1)</sup> Cf. conc. Vatic. adnotat. in 1. schema constit. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 580).

minum ergo, qui uniuntur, est *materia*, auctoritas vero *forma* societatis. — Hæc porro omni societati communia sunt; at si quaeritur, quomodo una societas ab alia discernatur, maxime *finis* ac *media* fini proportionata attendi debent. Finis quippe est, a quo societas omnis suam originem ac veluti notam characteristicam habet. Sic societas domestica, civilis et religiosa, societates litterariae, mercatoriae, militares ex fine maxime discernuntur.<sup>1)</sup>

2. Societas *perfecta* ea dicitur, quae finem in suo ambitu independentem mediaque huic fini necessaria in semetipsa habet. Quodsi vero aliqua societas finem habet alteri in suo genere subordinatum, et si in usu mediorum ab alia societate, quae illa negare potest vel praestare, dependet: erit societas *imperfecta*. Huiusmodi societates imperfectae sunt provinciae alicuius regni, dioeceses in Ecclesia, multoque magis piae sodalitates, aut associationes industriales etc.<sup>2)</sup>

271 His positis thesis probatur:

1. Ex *promissione Christi* (Matth. 16, 18): *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* etc. His verbis Christus expresse promisit institutionem Ecclesiae, quae quidem Ecclesia profecto

a. non debet esse mera *schola* religiosa. Hoc iam ex ipso nomine patet; nemo enim scholam vocat ecclesiam. Praeterea schola habet finem theoreticum seu doctrinalem, ecclesia finem practicum. Denique Christus scholam discipulorum statim ab initio vitae publicae fundaverat; Ecclesiam autem aedificandam promisit. — b. Debet esse *vera societas*. Adsunt enim omnia elementa societatis: finis communis, qui est adeptio regni caelestis; media ad hunc finem necessaria, scilicet claves, quibus regnum caelorum eiusque thesauri recluduntur; multitudo, i. e. omnes vocati ad regnum caelorum seu totum genus humanum; denique fundamentum et vinculum, quibus tam ingens multitudo connectitur, scilicet auctoritas illimitata ligandi atque solvendi

<sup>1)</sup> Cf. Tarquini, Iuris eccl. publ. instit. n. 6 (ed. 16); Costa-Rosetti, Philosophia moralis, thesis 135.

<sup>2)</sup> Cf. s. Thom. p. 1, 2 q. 90 a. 3 ad 3.

vincula super terram. — c. Debet esse societas *perfecta*. Finis enim supremus adeptionis regni caelestis a nullo alio fine pendet, potestas illimitata alteri non subiicitur, claves thesauri caelestis omnia media salutis recludunt, denique societas omnium universalissima et altissima ab alia dependere nec potest nec debet. Hoc nunc indigitasse sufficiat, postea uberius demonstrabitur; praesertim cum de potestate Ecclesiae sermo erit. — d. Societas *distincta a synagoga*, quippe quae iam diu fundata esset et pro solis Iudaeis valeret; dum Ecclesia Christi aedificanda promittitur pro toto genere humano. — e. Distincta quoque a *societate civili* ex eadem ratione et ex fine essentialiter diverso; regna enim huius mundi profecto non habent claves regni caelorum.

2. Ex *institutione* Christi, qui reipsa per se omnia elementa essentialia Ecclesiae partim in vita sua mortali, partim post mortem praeparavit et constituit. Ante omnia Apostolos et discipulos tamquam primos cives sui regni e mundo *(elegit eosque misit)*, ut praedicarent omnibus gentibus eisque sacramentum Baptismi conferrent, per quem in Ecclesiam cooptarentur. Alia insuper *(instituit sacramenta)*, quorum participatione homines vitam aeternam consequerentur. Praeterea leges dedit sanctionemque damnationis in praevaticatores adiecit; instituit Petrum tamquam supremum rectorem et pastorem, Apostolis reliquum vulgus fidelium subiecit iisdemque ligandi atque solvendi potestatem concessit. Veritas harum assertionum legenti Evangelium ultro quasi in oculos incurrit, suisque locis demonstratur ex professo. Atqui ex hisce summis licet Ecclesiae lineamentis ultro iam sequitur, eam esse societatem veram, perfectam et distinctam tum a synagoga tum a societate civili.

3. *Apostoli* opus a Christo inceptum continuare Ecclesiamque ad exemplar divinitus propositum aedificare et perficere satagebant. Non enim singuli Apostoli singulas et independentes communitates religiosas (Kirchengemeinden) fundabant, ut Lutherus docuit, sed eas communi vinculo eiusdem fidei, eorundem sacramentorum earundemque legum coniunctas communi fundamento Petri superstruxerunt; quod in tractatu de primatu R. Pontificis uberius demonstrabitur. Luculentum exemplum consociationis et unionis

habemus in primo concilio Apostolorum Hierosolymis celebrato (Act. c. 15).

4. Idem confirmatur ex *historia ecclesiastica*. Confirmatur insuper ex *idea* Ecclesiae *tamquam regni Christi*, quod iam a prophetis multipliciter praedictum, postea in Evangelio annuntiatur tamquam regnum gratiae et veritatis quidem, simul autem tamquam *verum regnum visibile super terram*.<sup>1)</sup> Profecto, ipsa nomina toties in ss. litteris Ecclesiae imposita: *regnum, civitas, domus, grex, corpus*, etc. socialem eius naturam, scilicet extensionem ex una parte, coniunctionem intimam atque constitutionem organicam ex alia parte, satis clare nobis innuunt.

272 **Obiectio 1.** Finis, propter quem Christus Ecclesiam instituit, est omnino *spiritualis et idealis*, scilicet salus animae. Cum igitur ex fine specificentur societates, ipsa etiam Ecclesia erit societas mere spiritualis et idealis, non materialis et realis, sicut aliae societates humanae. Hinc ipse Christus aperte profitetur (Ioan. 18, 36): *Regnum meum non est de hoc mundo*, et: *regnum meum non est hinc*.

Resp. Finis ultimus Ecclesiae est quidem salus aeterna; sed finis proximus est sanctificatio et reformatio totius hominis quoad animam et corpus, quoad individuum et societatem tam domesticam quam civilem. Finis Ecclesiae enim, ut mox videbimus, idem est ac finis Christi, qui *totum* hominem reformare venerat (155 sq). Atqui talis finis non per media mere spiritualia, sed per media simul materialia, accommodata naturae humanae, atque ideo nonnisi per institutionem alicuius societatis realis et visibilis obtineri potuit. Obiectio ergo ex fine Ecclesiae petita merito retorquetur et sic argumento ex ratione theologica aequivalet. — Ad verba obiecta Christi autem iam respondit *Augustinus*:<sup>2)</sup> «Non ait: regnum meum non est *in hoc mundo*, sed non est *de hoc mundo*.... Non ait: nunc autem regnum meum non est *hic*,

<sup>1)</sup> Cf. Dan. 2, 44; 7, 13 sqq; Agg. 2, 7 sqq; Is. cc. 40. 44; Ier. c. 31; Mich. 4, 1 sq; Ez. cc. 44. 47; Zach. c. 8 etc.; Luc. 1, 31 sq; Matth. 4, 23; Ioan. 12, 13 sq; Marc. 11, 10 etc. Cf. Franzelin, Theses de Ecclesia Christi sect. 2, ubi de institutione Ecclesiae copiosissime disputatur.

<sup>2)</sup> In Ioan. tr. 115 n. 2.

sed non est *hinc*; *hic* est enim regnum eius usque in finem saeculi».

**Obiectio 2.** Christus non instituit Ecclesiam *distinctam a synagoga*; ipse enim et Apostoli ritus mosaicos observabant. Petrus etiam post adventum Spiritus sancti aperte favebat circumcisioni ac nonnisi timide accessit ad edocendas gentes (Act. 10; Gal. 2). Non igitur ex intentione Christi, sed ob circumstantias extrinsecas, puta ob persecutionem Iudaeorum, et maxime studio et opera *Pauli* separatio Ecclesiae a synagoga facta est.<sup>1)</sup>

Resp. Sicut potestas civilis in condendis legibus quandam periodum transitionis agnoscit, in qua antiqua lex nondum penitus abrogata, nova necdum perfecte introducta est: ita etiam quoad legem mosaicam et evangelicam contigit. Videlicet Christus et Apostoli non solum ritus mosaicos observabant ante adventum Spiritus sancti, quod mirum esse non debet, cum Ecclesia nondum aedificata sed aedificanda erat; verum etiam post fundatam Ecclesiam Apostoli et Iudaeo-Christiani legem mosaicam ex parte saltem aliquamdiu servabant, donec in concilio Hierosolymitano non solum ex Pauli, sed maxime ex Petri sententia (Act. 15, 7 sqq) lex mosaica abrogata fuit (cf. n. 111).

**Obiectio 3.** Saltem Christus Ecclesiam non instituit tamquam societatem *perfectam*; quia verum imperium ipsi deest ac vis coactiva, qua contumaces coerceat, unde nec efficaciter legibus socios obligare potest. — Resp. Nego assumptum cum ratione addita. «Insunt enim Ecclesiae media coactiva, alia realiter, alia virtualiter. *Realiter* inest iure divino potestas reis poenas et censuras inferendi, immo praesto est ipsi gladius excommunicationis ad membra putrida resecanda a corpore societatis. *Virtualiter* media coactiva Ecclesiae insunt, quatenus eadem a societate civili *christiana* repetere iure proprio potest, quamquam etiam sine auxilio brachii saecularis existere valet. Nihil ergo deest Ecclesiae ex iis notis, quae essentiam verae et perfectae societatis constituunt.» Ita cl. *Aichner*.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Sic etiam Harnack, Wesen des Christentums S. 110 ff.

<sup>2)</sup> Compend. iur. eccles. ed. 11 pg. 81.

- 273 **Corollarium.** Si quaeritur, quo praecise tempore instituta fuerit Ecclesia, respondemus iuxta dicta, non uno veluti momento, sed paulatim hoc factum esse. **a.** Primo enim et statim ab initio vitae publicae Christus petram *fundamentalem* elegit et signavit (Ioan. 1, 42): *Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* — **b.** Deinde clare et aperte pronuntiavit, se super hoc fundamentum Ecclesiam aedificaturum esse (Matth. 16, 18). — **c.** Praeterea vitae suae publicae decursu Christus varia *media* necessaria et opportuna, puta doctrinam, sacramenta, hierarchiam, sanctionem praemii vel poenae aliaque subsidia ei abunde providit. — **d.** Tandem in cruce moriens Ecclesiam, quam prius veluti conceperat, e latere suo produxit (Eph. 5, 23 sqq), eamque in die Pentecostes Spiritu sancto solemniter et publice de caelo misso *vivificavit* ac veluti in *lucem edidit*. Unde festum Pentecostes etiam dies natalis Ecclesiae dicitur.<sup>1)</sup> — **e.** Denique Apostoli exeuntes in mundum universum Ecclesiae divinitus constitutae membra aggregare ac per se suosque successores corpus Christi aedificare coeperunt, donec in fine mundi perventura est *ad mensuram aetatis plenitudinis Christi* (Eph. 4, 13).

## ARTICULUS II.

### In quem finem Christus Ecclesiam instituerit.

- 274 Non loquimur de fine *ultimo* Ecclesiae, qui alius non est aut esse potest quam *gloria Dei* et speciatim *gloria Christi*. Si enim universa propter semetipsum operatus est Dominus (Prov. 16, 4), et si caeli enarrant gloriam Dei (Ps. 18, 2): quanto magis excellentissimum inter omnia opera divina, scilicet redemptio generis humani per Christum facta et per Ecclesiam singulis applicata, gloriae Dei inservire debet. Nullibi profecto bonitas, sapientia, omnipotentia ac reliqua attributa divina tantopere resplendent,

<sup>1)</sup> Ita etiam Leo XIII., Encycl. de Spiritu sancto (ed. Herder pg. 17): «Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes».

quam in hoc opificio, in cuius exordio angeli canebant: *Gloria in altissimis Deo* (Luc. 2, 14). Speciatim vero, dixi, Ecclesia facta est in *gloriam Christi*. Id iam de Ecclesia Veteris T. valet, iuxta illud: *finis enim legis Christus* (Rom. 10, 4); quanto magis ergo de Ecclesia Novi T., quam ipse fundavit ac sponsam gloriosam sibi exhibuit (Eph. 5, 27). In Ecclesia militante evangelizantur *investigabiles divitiae Christi* (ib. 3, 8), quae in triumphante revelabuntur, iuxta illud (II Thess. 1, 7 sqq): *in revelatione Domini Iesu de caelo . . . cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt . . . ut clarificetur nomen Domini N. I. Chr. in vobis et vos in illo secundum gratiam Dei nostri et Domini Iesu Christi*. — Impresen-  
tiarum igitur unice agemus de fine *proximo*, vel si magis placet, de fine *operis*, per quem Ecclesia ab omnibus aliis societatibus distinguitur. Sit igitur

**Thesis 73.** *Christus Ecclesiam eum in finem instituit, ut in ea et per eam tamquam per sponsam suam dilectam et per corpus sibi ut capiti unitum oeconomiam salutis, quam in vita mortali inauguraverat, ad finem mundi usque continuaret omnibusque applicaret.*

Thesis tria puncta continet, scilicet de *fine* Ecclesiae, de *modo* quo, et de *perfectione* qua finis obtinetur.

**A. Finis est salus humana.**

275

Prob. 1. Ex eius *auctore*, qui est Christus Iesus, i. e. *salvator*, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum (Matth. 1, 21); qui venit, ut vitam habeant et abundantius habeant (Ioan. 10, 10). Hinc Christus noluit se immiscere rebus mere temporalibus (Luc. 12, 13 sq) dixitque, suum regnum non esse de hoc mundo (Ioan. 18, 36), i. e. simile aliis regnis temporalibus, quae finem mere temporalem habent. Eandem porro missionem Christus etiam suis Apostolis commisit (cf. Ioan. 20, 21; Luc. 10, 1—17).

2. Ex *natura* Ecclesiae, prouti ea ex typis et vaticiniis Veteris T., ex variis nominibus et comparisonibus, ex verbis promissae institutionis (Matth. 16, 18), et ex descriptione Apostoli (Eph. 5, 23 sqq; I Tim. 3, 15; cf. I Petr. 2, 5) colligitur. Haec enim omnia clare demonstrant, Ecclesiam

esse institutionem et societatem religiosam, cuius finis proprius et immediatus sit salus aeterna.

3. Ex *mediis*, quibus Christus Ecclesiam ad suum finem consequendum instruxit. Haec namque media, etsi non exclusive, praecipue tamen *spiritualia* sunt et ad salutem animae directa, puta sacramenta, doctrina, leges, praemia et poenae aeternae. Cum igitur sapiens architectus media fini accomodet, merito ex natura mediorum natura finis deducitur.

4. Ecclesia semper hunc finem agnovit; neque adversarii Ecclesiae eum negant, immo eum exaggerant. Regnum Ecclesiae enim neque *de* mundo neque *in* mundo esse volunt.

276 B. *Modus, quo finis Ecclesiae obtineri debet, est continuatio missionis Christi.*

In missione Christi duo distinguere debent: ipsa *redemptio*, et *redemptionis applicatio*. Primum fuit opus personale Christi, quod nullo modo debuit continuari. Christus enim *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (Hebr. 10, 14). Applicatio vero redemptionis per Ecclesiam continuari debet. Ita expresse conc. *Vaticanum* (Sess. IV. initio)<sup>1)</sup>: «Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut *salutiferum redemptionis opus perenne redderet*, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit.» Sane Christus non solum generatim dixit Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Ioan. 20, 21), sed ad hunc finem iisdem eorumque successoribus contulit:

1. Suos *titulos*. Sicut enim ipse est petra et lapis angularis, lux mundi, via, veritas et vita: ita Apostoli quoque nominantur petra (Matth. 16, 18), fundamentum Ecclesiae (Eph. 2, 20), fundamentum caelestis Ierusalem (Apoc. 21, 14), lux mundi, sal terrae (Matth. 5, 13 sqq) etc.

2. Contulit sua *munia*: Docete omnes gentes, baptizantes eos etc. (Matth. 28, 19); quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc. (Ioan. 20, 23); hoc facite in meam commemorationem (Luc. 22, 19; I Cor. 11, 24); pascite, qui in vobis est gregem (I Petr. 5, 2); pro Christo legatione fungimur (II Cor. 5, 20).

<sup>1)</sup> Denzinger 1821.

3. Contulit suam *potestatem ac iura*: Quaecunque alligaveritis super terram etc. (Matth. 18, 18); qui vos audit, me audit etc. (Luc. 10, 16); Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati, quae Apostolos non suscepit (ib. v. 12). Ut autem tantae missioni pares essent Apostoli eorumque successores, ipsis promittitur et datur Spiritus sanctus: Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis etc. (Ioan. 14, 16); accipite Spiritum sanctum etc. (ib. 20, 22).

C. *Mystica unio Christi cum Ecclesia, tamquam cum sponsa et corpore suo, perfectionem huius missionis mire illustrat.* 277

Quamvis perfectio missionis finisque Ecclesiae ex prioribus ultro consequatur, mystica tamen unio, qua Christus Ecclesiam tamquam sponsam et corpus sibi copulavit, talem splendorem ei confert, ut specialem mentionem mereatur; maxime cum s. Scriptura<sup>1)</sup> et Patres<sup>2)</sup> toties hanc praerogativam Ecclesiae commemorent et praedicent.

Itaque 1. haec unio dicitur *mystica*, ut indicetur eam non esse mere naturalem aut moralem, sed supernaturalem et plane mysteriosam ad analogiam unionis hypostaticae inter humanam et divinam naturam in Christo. Equidem α) iam in aestimatione naturali uxor et vir *unam personam moralem* constituunt. Ineffabiliter intimior autem est unio inter Christum et Ecclesiam. Christus enim hanc sponsam ipse sibi formavit ex latere suo sicut Eva ex latere Adae formata est; ipse eam mundavit sanguine suo,<sup>3)</sup> nutrit propria carne, vivificat suo Spiritu, eamque diligit amore infinite maiore quovis naturali amore sponsorum. β) Id magis

<sup>1)</sup> Mysteriorum desponsationis Verbi divini cum natura humana per hypostaticam unionem et ea mediante cum tota Ecclesia singulisque fidelibus docent paginae utriusque foederis: Cantica canticor.; Ps. 44; Ez. 16, 60; Os. 2, 16; Is. 54, 5 sq. in textu hebr.; Ioan. 3, 29; Matth. 9, 15; 22, 2; Eph. 5, 24 sqq; II Cor. 11, 2; Apoc. 19, 7 sqq. Non minus frequens est denominatio Ecclesiae ut *corporis Christi*, e. g. I Cor. 12, 27; Eph. 4, 12 etc.

<sup>2)</sup> Pulcherrima testimonia Patrum reperies apud Hurter n. 208 sqq.

<sup>3)</sup> Cf. Aug. in Ps. 44 n. 26: «Rex tuus et ipse sponsus tuus; regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata; quidquid habes, unde illi placeas, ab illo habes.»

adhuc patet, si relatio *corporis ad caput* consideretur. Nam, ut scite observat *Franzelin*,<sup>1)</sup> in corporibus moralibus ordinis naturalis unum membrum ab alio et ab ipso capite non pendet physice in suo *esse*, sed tantummodo morali obligatione et in assecutione finis. Propterea licet analogice dicantur caput et membra corporis unius moralis, nemo tamen dicet, totam civitatem esse corpus regis, exercitum ac milites corpus et membra ducis. Ecclesia vero passim dicitur *corpus* Christi, quippe qui ad instar capitis naturalis in membra vel ad instar vitis in palmites, *physice* gratiam influat in Ecclesiam et in singula membra. *γ)* Praesertim in Eucharistia ita Christus se nobis unit, ut «concorporei et consanguinei» ipsi efficiamur,<sup>2)</sup> atque ut «*unus panis, unum corpus multi*» in Christo simus (I Cor. 10, 17). *δ)* Hinc fit, ut Christus et Ecclesia quasi unum totum cōstituant, nec Ecclesia sine Christo nec etiam Christus sine Ecclesia plene et perfecte intelligi ac definiri possint. Immo Christus et Ecclesia quodam modo *unum* sunt; et revera quaedam *identificatio* Christi et Ecclesiae in ipsis ss. litteris nobis proponitur (Luc. 10, 16; Act. 9, 4; I Cor. 12, 12).<sup>3)</sup>

2. Ex hac unione Christi cum Ecclesia sequitur: *α)* *Di-*

<sup>1)</sup> Theses de Eccl. Chr. th. 18 II. Cf. Grabmann, Die Lehre des hl. Thomas v. Aquin von d. Kirche als Gotteswerk S. 194 ff (Regensburg 1903).

<sup>2)</sup> Cyrill. Hieros., Catech. 22 (mystag. 4) n. 1.

<sup>3)</sup> Cf. Aug. in Ps. 142 n. 3: «Nisi enim Christus et in membris suis, h. e. fidelibus suis pressuram ipse pateretur, Saulus in terra Christum in caelo sedentem non persequeretur. Denique aperte hoc exponens quodam loco (I Cor. 12, 12): *Sicut enim corpus unum est, inquit, et membra multa habet, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus.* Non ait, ita et Christus et corpus, sed corpus unum membra multa, ita et Christus. Totum ergo Christus. Et quia totum Christus, ideo caput de caelo: *Saule, inquit, Saule, quid me persequeris?* Tenete hoc et fixum omnino commendate memoriae tamquam filii ecclesiasticae eruditionis et fidei catholicae, ut agnoscatis Christum caput et corpus, eundemque Christum Verbum Dei unigenitum aequalem Patri: et inde videatis, quanti gratia pertingatis ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus.» — Cf. etiam Chrysost., Hom. 30 in I Cor. 12, 12 n. 1 et Gregor. Nyss., qui affirmat (De vita Moysis t. 1 pg. 226, ed. Morell. Paris. 1638): «Ecclesiam a Paulo saepe Christum nominari.»

*gnitas ineffabilis Ecclesiae, quae non solum sponsa est Verbi incarnati, sed corpus ipsius et plenitudo (πλήρωμα) eius* (Eph. 1, 23); corpus enim complet caput, et a capite impletur. — β) Sequitur *virtus divina, quae inest Ecclesiae*. Nam quo intimius instrumentum unitur causae principali, seu «quanto aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius». <sup>1)</sup> — γ) Sequitur *organismus divinus, qui ex capite Christo originem ducit, totum corpus pervadit, et per quem charismata divina administrantur et communicantur*. Hunc organismum magnifice describit Apostolus (Eph. 4, 11 sqq): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores... Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* <sup>2)</sup> — δ) Sequitur *infallibilis certitudo successus*. Quia nimirum Ecclesia est corpus Christi, ideo necesse est, ut crescat *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (ib. v. 13).

**Scholion.** Quamvis finis proprius Ecclesiae sit *salus animarum*, non tamen excluditur, immo vero includitur in hoc fine *prosperitas etiam temporalis*. Promissio Christi enim: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis* (Matth. 6, 33), merito etiam ad Ecclesiam extenditur. Et sicut de Christo dicitur: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (Act. 10, 38), ita de Ecclesia repetere licet: *pertransiit decursu 19 saeculorum totum mundum, gentes regionesque omnes, ordines sociales cunctos, varias hominum classes et conditiones, benefaciendo semper et sanando omnes*. Profecto, omnes illi fructus, quos religio christiana in ordine sociali produxit (156), Ecclesiae quoque imputari debent,

<sup>1)</sup> Thom., Sum. theol. p. 3 q. 7 a. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Franzelin l. c. II, 3.

quae est subiectum et veluti concreta expressio religionis christianae.<sup>1)</sup>

## CAPUT II.

### De essentia Ecclesiae.

- 278 Cognito fine difficile non est, determinare essentiam Ecclesiae; siquidem ex fine societas specificatur. Imprimis igitur *essentiam Ecclesiae generatim*, deinde partes eius *essentiales*, *materiam* et *formam* examinabimus.

## ARTICULUS I.

### De essentia Ecclesiae generatim.

**Thesis 74.** *Ecclesia est societas divino-humana.*

Sane 1. est societas *divina*. α) Finis enim Ecclesiae iuxta dicta est salus supernaturalis hominum; salus hominum autem in hac vita inchoatur per gratiam sanctificantem, quae est *consortium divinae naturae* (II Petr. 1, 4); in altera vita perficitur per visionem Dei beatificam et tunc *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I Ioan. 3, 2). Cum ergo finis Ecclesiae supernaturalis ac divinus sit, consequenter ipsa Ecclesia est societas supernaturalis et divina. β) Idem praeterea sequitur ex modo quo, et ex perfectione qua finis obtinetur. Quid enim divinius sacramentis, quae omnia pretium sanguinis Christi continent, quid divinius Eucharistia, quae ipsum Christum realiter et substantialiter in se habet? Annon divina est societas, quae sponsa immo et corpus Christi nominari, ac cum Verbo incarnato quasi identificari meretur (275 sqq)?

2. Est etiam societas *humana*; non solum *materialiter*, quia ex hominibus constat, sed etiam *formaliter*, quia omnia elementa essentialia societatis vere humanae in ea reperiuntur, licet modo nobiliore. Habetur enim regimen humanum, scilicet collegium Petro-apostolicum unacum successoribus; habentur media socialia non pure spiritualia sed etiam materialia; habentur leges, quibus ordo societatis

<sup>1)</sup> Cf. Encycl. Leonis XIII. «Inscrutabili Dei consilio» dd. 21. Apr. 1878.

externae constituitur, servatur et vindicatur. Quae omnia suis locis ex professo demonstranda erunt; interim vero ex iis, quae de institutione Ecclesiae diximus (270 sqq), immo ex ipsis nominibus ei impositis satis apparent. Quomodo enim Ecclesia *corpori organico, regno, civitati, domui* etc. comparari posset, nisi elementum humanum ut punctum comparationis inserviret?

3. Est societas *divino-humana*. Duo ista elementa enim, ex quibus componitur Ecclesia, non veluti avulsa ab invicem, sed in intima communicatione concipi debent. Christus enim Ecclesiae communicat Spiritum sanctum, qui a s. *Augustino* appellatur anima Ecclesiae: «Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia.»<sup>1)</sup> *Angelicus Doctor* vero non minus signanter Spiritum sanctum cordi comparat: «Dicendum, quod caput habet manifestam eminentiam respectu ceterorum exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam; et ideo cordi comparatur Spiritus sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit: capiti autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus praefertur.»<sup>2)</sup> Relatio inter ista duo elementa merito ipsi *incarnationi* comparari solet. Quemadmodum enim in Christo est una persona physica in duabus naturis, ita ex Christo et Ecclesia fit una persona non physica sed mystica, in qua nulla quidem est confusio pantheistica substantiae, utique vero communio bonorum, iurium, dignitatis, proprietatum, immo et nominis. Hoc sensu magnus *Athanasius* Christum «*Ecclesiam assumpsisse et Ecclesiam humanitatem Christi esse*» affirmat (277).<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Serm. 187 de tempore.

<sup>2)</sup> P. 3 q. 8 a. 1 ad 3. Cf. Encycl. Leonis XIII. de Spiritu sancto (ed. Friburg. pg. 19 et 29), ubi has comparationes cum *anima* et *corde* aliasque pulcherrime exponit. Cf. etiam Grabmann, l. c. S. 184 ff. 223 f.

<sup>3)</sup> De incarn. Verbi Dei et Contr. Arianos n. 21: «Et cum Petrus dicat: *certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis: non de divinitate eius dicit, quod Dominum ipsum et Christum tecerit; sed de humanitate eius, quae est universa Ecclesia, quae in*

279 **Thesis 75.** *Haud incongrue Ecclesiam ex anima et corpore constare dicitur; dummodo haec analogia rite intelligatur.*

Denominatio et distinctio in thesi proposita passim apud Theologos, praesertim recentiores, invenitur, atque in s. Scriptura et in natura Ecclesiae fundatur.

Sane 1. fundatur in s. Scriptura. Haec enim saepissime Ecclesiam appellat vel corpus *simpliciter* vel *corpus Christi*. Atqui certe non est corpus mortuum, sed vivum. Ergo aliquod principium vitae ei inesse debet; principium vitae autem *anima* vocatur. Ergo recte anima et corpus Ecclesiae distinguuntur. Praeterea ab Apostolo fideles expresse dicuntur *unum corpus et unus spiritus* (Eph. 4, 4); fideles autem Ecclesiam constituunt. Denique legimus (I Cor. 12, 13): *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Nomine *Spiritus* autem hoc loco primario quidem ipse Spiritus sanctus tamquam causa efficiens, secundario vero etiam dona Spiritus sancti tamquam causa formalis intelligi possunt. Distinctio ergo animae et corporis Ecclesiae in ipsa Scriptura fundamentum habet.<sup>1)</sup>

2. Haec distinctio fundamentum quoque habet in ipsa *natura Ecclesiae*.

Sane a. iam in societatibus naturalibus elementum visibile et invisibile ad instar animae et corporis concipitur. Finis quippe et conspiratio ad finem per se aliquid invisibile sunt; homines vero ad certum finem per certa media sive ut subditi sive ut superiores conspirantes utique visibiles sunt. Modo autem multo veriore haec analogia in Ecclesia verificatur. Ecclesia enim iuxta dicta est societas divino-humana, quae ex una parte constituit quidem coetum hominum seu *corpus* aliquod morale; at ex altera parte vita vivit supernaturali gratiae, fidei, spei et caritatis aliarumque virtutum et donorum Spiritus sancti. Praeterea hierarchia externa, quae est aliquid visibile, praedita est *charactere* interno et *potestate* divinitus data, a qua omnes

ipso dominatur et regnat, postquam ipse crucifixus est: et quae ungitur ad regnum caelorum, ut cum illo regnet, qui seipsum pro illa exinanivit, et qui induta servili forma *ipsam assumpsit*.»

<sup>1)</sup> Cf. Bellarmin., De Eccl. 1. 3 c. 2.

actus externi regiminis suam efficaciam habent, sicut actus corporis a virtute animae. Idem dic de sacramentis, in quibus praeter signum visibile invisibilis gratia distingui debet. Immo in conceptum adaequatum Ecclesiae ex dictis ingreditur ipse Christus tamquam caput et Spiritus sanctus tamquam cor. Evidens ergo est, principium vitae supernaturalis Ecclesiae verius et eminentius *animam* vel *spiritum* denominari posse, quam principium vitae naturalis in societatibus communibus.

b. Relatio *mutua* inter partem visibilem et invisibilem Ecclesiae pariter magnam analogiam praesefert cum commercio inter animam et corpus humanum. Licet enim nec Christus nec Spiritus sanctus causa formalis Ecclesiae sint sicut anima est forma corporis; nihilominus iuxta superius exposita (277) cum Ecclesia *unionem mysticam* ineunt, quae similis est unioni inter animam et corpus similesque effectus producit ac ista. Sicut enim corpus per informationem animae efficitur vivum, sensitivum, pulchrum, mobile aptumque instrumentum ad ipsas operationes rationales exercendas: ita Ecclesia per inhabitantem Christum et animantem Spiritum sanctum vita, pulchritudine et operatione supernaturali donatur aptumque instrumentum continuandae divinae missionis efficitur.<sup>1)</sup> — Ex his apparet, congruenter in Ecclesia animam et corpus distinguere.

At 3. *Haec comparatio rite intelligi, nec nimis urgeri debet.* 280 Quantumvis enim praefata comparatio verissima sit, nihilominus naturam analogiae non excedit, ideoque similia cum dissimilibus iunguntur. Sane a. anima hominis est pars substantialis; anima Ecclesiae minime. Fides quippe, spes, caritas aliaque dona supernaturalia, quae inhaesive animam Ecclesiae constituunt, non sunt substantiae, sed qualitates. Christus vero et Spiritus sanctus non formaliter et consti-

---

<sup>1)</sup> «Quoniam, inquit Origenes (Contr. Cels. l. 6 n. 48), sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a seipso natura sua moveri vitaliter non potest, ita Verbum corpus totum seu Ecclesiam ad ea, quae opus sunt, movens et agens, etiam singula membra eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, movet ita, ut nihil sine Verbo faciant.»

tutive, sed *efficienter* et *habitudinaliter* (κατὰ οὐσίαν) ad Ecclesiam pertinent. **b.** Homo non est corpus, sed *habet* corpus; Ecclesia non habet, sed *est* corpus morale idest societas visibilis.<sup>1)</sup>

Quapropter distinctio *animae* et *corporis* non est iusto plus urgenda. Non solum errant Protestantes, qui duplex elementum Ecclesiae ita urgent, ut duplicem Ecclesiam, visibilem et invisibilem, statuunt; sed et parum apte nonnulli Theologi catholici loqui videntur, qui de anima et corpore Ecclesiae quasi de duabus *partibus* totius loquuntur. Ecclesia enim, ut iam dixi, est corpus sociale; id autem, quod eius anima dicitur, est mera *qualitas* et *perfectio supernaturalis* huius societatis. Hinc proprie loquendo nemo ad Ecclesiam pertinere potest, quin ad corpus eius pertineat; neque vere membrum Ecclesiae dici potest, qui nullo modo ad eius corpus pertinet. Sed de hoc statim uberius.

## ARTICULUS II.

### De principio materiali seu de membris Ecclesiae.

281 Ecclesia ex demonstratis est societas divino-humana. In hoc tamen eius definitio nondum absolvitur; nam etiam Ecclesia veteris foederis fuit talis societas, etsi non in gradu tam perfecto ac Ecclesia christiana. Quare eius naturam *specificam* accuratius adhuc determinare debemus. Adverte igitur, in societate quacumque duplex principium essenziale, unum *materiale*, alterum *formale*, distinguere posse. Principium materiale seu materia societatis sunt *membra*, ex quibus componitur. Principium formale seu forma est *auctoritas*, qua regitur; haec enim efficit, ut multitudo ad communem finem conspiret (270). Duplex igitur hoc principium in Ecclesia quoque distinguere licet, quippe quae vera societas sit omniaque elementa socialia habeat.<sup>2)</sup> De

<sup>1)</sup> Observat Franzelin l. c. pg. 308, quod denominatio et descriptio Ecclesiae ut corporis Christi tam familiaris est Patribus, Doctoribus ipsique populo fidei, «ut fere dici possit christiana *definitio* Ecclesiae».

<sup>2)</sup> Ex his patet, duplex principium formale in Ecclesia distinguere posse, unum quo est societas, alterum quo est societas supernaturalis quodque animam Ecclesiae diximus. Haec tamen di-

membris Ecclesiae christianae in hoc capite agemus ostendendo, totum genus humanum aliquo modo ad eam pertinere; de auctoritate sociali seu de hierarchia divina in capite sequente loquemur. Ex duplice hoc principio, materiali et formali, natura specifica Ecclesiae Christi eiusque distinctio tam ab Ecclesia veteris foederis, quam ab Ecclesia beatorum clare apparebit.

Ante omnia accuratam *notionem* membri Ecclesiae praemittere oportet. 282

1. *Membrum* itaque primario et physice dicitur omnis pars integralis corporis organici. Notio membri ergo importat:  $\alpha$ ) *inhaesionem* et *cohaesionem* cum corpore; quod enim resecatum est, membrum esse desinit.  $\beta$ ) Importat etiam *participationem vitae corporis*; unde nec cibus, antequam digestus est ac transformatus, nec dentes artificiales membra dicuntur. Ceterum organa morbida, dummodo non omnino resecata aut arefacta fuerint, membra esse non desinunt. — Haec analogice etiam ad membra omnis corporis moralis, atque adeo etiam ad Ecclesiam transferri possunt. Ut videlicet aliquis membrum Ecclesiae sit, eidem aliquo modo inhaerere eiusque vitam participare debet.

2. Haec porro inhaesio vitaeque communicatio varie concipi multosque gradus habere potest.  $\alpha$ ) Primo quidem aliquis vel *potentia* vel *actu* ad Ecclesiam pertinere potest. Ille enim, qui nondum Ecclesiae insertus est, ei aggregari valet, quia omnes homines ad Ecclesiam vocati sunt; vicissim vero ille, qui actu Ecclesiae membrum est, ab illa iterum separari poterit.<sup>1)</sup> —  $\beta$ ) Praeterea vita membrorum capax est graduum. Membrum *simpliciter* et *perfecte vivum* est illud, quod gratiam sanctificantem habet, quae est

---

distinctio non est *realis*, sed *rationis* cum fundamento in re: sicut et Ecclesia non est duplex societas, sed una. Uno namque eodemque principio, quo Ecclesia constituitur ut societas, constituitur etiam ut societas supernaturalis. Hierarchia divina enim, ut suo loco ostendimus, ex una parte Ecclesiam cum capite Christo coniungit ac dona Spiritus sancti in totum corpus diffundit; ex altera parte eadem hierarchia efficit, ut Ecclesia non sit tantum collegium, sed vera et perfecta societas visibilis. (Cf. Palmieri, De Rom. Pontifice, Prolegomena de Ecclesia § 11 (ed. 2 Prato 1891).

<sup>1)</sup> Cf. Thom. p. 3 q. 8 a. 3 ad 1.

vita supernaturalis animae. *Imperfecte et secundum quid* vivit, qui, licet gratia destitutus, fidem tamen habet, quae radix est vitae supernaturalis, iuxta illud: *iustus ex fide vivit* (Rom. 1, 17). Immo etsi quis fidem amiserit, nondum influxui Ecclesiae penitus subtrahitur, quamdiu corpori eius insertus est. Stante enim hac aggregatione talis homo non solum potentiam remotam, sed capacitatem proximam habet participandi sacramenta Ecclesiae, neque communione suffragiorum aliorumque bonorum spiritualium omnino privatur; vicissim et ipse saltem externa obedientia Ecclesiae se subdit.<sup>1)</sup> Relinquitur ergo non solum externa, licet tenuis, communicatio inter hoc membrum putridum et corpus Christi. — *γ)* Fieri denique potest, ut quis corpori Ecclesiae nondum insertus sit, et tamen iam per caritatem capiti Christo inhaereat. Talis homo iuxta modum hodie nonnullis auctoribus admodum familiarem ad *animam*, non vero ad corpus Ecclesiae pertinet: dum haereticum occultum ad corpus, sed non ad animam Ecclesiae pertinere dicunt.

- 283 3. Praenotare etiam breviter iuvat varios in hac materia haereticorum *errores*, variasque Catholicorum *opiniones*. Donatistae igitur, Waldenses, multi Protestantes, Quesnelius alique solos *iustos* ad Ecclesiam pertinere docebant; Pelagiani solos *perfectos*; Wiclifitae et Hussitae solos *praedestinos* (267). Omnes istae opiniones haereticae sunt. — Inter Theologos catholicos variae opiniones fuerunt et sunt circa *catechumenos*, *haereticos occultos* et *excommunicatos*. Catechumeni enim iuxta Suaresium<sup>2)</sup> sunt *actu* membra Ecclesiae, iuxta Bellarminum vero tantum *potentia*; Valentia eos secundum *meritum*, Billuart in *voto*, Tanner *voto ac merito* Ecclesiae membra esse affirmat.<sup>3)</sup> Dissensio quoque est circa *excommunicatos*. Suarez, Billuart alique existimant, nec publicos nec occultos haereticos ad Ecclesiam pertinere, excommunicatos vero adhucdum Ecclesiae accensent. Contra vero Bellarminus, Canus, Caietanus etc. haere-

<sup>1)</sup> Cf. Palmieri l. c. § 11, VII.

<sup>2)</sup> De fide disp. 9 s. 1 n. 18.

<sup>3)</sup> Cf. Mazella n. 597; Groot, Summa apologetica ed. 3, q. 3 a. 3. C. J. C. can. 1239 § 2.

ticos occultos inter membra Ecclesiae recensent; dum excommunicati, saltem vitandi, a Catechismo Rom.<sup>1)</sup> de censu membrorum excluduntur. Aliis potius lis de nomine esse videtur; eo quod omnes Theologi in quaestione practica, quibus videlicet nexibus catechumeni, haeretici, excommunicati ad Ecclesiam referantur vel non referantur, consentiunt, ac dissensio in eo tantum est, quid requiratur, ut quis simpliciter membrum Ecclesiae *appellari* queat.<sup>2)</sup> — His positis ostendemus:  $\alpha$ ) negative, quid ad rationem membri Ecclesiae non requiratur,  $\beta$ ) positive, quid requiratur.

**Thesis 76.** *Ad rationem membri Ecclesiae simpliciter dicti nec praedestinatio nec iustitia requiritur. Quare etiam non praedestinati et peccatores occulti et publici ad Ecclesiam pertinere possunt, et revera pertinent.* 284

De *fide* quoad omnes partes. In conc. *Constantiensi* enim sub *Martino V.* damnatus est Ioannis Hus articulus 1: «Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas» (cf. a. 3. 5. 6. 21).<sup>3)</sup> A *Clemente XI.* in Constitutione «Unigenitus» damnatae sunt propositiones 72—77, in quibus asseritur, solos iustos et praedestinos ad Ecclesiam pertinere. Sic e. g. prop. 76 ita sonat: «Nihil spatiosius Ecclesia Dei: quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam componunt.»<sup>4)</sup> Tandem prop. 15 synodi *Pistoriensis*, quae est ad Quesnellii propositionem expressa solosque iustos ut membra Ecclesiae admittit, damnata est ut haeretica.<sup>5)</sup> — Probo:

1. Scriptura continet: a. varias analogias, quibuscum Christus Ecclesiam comparat. Tales sunt: *area* (Matth. 3, 12), in qua est triticum cum paleis, quae comburentur igne inextinguibili; *sagena* (13, 47), in qua sunt pisces boni et mali foras mittendi; *convivium nuptiale* (c. 22), ad quod intravit unus non habens vestem nuptialem, qui mittitur in tenebras exteriores; *decem virgines* (c. 25), quarum quinque sunt fatuae, non admittendae ad nuptias, etc. Atqui nomine palea-

1) P. 1 c. 10 q. 8.

2) Cf. Franzelin, l. c. pg. 377 sqq.

3) Denzinger 627 sqq.

4) Cf. ibid. 1426 sqq.

5) Cf. ibid. 1515.

rum, quae comburuntur, piscium malorum, qui foras mittuntur, virginum fatuarum et convivae sine veste nuptiali profecto nec *praedestinati* nec iusti intelligi possunt. Ergo Ecclesia etiam ex non praedestinis et peccatoribus constat. — b. Accedunt expressa testimonia. Sic legimus (I Petr. 2, 10): *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei*; et (Eph. 5, 8): *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate* (cf. Eph. 2, 12). Haec clare ostendunt, ex praedestinis plurimos aliquando ad Ecclesiam non pertinuisse. E contrario non praedestinati et peccatores *in Ecclesia* reperiuntur. Legimus enim (Matth. 18, 15 sqq.): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum . . . Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Ergo in Ecclesia sunt peccatores et tamdiu manent, donec eiiciantur. Nec ulla veri specie dici potest, istos peccatores omnes praedestinos fuisse. — c. Idem colligitur ex separatione incestuosi ab ecclesia Corinthiorum, ex fornicariis, qui in ea erant (I Cor. c. 5), ex indigne communicantibus (11, 29 sq); ex multis demum aliis peccatoribus, qui in diversis ecclesiis, ad quas Apostoli scripserunt, inveniebantur et quorum peccata ab iisdem arguebantur.

2. Ex Patribus. *Cyprianus* ait:<sup>1)</sup> «Impediri non debet aut fides aut caritas nostra, ut, quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.» *Hieronymus*<sup>2)</sup> scribit: «Arca Noe Ecclesiae typus fuit. . . . Ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt. Ut ibi pardus et hoedi, lupus et agni: ita et hic iusti et peccatores, id est vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus, commorantur.» *Augustinus* ait:<sup>3)</sup> «Sunt mali in Ecclesia pertinentes ad Esau; quia et ipsi filii Rebeckae, filii matris Ecclesiae, de utero ipsius nati et pilosi in peccatis carnalibus perseverantes, de illius tamen utero nati.» Alibi vero scribit:<sup>4)</sup> «Secundum prae-

<sup>1)</sup> Ep. 51.

<sup>2)</sup> Dial. c. Lucifer. n. 22.

<sup>3)</sup> Serm. 4 de Iacob et Esau c. 28 n. 31; cf. serm. 137 n. 1; serm. 264 n. 5.

<sup>4)</sup> In Ioan. tr. 45 n. 12 et alibi passim.

scientiam Dei et praedestinationem, quam *multae oves foris*, quam *multi lupi intus*.»

3. Ex ratione theologica. Namque  $\alpha$ ) natura cuiusque societatis postulat, ut eius membra cognosci et secerni possint; alioquin conspiratio ad finem sociale impossibile esset. Praeprimis vero necessarium est, ut superiores cognoscantur, a quibus societas regitur. Idem ergo dicendum de membris Ecclesiae. At praedestinatio et iustitia a nemine certo cognosci possunt. Si ergo istae notae membris Ecclesiae necessariae essent, iam societas visibilis non esset, nec certe sciretur, cui obediendum sit et ubi vera doctrina ac sacramenta accipi debeant. —  $\beta$ ) Sacramentum Poenitentiae ex una parte institutum est in remissionem peccatorum, ex altera parte per modum iudicii ac consequenter in subditos exercetur. Ergo peccatores, utpote subditi, ad Ecclesiam pertinent.

**Difficultates.** 1. Ecclesia tota pulchra, sine macula et ruga esse debet (Eph. 5, 27); peccatores ergo in suo sinu habere nequit. — Resp. *Dist.* Ecclesia, quae ex militante transiit in triumphantem, sine macula et ruga erit, *Conc.*; quamdiu est in statu militiae, *Subd.*: quoad essentiam, *Conc.*; quoad singula membra, *Nego.*<sup>1)</sup>

2. Qui non habet Deum patrem, neque habet Ecclesiam matrem;<sup>2)</sup> sed peccatores non habent Deum patrem; ergo. — Resp. Falsum est, peccatores non habere Deum patrem; alioquin Christus non docuisset omnes orare: Pater noster, dimitte nobis debita nostra. Sunt ergo filii inobedientes, sed adhuc filii, qui destituti sunt vita gratiae, sed vivunt adhuc ex fide.

3. Urgent verba Ioannis (I ep. 2, 19): *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Perseverantia ergo seu praedestinatio est conditio necessaria veri membri Ecclesiae. — Resp.  $\alpha$ ) Retorqueo argumentum. Ioannes dicit: *exierunt ex nobis*; qui autem exit ab aliquo loco, prius *in illo* fuit. Ergo Apostolus clare indicat, illos apostatas prius membra

<sup>1)</sup> Cf. Thom. p. 3 q. 8 a. 3 ad 2.

<sup>2)</sup> Cypr., De unit. Eccles. c. 5.

Ecclesiae fuisse.  $\beta$ ) Nihilominus subiungit: non erant *ex nobis*, i. e. non habebant verum spiritum Ecclesiae; quia videlicet prius haeretici occulti, vel saltem non satis firmiter doctrina erant et spiritu Ecclesiae imbuti, et propterea tempore persecutionis apostatabant, iuxta illud (Luc. 8, 13): *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

4. Provoçant denique ad quaedam effata Patrum, praesertim *Augustini*,<sup>1)</sup> quibus peccatores ab Ecclesia excludi videntur. At responsio in promptu est. Ex Patrum sententia enim non praedestinati et peccatores pertinent quidem ad Ecclesiam simpliciter, sed non finaliter et perfecte. Ad Ecclesiam enim *simpliciter* pertinet ille, qui habet omnia elementa essentialia membri Ecclesiae; ad Ecclesiam *perfecte* pertinet, qui est membrum perfectum, i. e. caritate informatum; ad Ecclesiam *finaliter* pertinet, qui inscriptus est in libro vitae. Atqui peccator, licet caritatem non habeat, tamen fide et communione sacramentorum cum Ecclesia connectitur ideoque simpliciter loquendo eius membrum est. Patres hoc minime negant sed defendunt.<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Sic docet, in corpus et membra Christi non coaedificari nisi bonos (De unit. Eccl. c. 21); videri quidem malos esse intus, reapse foris esse (De bapt. l. 4 c. 3); non posse Christum habere membra damnata (Contr. Crescon. l. 2 c. 21); perseveraturos in sua malitia ad Christi corpus non pertinere (in Ps. 139); corpus Christi, quod est Ecclesia, in ipsa dextera, h. e. in ipsa beatitudine esse futurum (De agon. chr. c. 26).

<sup>2)</sup> Cf. Bellarm. l. 3 c. 7 et 9. Insolitum loquendi modum Augustini cl. Hurter, in scientia patristica nemini secundus, ita explicat (n. 245): a. Amat Augustinus modum loquendi platonicum, cuius est, illius in primis meminisse, quod in re aliqua eminent ad eamque prae ceteris pertinet. Cum ergo de ratione membri perfecti, coetus praesertim ex se sancti sit sanctitas et vita, qua carent peccatores, negare potuit eos esse (sensu pleno) de Ecclesia. Aderat b. etiam ratio polemica. Cum enim Donatistae profiterentur Baptismum extra Ecclesiam catholicam validum non esse propter illam s. Cypriani rationem, fieri nempe non posse, ut is vitam vel Spiritum s. tribuat, qui vitam et Spiritum sanctum ipse non habeat, ut haereticus quivis: contra urget s. Augustinus (e. g. De bapt. l. 4 c. 4), peccatores non secus ac haereticos alienos esse ab Ecclesia, quatenus scil. haec corpus est vivum et templum s. Spiritus. Si ergo hoc non obstante peccatores valide baptizant, poterunt et haeretici valide baptizare. Hinc explicatur, quare ea loquendi ratio in illis potissimum reperia-

**Thesis 77.** *Ad rationem membri Ecclesiae simpliciter dicti requiritur et sufficit triplex vinculum, symbolicum, liturgicum et hierarchicum. Requiritur videlicet et sufficit, ut homo professione verae fidei, communione sacramentorum et obedientia hierarchica cum Ecclesia connectatur. Quare haeretici publici, catechumeni, schismatici et excommunicati simpliciter loquendo Ecclesiae membra non sunt; haeretici occulti vero adhuc illius membra dici debent.* 286

In thesi primo *generatim* statuimus, quaenam sint conditiones seu qualitates necessariae, ut quis simpliciter Ecclesiae membrum dici possit. Deinde regulam generalem ad certas *classes* hominum applicamus; accurate distinguentes, quae certa sunt in hac materia, quae plus minus *probabilia*.

**I. Regula generalis.** *Nemo potest simpliciter membrum Ecclesiae dici, nisi triplice vinculo, symbolico, liturgico et hierarchico cum Ecclesia connectatur.*

Nomine vinculi symbolici intelligimus *professionem verae fidei*, abstrahentes interim, utrum etiam fides interna necessaria sit necne. Hoc etenim controversum est ac postea examinabimus. Nomine vinculi liturgici intelligimus *communione sacramentorum* aliorumque mediorum salutis, puta sacrificii missae, sacramentalium, suffragiorum, etc. Denique tertium vinculum, quod hierarchicum appellamus, consistit in *subiectione sub legitimis pastoribus, praesertur libris*, in quibus contra Donatistas valorem Baptismi ab haereticis collati tuetur. Praeterea c. audivimus Augustinum affirmantem, se saepe de Ecclesia loqui non qualis sit, sed qualis futura sit. Ceterum d. ipse s. doctor subinde distinctionis principia proponit, secundum quae ipsius effata in speciem contraria explicari possint. Ita explicans verba Christi: *Unus ex vobis tradet me*, scribit (Tr. 61 in Ioan. 13. 21 n. 2): «Unus ex vobis numero, non merito; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adiunctione, non cordis socius unitate; proinde non qui ex vobis est, sed qui ex vobis exiturus est. . . Ac per hoc utrumque verum est, et *ex nobis* et *non ex nobis*: secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis: secundum communionem sacramentorum *ex nobis*, secundum suorum proprietatem criminum *non ex nobis*.» Et iterum (De bapt. 1. 7 c. 51): «Separatiores sunt (haeretici et schismatici) iam etiam corporaliter segregati, quam illi, qui interius (in domo, quae est Ecclesia, II Tim. 2, 20) carnaliter et animaliter vivunt, et spiritualiter separati sunt.» Cf. Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin § 12 ff (Paderborn 1885).

*tim sub R. Pontifice.* His tribus vinculis copulative sumptis quasi triplice funiculo hominem cum Ecclesia colligatum esse oportet, ut vere et simpliciter eius membrum dici queat. Necesse tamen absolute loquendo non est, ut gradu perfecto id fiat, puta ut quis explicitè fidem profiteatur et secundum eam vivat, vel ut sacramentis mediisque salutis diligenter utatur, vel ut omnibus Ecclesiae legibus semper obtemperet. Haec etenim exiguntur, ut quis sit membrum *perfectum*, non autem ut sit membrum simpliciter. Regula generalis omnino certa est ac facile probatur.

1. *Professio fidei* evidenter exigitur.

Namque **a.** Ecclesia est societas *supernaturalis*. Fides autem est radix et fundamentum totius ordinis supernaturalis. Sine fide ergo nemo ad Ecclesiam pertinere potest. — **b.** Iterum. Ecclesia est et dicitur coetus *fidelium* seu *Christianorum*. Fidelis autem seu Christianus nemo esse censetur, nisi qui fidem christianam profitetur. — **c.** Rursus. In adultis *professio* fidei semper requirebatur ut conditio necessaria ad recipiendum baptismum (Marc. 16, 16; Act. 8, 37). Baptismus autem est ianua Ecclesiae. Ergo professio fidei est conditio necessaria, ut quis aggregetur Ecclesiae.

2. Necessarium quoque est vinculum *liturgicum*, praesertim *communio sacramentorum*.

Sane **a.** Ecclesia est societas visibilis, cuius membra non solum interno, sed externo quoque vinculo inter se uniri et notis visibilibus ab infidelibus distinguere debent. Atqui vinculum praecipuum ac nota distinguens Ecclesiae est sacra liturgia, praesertim sacramenta et sacrificium. Nemo ergo ad Ecclesiam pertinet, quin vinculo liturgico cum illa uniatur.<sup>1)</sup> — **b.** Sicut cuivis societati essentialis est finis et media ad finem, ita cuivis membro essenziale est ius ad media, quibus finis socialis obtineatur. A pari ergo membris Ecclesiae essentialis censi debet communio sacramentorum aliorumque mediorum salutis. — **c.** Paulo aliter. Sacramenta pertinent ad essentiam Ecclesiae. Qui ergo extra communionem sacramentorum est, extra essentiam Ecclesiae est.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Catech. Rom. p. 2 c. 1 q. 14.

<sup>2)</sup> Cf. Thom. p. 3 q. 64 a. 2 ad 3.

3. Requiritur *vinculum hierarchicum* seu subiectio sub legitimis pastoribus, praesertim sub R. Pontifice.

Nam **a.** in quavis societate auctoritas socialis est principium formale, per quod multitudo civium in unitate corporis socialis continetur. Ergo extra unitatem est, qui hoc vinculo non colligatur. Et revera ubique terrarum exigitur, ut is, qui alicui societati sive magnae sive parvae aggregari vel in ea permanere voluerit, sese praepositis illius societatis subiiciat. — **b.** Apostoli eorumque successores constituunt fundamentum Ecclesiae, habent claves regni caelorum, divinitus positi sunt ad regendam Ecclesiam Dei atque ad aedificandum corpus Christi, sunt denique «glutinum unitatis». <sup>1)</sup> Qui ergo non vult fundari in petra, non est de magna domo Ecclesiae; qui recusat subesse potestati clavium, extorris est a regno caelorum; qui cum s. hierarchia non connectitur, non coniungitur cum capite Christo, ideoque non est eius membrum.

II.  *Applicatio regulae generalis ad singulas classes.* 287

**A.**  *Infideles et haeretici publici certe non sunt membra Ecclesiae.*

Haeresis est vel *formalis* vel *mere materialis*, quatenus aliquis sciens et volens vel ignoranter et bona fide errorem doctrinae catholicae contrarium tenet. Dicimus ergo, quod omnes infideles et haeretici, non solum qui formaliter, sed etiam qui materialiter errant, extra Ecclesiam sunt, dummodo *publice* infidelitatem aut haeresim profitentur.

Propositio in primis est veluti corollarium antecedentis, qua fidei professionem ad rationem membri Ecclesiae necessariam esse probavimus. Nomine fidei autem certe recta fides intelligitur; hac autem tam infideles quam haeretici carent. Sed probatur etiam explicite.

1. Apostolus praecipit (Tit. 3, 10 sq): *Haeticum hominem post unam et secundam correptionem evita, sciens, quid subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Sed Apostolus, ita subiungit *Bellarminus*, <sup>2)</sup> hoc certe non iuberet, si talis homo adhuc

<sup>1)</sup> Cf. Matth. 16, 18 sq; Eph. 2, 20; 4, 11 sq; Act. 20 28; Cypr., De unit. Eccl. et Ep. 59; cf. Franzelin, thesi 22, IV.

<sup>2)</sup> De Eccl. milit. l. 3 c. 4.

esset intra Ecclesiam. Debet enim episcopus non vitare sed curare eos, qui ad suum gegem pertinent.

2. *Hieronymus*<sup>1)</sup> Marcionitas aliosque haereticos «non Ecclesiam Christi, sed Antichristi synagogam» appellat. *Augustinus*<sup>2)</sup> vero scribit: «Haereses omnes de illa (Ecclesia) exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa.» Alibi<sup>3)</sup> de haereticis et schismaticis dicit, eos «digessit Ecclesia tamquam stercora».

3. Idem colligitur ex praxi Ecclesiae, quae haereticos e sua societate semper segregavit; ut iam Paulus Hymenaeum, Philetum et Alexandrum segregavit (II Tim. 2, 17; I Tim. 1, 20). Ii vero, qui ad fidem catholicam redeunt, proprio ritu *in Ecclesiam* recipiuntur; quo significatur, eos prius extra Ecclesiam fuisse. Exinde manifeste sequitur, etiam haereticos materiales membra Ecclesiae non esse, cum in ritu reconciliationis nulla distinctio fiat inter haeticum formalem et materiale.

**Obiectio 1.** Ecclesia haereticos iudicare potest et punire; sed *de iis, qui foris sunt*, Ecclesia non iudicat (I Cor. 5, 12). Praeterea haeretici retinent characterem Baptismi et sacerdotii; igitur sunt Christiani et sacerdotes. — Respondeo cum *Bellarmino* (l. c.): Haeretici non quidem sunt sed deberent esse in Ecclesia, ut oves in ovili, unde fugerunt. Et propterea Ecclesia de haereticis iudicare potest, sicut imperator potest desertorem militiae, qui transfugit ad castra hostium, vi cogere ad sua castra aut etiam suspendere. Porro character solus non sufficit, ut aliquis sit de Ecclesia; alioquin etiam damnati in inferno adhuc ad Ecclesiam pertinerent.

**Obiectio 2.** Haereticus, qui bona fide errat, veram fidem atque etiam caritatem habet vel saltem habere potest; ergo saltem haereticus materialis, etiam publicus, etsi non ad corpus certe ad animam Ecclesiae pertinet. — Resp. Participat quidem talis haereticus de anima Ecclesiae, sed quid inde? An Ecclesia est anima, et non potius corpus, ut toties dicit Scriptura? Nonne *membrum* primario ad corpus

<sup>1)</sup> Adv. Lucif. n. 27.

<sup>2)</sup> Serm. 1 de symb. ad Catech.

<sup>3)</sup> Serm. 5 n. 1.

pertinet? Certe anima proprie loquendo membra non habet. Ergo haereticus materialis *simpliciter* membrum Ecclesiae nec est nec dici debet, quia ad eius corpus non pertinet.

**B.** *Infideles baptizati et haeretici occulti probabilius sunt et dicuntur Ecclesiae membra simpliciter dicta.* 288

Haec est sententia communior inter Theologos et probatur a *Bellarmino*<sup>1)</sup> praecipue sequentibus rationibus:

1. Ex illis verbis Ioannis (I ep. 2, 18 sq): *Et nunc antichristi multi facti sunt; . . . . ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* «Hoc loco Ioannes de haereticis loquitur, quos antichristos vocat, et dicit eos, antequam exirent, non fuisse ex nobis, id est, non fuisse Catholicos animo et voluntate, sed haereticos atque antichristos: et tamen ex nobis exivisse, quia, etsi non erant ex nobis animo ac voluntate, erant tamen ex nobis externa professione, sed posteaquam se prodiderunt et in apertum schisma proruperunt, iam desierunt omnibus modis esse ex nobis.» Idem deinde confirmat Bellarminus ex Patribus.

2. Episcopi, occulti haeretici, retinent iurisdictionem vereque episcopi esse pergunt. Id aperte constat ex *Coelestino*<sup>2)</sup> et *Nicolao I.*<sup>3)</sup> Episcopus autem est caput Ecclesiae saltem subordinatum. Quis autem unquam audivit, caput non esse membrum corporis?

3. Id omnino exigit Ecclesiae visibilitas, quam postea probabimus, licet ex hucusque dictis iam satis colligatur. «Necesse est, inquit idem *Bellarminus* (l. c.), ut nobis certitudine infallibili constet, qui coetus hominum sit vera Christi Ecclesia. Nam cum Scripturae, traditiones et omnia plane dogmata ex testimonio Ecclesiae pendeant, nisi certissimi simus, quae sit vera Ecclesia, incerta erunt prorsus omnia. At non potest certitudine infallibili nobis constare, quae sit vera Ecclesia, si fides interna requiritur in quolibet membro seu parte Ecclesiae: quis enim certo novit, in quibus sit ista fides? Non igitur fides aut aliquid aliud invisibile et occultum requiritur, ut quis aliquo modo pertineat

<sup>1)</sup> De Eccl. milit. l. 3 c. 10.

<sup>2)</sup> Ep. 14 ad Cler. et pop. Constant. (Galland. t. 9).

<sup>3)</sup> Ep. 8 ad Mich. imper.

ad Ecclesiam.» Et merito addit: «Si ii, qui fide interna carent, non sunt nec esse possunt in Ecclesia, nulla erit amplius inter nos et haereticos quaestio de Ecclesiae visibilitate.»<sup>1)</sup>

289 C. *Catechumeni non sunt membra Ecclesiae*. Sane:

1. Iuxta Paulum (I Cor. 12, 13): *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Ergo Baptisma est medium aggregationis; unde non baptizati ab eodem Apostolo expresse *foris* (5, 12) esse dicuntur.

2. Conc. *Florentinum* (Decr. pro Armen.)<sup>2)</sup> dicit: «Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis *ianua* est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae.» Etiam *Tridentinum* (Sess. XIV de poenit. cap. 2) Baptismum „*ianuam*“ Ecclesiae appellat. Patres pariter catechumenos in „*vestibulo*“ (ἐν προθύροις)<sup>3)</sup> esse dicunt. Similia in caeremoniis Baptismi Ecclesiae occidentalis et orientalis reperies.<sup>4)</sup>

3. Ratio theologica ex natura membri petitur (286, I. 2).

---

<sup>1)</sup> Obiiciunt verba *Pii IX.* (Const. *Ineffabilis* de Immac. Conceptione): «Si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, *praesumpserint corde sentire*, ii noverint se... naufragium circa fidem passos esse et *ab unitate Ecclesiae defecisse*, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si, quod corde sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint.» Ergo sola *interna* haeresis sufficere videtur ad separationem ab Ecclesia. -- Resp. *Dist.* Sola interna haeresis sufficit ad separationem internam ab Ecclesia, *Conc.*; ad externam qua membrum, *Subdist.* «Si quovis externo modo id significare ausi fuerint,» *Conc.*; secus *Nego.* «Distinctio, inquit Palmieri, (§ 11, IV), inter verba Pontificis ita statui potest: 1. *qui secus praesumpserint corde sentire*, naufragium circa fidem passi sunt; 2. *ab unitate vero Ecclesiae defecerunt* et propterea poenis se subiecerunt, qui, quod corde sentiunt, *exterius* significaverint. Cum durum sit, arbitrari, voluisse Pontificem obiter et per transennam sententiam celebrem in scholis absque ullo praevio examine reprobare: haec altera interpretatio, quae et obvia satis est, magis nobis probatur.» Cf. Franzelin, thesi 23, I.

<sup>2)</sup> Denzinger 696.

<sup>3)</sup> Greg. Naz., Or. 40 n. 16; Cyrill. Hier., Procatech. c. 1.

<sup>4)</sup> Vide Assemani, Cod. liturg. l. 1 et 2; cf. Franzelin, thesi 22, VII.

**D. Neque schismatici neque excommunicati sunt membra Ecclesiae.**<sup>1)</sup> — Probo:

1. Ecclesia vocatur in Scripturis unum *ovile*, unum *corpus*. Qui ergo sive per schisma seipsos ab Ecclesia separant, sive per excommunicationem ab ea separantur, ad ovile et corpus Ecclesiae amplius non pertinent, ideoque eius membra non sunt. Praeterea Christus expresse dicit (Matth. 18, 17): *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Atqui nec schismaticus nec excommunicatus Ecclesiam audit, quia nonnisi contumaces excommunicantur. Ergo considerandi sunt sicut ethnici, qui certe extra Ecclesiam vagantur.

2. Teste Cypriano<sup>2)</sup> «Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens» . . . «Scire debes, episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse.»<sup>3)</sup> *Catechismus Rom.*<sup>4)</sup> iis, qui «Ecclesiae militantis finibus *non continentur*», adscribit schismaticos et excommunicatos, «quod Ecclesiae iudicio ab ea exclusi ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant.» In vetere iure canonico etiam excommunicati ab Ecclesia *eliminati* vel *separati* dicuntur. Ex iure nunc vigente<sup>5)</sup> saltem excommunicati, qui ut vitandi notantur, membris Ecclesiae adnumerandi non sunt, quia participatione bonorum Ecclesiae privantur.

3. Ratio interna petitur ex natura membri, cui essentialis est cohaesio organica cum corpore. Qui ergo per voluntarium schisma vel per excommunicationem a communionem cum Ecclesia separatur, eius membrum amplius esse nequit.

---

<sup>1)</sup> Cf. Billot, De Ecclesia Christi t. 1 pg. 320 sq (Romae 1898).

<sup>2)</sup> Ep. 69 ad Florent. Pupian.

<sup>3)</sup> In ep. 62 ad Pompon. scribit: «Spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.» Cf. Hieron. in c. 2 ep. ad Tit.; August, De corrept. et grat. c. 15.

<sup>4)</sup> P. 1 c. 10 q. 9; cf. Thom., Suppl. q. 21 a. 1.

<sup>5)</sup> Cf. Cod. iur. can. 2257 sqq.

290 **Corollarium.** Quamvis simpliciter loquendo nec catechumeni, nec haeretici et schismatici, nec excommunicati Ecclesiae membra sint, nihilominus omnes isti aliquibus adhuc nexibus cum Ecclesia vinciuntur. Unde *secundum quid* ad Ecclesiam pertinent eiusque membra dici possunt ac quandoque ab ipsis Patribus dicuntur. Catechumeni enim non solum fidei, spei, immo etiam caritatis participes sunt vel esse possunt; verum etiam *voto* iam ad Ecclesiae corpus pertinent. Qui enim baptizari desiderat, in Ecclesiam ingredi desiderat. Idem dici debet de haereticis materialibus; haeretici formales autem et schismatici ipso caractere baptismali manent iurisdictioni Ecclesiae subiecti. Excommunicati ex ipsa intentione ac indole poenae *medicinalis* non *finaliter* sunt exclusi, nec vitali influxui Ecclesiae penitus subducuntur.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin thesi 23; Hurter n. 243 (ed. 9). Varios modos, quibus aliquis membrum Ecclesiae esse vel non esse potest, praeclare exponit s. Thomas in III. sent. dist. 13 q. 2 a. 2; item Stapleton (Relect. princip. doctr. fidei contro. 1 q. 2 a. 1): «1. Membra corporis Christi mystici quaedam esse *coniuncta* ipsi Christo, quaedam *coniunctiora*, quaedam *coniunctissima*. Coniuncta sunt omnia, quae Christum induerunt per fidem aut per baptismum, sacramentum fidei, et applicatum sibi Christum habent per communionem sacramentorum. . . . Coniunctiora membra sunt, quae non solum per fidem et sacramentorum usum, sed etiam per caritatem Christo adhaerent et unus cum eo spiritus fiunt. . . . Coniunctissima membra sunt, quae non sola fide et caritate, sed etiam spe non frustrabili et finali perseverantia connexa Christo coniunguntur. . . . itaque primi quidem sunt *membra* per fidem, secundi *cara* membra per caritatem, tertii *carissima* membra propter electionem. Rursum primi ut credentes sunt aliquanta membra; secundi ut amantes magna; tertii ut perseverantes praecipua. . . . 2. Notabimus Ecclesiam Christi propter haec tria membrorum suorum genera varias in Scriptura nuncupationes accipere. Propter primum genus vocatur *domus* magna, in qua sunt vasa in honorem vel vasa in contumeliam (II Tim. 2, 20 etc.). Propter secundum genus vocatur Ecclesia *corpus* Christi . . . . cuius membra sunt templum Dei et Spiritus s. (I Cor. 3, 16); . . . *sponsa* Christi . . . domus *spiritualis*, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (I Petr. 2, 5). . . . Propter tertium genus vocatur Ecclesia hortus *conclusus*, fons *signatus*, unica columba, una perfecta mea, amica mea tota pulchra (Cant. 4). . . . 3. Notabimus quosdam esse in Ecclesia numero et *vocatione* tantum . . . alii sunt in Ecclesia et numero et *merito* . . . alii denique et numero et merito et *electione* propter perseveran-

## ARTICULUS III.

**De hierarchia divina ut principio formali Ecclesiae.**

Principium formale cuiusvis societatis est auctoritas 291 publica; ipsa quippe est vinculum, quo membra uniuntur et ad finem socialem perducuntur (270). Quaeritur ergo, quaeenam sit auctoritas publica Ecclesiae. Respondemus: est *hierarchia divina*. Ut hoc pateat,  $\alpha$ ) notionem hierarchiae divinae exponemus, deinde  $\beta$ ) sacrae potestatis existentiam ac proprietates,  $\gamma$ ) eius subiectum,  $\delta$ ) nec non relationem ad potestatem civilem breviter declarabimus.

## I.

**Notio hierarchiae divinae.**

1. Hierarchia est idem ac *sacer principatus*. Omnis porro principatus, nisi sit tantummodo principatus honoris, *potestate* in alios insignitus esse debet; quae quidem potestas in principatu civili triplex est; *legifera, iudiciaria* et *coactiva*. Necesse quippe est, ut cives per aptas leges ad usum mediorum fini sociali proportionatorum adstringantur; ut dubia et lites de sensu alicuius legis vel de conformitate actionum cum lege authentice dirimantur; ut demum transgressores legum etiam mediis violentis in officio contineantur. His potestatibus addi potest quarta, scilicet potestas auctoritative administrandi et dispensandi thesaurum sive *aerarium* publicum. — Similes potestates Christus etiam Ecclesiae contulit, ut suam missionem in terra continuare posset; scilicet potestatem legiferam, iudiciariam et coactivam eisque coniunxit magisterium infallibile et ministerium ad dispensandos thesauros gratiae et veritatis.

2. Praefatae potestates ecclesiasticae in duplicem classem 292 dividuntur: *ordinis* et *iurisdictionis*. Potestas ordinis est potestas ex sacramento ordinis profluens ad cultum Dei

---

tiam in bono . . . 4. Notabimus quosdam esse in Ecclesia ut *servos* in domo . . . alii sunt in Domo Dei sicut *filii* Dei, sicut cives, amici ac domestici eius . . . alii denique . . . ut *haeredes*. 5. Notabimus primum genus membrorum Ecclesiae ad Ecclesiae corpus et unitatem seu etiam societatem vere et proprie pertinere, sed non principaliter.»

religiosum gratiasque dispensandas ordinata. Potestas iurisdictionis est potestas superioris in subditos ad gubernandos fideles in foro interno vel externo per deputationem specialem collata. Ambae potestates ergo multipliciter differunt: α) Quoad *originem* potestas ordinis remote fluit ex sacerdotio Christi, proxime ex sacramento ordinis; potestas iurisdictionis in potestate regia et prophetica Christi fundatur, neque essentialiter nexa est cum caractere sacerdotali. β) *Obiectum* potestatis ordinis est corpus Christi *reale* cum reliquis gratiis, quae omnes ex hoc fonte fluunt et per potestatem ordinis administrantur. Obiectum potestatis iurisdictionis est corpus Christi *mysticum* gubernandum per veram doctrinam et leges. — γ) *Finis* potestatis ordinis est sanctificatio fidelium, finis potestatis iurisdictionis est eorum gubernatio. — δ) *Efficientia* quoque et *modus exercitii* in utraque differt. Potestas ordinis enim exercetur ex opere operato semper valide, etsi non semper licite exercetur, nec auferri unquam aut minui potest, atque in omnibus, qui eundem ordinem habent, est aequalis. Contra vero, potestas iurisdictionis est ex opere operantium, auferri et minui ac omnino invalidari potest, nec in omnibus aequalis est.<sup>1)</sup>

3. Potestas bipartita ordinis et iurisdictionis a recentioribus in tripartitam: *ministerii*, *magisterii* et *regiminis* resolvitur; nec inepte. Nam potestas ministerii per ministros sacramenti ordinis exercetur, ideoque coincidit cum *potestate ordinis*. Potestas iurisdictionis autem non una eademque ratione, sed aliter per magisterium, aliter per regimen exercetur. Magisterium ecclesiasticum enim, ut bene notari oportet, non est mere doctrinale, ut in doctoribus privatis; sed est authenticum, cuius definitionibus praestanda est obedientia fidei. Magisterium ecclesiasticum ergo veram *potestatem*, et quidem potestatem *iurisdictionis* importat; at non omnino identicam cum *iurisdictione* regiminis. Nam iurisdictio regiminis in subditos exercetur, definitiones vero infallibiles Pontificum et conciliorum ipsos Pontifices

<sup>1)</sup> Cf. Thom. 2, 2 q. 39 a. 3; Franzelin thes. 5, III; Aichner, Comp. iur. eccl. § 23 et 24, ubi accurate recensentur actus utriusque potestatis.

et concilia, immo etiam infideles, qui extra Ecclesiam sunt, ad obedientiam fidei obligant. Ergo potestas iurisdictionis veluti genus se habet, quod in duas species *magisterii* et regiminis resolvi potest.<sup>1)</sup>

4. Potestas socialis generatim ab uno vel pluribus pos- 293  
sideri potest, unde variae formae regiminis emergunt. «Si subiectum auctoritatis supremae est una persona physica, forma regiminis dicitur *monarchia*; si illud est persona moralis paucis physicis constans, *oligarchia*; si ex multis coalescens, *polyarchia*, quae etiam *respublica* dici solet; et quidem *aristocratica*, si collegium optimatum regit; *democratica*, si omnes cives adulti vel pars civium ex communi populo subiectum est auctoritatis. Monarchia est *absoluta*, si persona physica regentis ius auctoritatis plene possidet et exercere potest. . . . Monarchia est *temperata*, si persona physica monarchae maiorem saltem partem auctoritatis habet, minor vero quaedam optimatibus aut populo relicta est.»<sup>2)</sup> — Quodsi haec ad Ecclesiam applicentur, ac de *subiecto* potestatis ecclesiasticae seu de forma regiminis quaeratur, iuxta doctrinam catholicam Christus instituit hierarchiam constantem ex episcopis, presbyteris et ministris; caput vero huius hierarchiae est R. Pontifex, qui habet plenitudinem iurisdictionis in universam Ecclesiam. Forma regiminis igitur seu constitutio Ecclesiae est monarchia.

<sup>1)</sup> Veteres potestatem ecclesiasticam generatim nomine *clavium* designabant, metaphora ex ipsis Scripturis desumpta (Matth. 16, 19; Apoc. 1, 18; 3, 7; cf. Trident. Sess. XIV cap. 5). Potestatem docendi appellabant *clavem scientiae*, iurisdictionem pressumptam *clavem potestatis*. Cf. Suarez, Defens. fid. l. 6 c. 7; Stapleton, De princip. fid. l. 6 c. 1. Vide Franzelin l. c., ubi haec distinctio egregie dilucidatur et ex ipso conc. Vatic. vindicatur, quippe quod in cap. 4 de const. Eccl. supremam potestatem iurisdictionis, in cap. 5 infallibile magisterium R. Pontificis definiat.

<sup>2)</sup> Ita Costa-Rosetti, Philosophia mor. p. 4 c. 2 sect. 1 § 2 (ed. 2 1886). Cf. Thom., Sum. theol. p. 1, 2 q. 95 a. 4. Nostris temporibus ferme ubique invaluit sic dictum regimen *repraesentativum*, cum videlicet ex populo vel eiusdem classibus certi viri eliguntur tamquam eius deputati ac repraesentantes eo fine, ut ad leges ferendas concurrant. Forma huius regiminis repraesentativi scripta denominari solet „constitutio“, licet sensu lato nomine constitutionis quaevis *forma regiminis* intelligatur.

5. *Errores* contra hierarchiam divinam sunt praecipue sequentes:  $\alpha$ ) Ecclesia nullam habet proprie dictam auctoritatem praecipiendi, sed tantum suadendi et hortandi.  $\beta$ ) Non est discrimen essenziale inter clericos et laicos, sed fideles omnes aequales sunt.  $\gamma$ ) Potestas ecclesiastica originaliter in populo aut in principibus residet, et ab his deputatur, nec independentem ab illis exerceri potest.  $\delta$ ) Presbyteri et episcopi pares sunt.  $\epsilon$ ) R. Pontifex non habet verum primatum iurisdictionis.<sup>1)</sup>

## II.

### Sacrae potestatis existentia et proprietates.

294 Potestatem *ministerii* et *magisterii* hic supponimus. In Dogmatica speciali enim ex professo demonstratur institutio sacramenti Ordinis, vi cuius sacerdotes corpus Christi reale conficiunt et generatim sacramenta ac cetera media salutis administrant. Haec autem constituunt potestatem ordinis seu ministerii. Magisterium vero Apostolis eorumque successoribus collatum fuisse, in tractatu de traditione demonstravimus. Quapropter hoc loco unice de potestate *imperii* seu *regiminis* agemus, ac  $\alpha$ ) eius existentiam,  $\beta$ ) eius proprietates breviter probabimus.

**Thesis 78.** *Christus Ecclesiae contulit verum imperium cum potestate*  $\alpha$ ) *legifera*,  $\beta$ ) *iudiciaria* et  $\gamma$ ) *coactiva*, *poenis non solum spiritualibus sed*  $\delta$ ) *etiam temporalibus iniungendis*.

Thesis probatur primo argumentis generalibus. Christus enim ex demonstratis **a.** Ecclesiam instituit tamquam veram perfectamque societatem humanam (271). At talis societas sine enumeratis potestatibus consistere nequit. — **b.** Ecclesia continuare debet missionem Christi: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Ioan. 20, 21). Haec missio autem, ut per se patet, absque praedictis potestatibus efficaciter adimpleri non potest. — **c.** Et revera, sicut Christus est rex a Patre constitutus super Sion montem sanc-

---

<sup>1)</sup> Vide hos aliosque consimiles errores eorumque auctores et defensores accurate propositos in adnotationibus in 1. schema const. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 599—619).

tum, i. e. super Ecclesiam (Ps. 2, 6; cf. Ioan. 18, 37): ita etiam episcopi, positi sunt a Spiritu sancto, *regere Ecclesiam Dei* (Act. 20, 28). Haec potestas regiminis expresse etiam demonstratur in tractatu de primatu R. Pontificis (370 sq, 395 sq). — Iam accedamus ad singulas thesis partes.

**A. Ecclesia gaudet potestate legifera.**

Prob. 1. ex verbis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo* (Matth. 18, 18; cf. 16, 19). At vox «*alligare*» non solum etymologice correspondet voci «*lex*», sed in usu etiam biblico passim hoc sensu sumitur (cf. Matth. 5, 17—19; 23, 4; Rom. 7, 2).

2. Apostoli hanc potestatem verbis et factis sibi vindicant. In concilio Hierosolymitano enim praecipunt omnibus fidelibus, ut «*se abstineant ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato*» (Act. 15, 29). Paulus statuit, ne bigami ordinentur (I. Tim. 3, 2. 12); mulieres iubet tacere, et velato capite orare in Ecclesia (I. Cor. 14, 34; 11, 5 sq); laudat Corinthios, quod: *praecepta mea tenetis* (ib. v. 2).

3. Ecclesia potestate legifera a Christo per Apostolos tradita semper usa est; ut ex decretis R. Pontificum, ex actis et canonibus conciliorum tam generalium quam particularium constat.

**B. Ecclesia gaudet potestate iudiciaria.**

295

1. Sequitur tamquam corollarium ex priore puncto; siquidem potestas iudiciaria est necessaria sequela et veluti complementum potestatis legislativae. Leges enim ab hominibus ex ignorantia, praeiudiciis vel passionibus passim ad proprium sensum detorquentur. Necessaria ergo est auctoritas, quae authentice declaret, quis sit verus sensus legum, et decernat, utrum certa actio legi conformis sit, necne. In hoc autem consistit potestas iudiciaria. Quare Ecclesia, non minus quam aliae societates perfectae, potestate iudiciaria instructa esse debet.

2. Idem docet expresse s. Scriptura. Christus dicit (Matth. 18, 15 sqq): *Si peccaverit in te frater tuus . . . dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Ad Ecclesiam ergo spectat, de peccatore

sibi denunciato iudicare. Praeterea Apostoli reapse hac potestate usi sunt. Sic Petrus iudicavit de Anania et Saphira (Act. 5), Paulus de incestuoso Corinthio (I Cor. 5). Et dum (ib. v. 12) subiungit: *quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare*, manifeste supponit, se utique iudicare posse de iis, qui intus sunt. — Praxis perpetua Ecclesiae constat ex tota historia ecclesiastica.

296 C. *Ecclesia gaudet potestate coactiva.*

1. Probatur ex allatis locis Scripturae. Christus enim Apostolis dedit illimitatam potestatem ligandi: *quaecunque alligaveritis, quodcunque ligaveris* (Matth. 16 et 18). Atqui potestas illimitata ligandi, rectoribus alicuius societatis collata, manifesto se extendit ad omnia vincula socialia. Ad vincula socialia autem non solum pertinent leges, quibus aliquid faciendum praescribitur, sed etiam leges, quibus poenae iniunguntur. Ergo illimitatis verbis Christi per se etiam potestas vindicativa includitur; et si quis asserit, eam excludi, assertionem positive probare debet. Hoc autem adversarii nunquam probarunt.

2. Immo etiam *expresse* constat, Apostolos hanc potestatem sibi vindicasse. Sic (I Cor. 4, 21): *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* Et (II Cor. 10, 6): *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*; potestas ulciscendi autem est potestas puniendi. Item (II Cor. 13, 10): *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem* (cf. I Cor. 5, 5). Hanc porro potestatem in episcopos transiisse, merito colligitur ex monito Apostoli ad Timotheum (ep. I c. 5, 19), ne accusationem adversus presbyterum recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus. Accusatio enim respectum dicit ad *condemnationem et poenam*.<sup>1)</sup>

3. Ratio idem probat. Nam Ecclesia pollet potestate legislativa, ergo et coactiva. Inefficaces enim sunt leges, si nulla adsit sanctio, qua poenae in contumaces irrogentur. Praeterea Ecclesia est societas ex hominibus constans, nulla autem societas humana sine poenis diutius salva consistere potest.

<sup>1)</sup> Cf. Palmieri l. c. § 19, III.

**D. Potestas coactiva etiam ad poenas temporales extenditur.** 297

Assertio revera in priore puncto iam continetur; omnia quippe argumenta ibi allata potestatem coactivam Ecclesiae generatim, non tantum spiritualem demonstrant. Nihilominus propter speciales difficultates eam ex professo adhuc probamus. Ecclesia enim, inquit adversarii, finem habet *spiritualem*, *voluntarie* ab hominibus assequendum; praeterea Ecclesia *mediis destituitur* ad vim inferendam. Ergo Ecclesia nec potest nec debet poenas temporales infligere. Haec sententia autem catholica non est, ut patet:

1. Ex propositionibus damnatis. *Ioannes XXII.* enim damnavit propositionem *Marsilii*.<sup>1)</sup> «Quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator.» Idem constat ex censura propositionis 5 synodi *Pistoriensis*.<sup>2)</sup> «Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasionem; quatenus intendat, Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasionem, sed etiam iubendi per leges, *ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi*; . . . inducens in systema alias damnatum ut *haereticum*» (cf. prop. 24 Syllabi).<sup>3)</sup>

2. Ex praxi Ecclesiae, quae inde ab antiquissimis temporibus non solum poenas spirituales in volentes, sed etiam temporales in nolentes infligit. Huiusmodi poenae fuerunt: excommunicatio, degradatio, spoliatio dignitatum et bonorum ecclesiasticorum, immo virga, carceres, exilium etc. Sic iam saec. 4. carceres ecclesiasticos fuisse, qui decanata (*δεκανικά*) vocabantur, ostendit *Kraus*.<sup>4)</sup> *Gregorius M.* episcopo Ianuario scribit,<sup>5)</sup> ut contumaces, si servi sunt «verberibus cruciatibusque», si vero liberi «inclusionem digna di-

<sup>1)</sup> Denzinger 499.

<sup>2)</sup> Ibid. 1505; cf. 1724.

<sup>3)</sup> Ibid. 1724.

<sup>4)</sup> Real-Encyclopädie d. christl. Altertümer, Bd. 1 S. 275 ff (Freiburg 1880).

<sup>5)</sup> Ep. l. 9, 65 al. 67.

strictaque» in poenitentiam redigat. Ipsum conc. *Tridentinum* contra duellantes eorumque patrilios, contra homicidas, contra edentes libros prohibitos decernit excommunicationem, proscriptionem omnium bonorum, perpetuam infamiam, multam pecuniariam aliasque poenas.<sup>1)</sup>

3. Ex ratione theologica, qua simul etiam adversariorum argumenta solvuntur. a. Ecclesia enim utique societas est religiosa finemque habet spirituales. At vero simul est societas vere *humana*. Homines autem poenis mere spiritualibus efficaciter in officio contineri nequeunt. Ergo Christum Ecclesiae potestatem tam utilem, immo ad finem ipsius efficaciter promovendum plane necessariam denegasse, nullo modo supponi potest. — b. Verum quidem est, homines non vi sed voluntarie ad finem et salutem perducendos esse, iuxta illud: si *vis* ad vitam ingredi, serva mandata. Hoc autem non excludit, quominus ii, qui semel sponte in Ecclesiam ingressi sunt, etiam vi adigi possint, ne eandem suis criminibus perturbent. Id profecto Ecclesia sibi ipsi, id est suae defensionis et incolumitati debet. — c. Falsum denique est, media coactiva ad exequendas poenas ei praesto non esse. In primis enim ea praesto sunt *indirecte*, quatenus Ecclesia adiuvari debet a principibus christianis; ut *Bonifacius VIII.* in celebri bulla «Unam sanctam» docet: «Uterque gladius est in potestate Ecclesiae, spiritualis scil. gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati.»<sup>2)</sup> At Ecclesiae neque media violenta *directa* deerunt, dummodo in connaturali evolutione violente non impediatur. Pietas fidelium enim tam abunde ei suppeditat bona temporalia, ut Ecclesia etiam seipsam facile defendere possit, si tandem aliquando principes eam vexare et spoliare desinerent.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Sess. IV decr. de ed. ss. libr.; Sess. XXI cap. 6; Sess. XXII cap. 11 etc.

<sup>2)</sup> Denzinger 469.

<sup>3)</sup> Palmieri § 19, ubi de potestate Ecclesiae accurate disserit et difficultates praesertim ex Patribus solvit; Groot, Summa apol. q. 11 a. 4; de iure gladii, vide Tarquini, Iur. eccl. instit. pg. 42.

**Corollarium.** Cum potestatibus expositis Ecclesiae con- 298  
nectitur etiam potestas *possidendi et administrandi bona temporalia*. Quomodo enim societas ex hominibus anima et corpore constantibus existere, se explicare ac iura potestatemque exercere posset absque bonis temporalibus? Quare merito conc. *Constantiense* damnavit Waldenses et Wiclifitas docentes, «Christum prohibuisse, ne Ecclesia aut viri ecclesiastici bona temporalia possiderent». *Pius IX.* proscripsit propositionem 26 «Syllabi»: «Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi» (cf. prop. 27).<sup>1)</sup>

**Thesis 79.** *Sacra potestas his praecipue gaudet prae-* 299  
*rogativis: α) Est iuris divini non humani, β) est independens, γ) suprema, δ) universalis, ε) necessaria, ac ζ) perpetua.* — De singulis breviter.

1. *Est iuris divini non humani, a.* Omnis quippe potestas, quae *immediate* a Deo derivatur, est iuris divini. Sed potestas sacra, tam ordinis quam iurisdictionis, supernaturalis est, atque a Deo quoad substantiam, quoad formam ac subiectum descendit. Ergo. — **b.** Confirmatur ex discrimine potestatis civilis et sacrae. Potestas civilis enim habet quidem Deum auctorem, iuxta illud: *non est enim potestas, nisi a Deo* (Rom. 13, 1); sed nonnisi *mediate et indirecte*. Deus quippe hominem socialem creavit, principium autem formale societatis est potestas seu auctoritas. Quatenus igitur Deus est auctor naturae humanae, est etiam auctor potestatis civilis. Attamen forma et subiectum huius potestatis a Deo non determinatur. Potestatem ecclesiasticam vero Christus ipse per se instituit ac quoad omnia determinavit (vide dicta 294 sqq et dicenda 302).

2. *Est independens*, i. e. in suo ordine soli Deo obnoxia ac nulli potestati humanae subiecta. Constat: **a.** ex documentis superius (294 sqq) allatis. Profecto, potestas clavium regni caelorum, potestas illimitata ligandi atque solvendi, potestas, cuius sententia immediate in caelo rati habetur: talis, inquam, potestas ab hominibus dependere nequit. — **b.** Revera neque Christus neque Apostoli in exerci-

<sup>1)</sup> Denzinger 1726 sq.

tio huius potestatis principum permissionem aut decreta attenderunt, sed ea neglexerunt, iuxta illud: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. 5, 29; cf. 4, 19). — c. Hanc independentiam proclamant Patres. Sic *Athanasius*<sup>1)</sup> scribit: «Si illud episcoporum decretum est, quid illud attinet ad imperatorem? Sin imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus, qui vocantur episcopi? Quandonam a saeculo res huiusmodi audita est? Quandonam Ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac synodi coactae sunt, multa prodiere Ecclesiae decreta, sed nunquam Patres res huiusmodi imperatori suasere, nunquam imperator ecclesiastica curiose perquisivit.» *Hosius Cordub.*<sup>2)</sup> Constantium imperatorem ita alloquitur: «Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas; tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit.» *Ambrosius* ait:<sup>3)</sup> «Tributum caesaris est, non negatur; Ecclesia Dei est, caesari utique non debet addici, quia ius caesaris esse non potest Dei templum . . . Imperator intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.» — d. Hanc independentiam Ecclesia nullo non tempore verbis et factis sibi vindicavit; Pontifices et episcopi pluri exilium, carceres, spoliationem bonorum pro libertate Ecclesiae perpassi sunt ipsumque sanguinem fundere non dubitarunt.

**3. Est suprema.** Scilicet potestas sacra non solum a nulla alia tamquam maiore dependet, ut probavimus; sed omnes ab ea dependent, ipsis summis principibus non exceptis. **a.** Ita definitur in celebri Bulla „*Unam Sanctam*“ a *Bonifacio VIII.* edita: «Porro subesse Romano Pontifici *omni humanae* creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.»<sup>4)</sup> — **b.** Certe Christus neminem exemit ab Apostolorum magi-

<sup>1)</sup> Histor. Arian. n. 52 (Migne 25, 755).

<sup>2)</sup> Ibid. n. 44 (M. 25, 746).

<sup>3)</sup> Ep. 21 contr. Auxent. n. 35.

<sup>4)</sup> Denzinger 469. Haec necessitas pro pagano est mediata, quatenus in Ecclesiam ingredi et sic R. Pontifici subiectus esse tenetur. Cf. de hac Bulla Mazzella n. 574.

sterio vel ministerio vel regimine, sed omnes Ecclesiae pas-  
cendos subiecit. Sicut nemo eximitur a potestate Christi, ita  
a potestate Ecclesiae, cui continuatio missionis Christi con-  
credita est, eximitur nemo. — c. Hinc *Gregorius Naz.*<sup>1)</sup> au-  
dacter alloquitur principes: «Vos quoque imperio meo et  
throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque ge-  
rimus, addo etiam praestantius et perfectius.»

4. *Est universalis*, ita ut potestas sacra ad omnia se- 300  
met extendat, quae spectant ad salutis ordinem. Ita tenen-  
dum est contra *Hugonem Groot, Voss, Böhmer* aliosque  
protestantes docentes, potestatem fori *interni*, i. e. admini-  
strandī sacramenta, praedicandi etc. pertinere quidem ad  
Ecclesiam; at potestatem fori *externi*, i. e. ferendi leges ac  
dirigendi cultum publicum pertinere ad principes.<sup>2)</sup> Hic  
error refutatur iis omnibus, quibus triplicem potestatem  
Ecclesiae, *legiferam, iudiciariam et coactivam* demonstravi-  
mus (294 sqq); cum istae potestates suapte natura prima-  
rio et per se forum *externum* respiciant, ac nonnisi secunda-  
rio et indirecte ad internum pertineant.

5. *Est necessaria*. Nemo enim sine claviculario caeli in  
caelum ingreditur; nemo solvitur a suis vinculis nisi ab illo,  
qui habet potestatem solvendi; nemo pertinet ad corpus  
Christi, qui non inseritur et inaedificatur corpori Christi;  
neque ad gregem Christi pertinet ille, qui a pastoribus ab  
ipso Christo constitutis pasci noluerit, etc.

6. *Denique est perpetua*. Nam potestas docendi et  
sanctificandi, potestas regni caelestis, potestas pascendi,  
ligandi atque solvendi, regendi, iudicandi et puniendi: om-  
nes istae, inquam, potestates certe non sunt extraordinariae,  
ad fundandam tantum Ecclesiam datae, sed tamdiu durare  
debent, donec obtentus fuerit finis ipsius Ecclesiae, qui  
durabit usque ad consummationem saeculi.

**Obiectiones.** a. Ecclesia est pars reipublicae, iuxta cele-  
bre dictum s. Optati:<sup>3)</sup> «Non est respublica in Ecclesia, sed  
Ecclesia in republica est.» Atqui pars est inferior toto ab eo-

<sup>1)</sup> Serm. 17 n. 8.

<sup>2)</sup> Vide hunc errorem late expositum in adnotat. in 1. schem.  
conc. Vatic. const. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 602).

<sup>3)</sup> De schism. Donat. l. 3 c. 3.

que dependet. — **b.** Et revera impossibile est, ut cives unius eiusdemque territorii a duabus supremis potestatibus dependeant. Cum ergo Ecclesia proprium territorium non habeat, consequenter neque supremam et independentem potestatem habere potest. — **c.** Adde, quod *principi* in omnia suae ditionis collegia ius inspectionis generalis competit, ut videat, ne quid in reipublicae praeiudicium agatur. Proinde etiam in communitates ecclesiasticas sui territorii princeps talem inspectionem exercere debet; eo vel magis, cum plus saepe una seditiosa concio nocuit reipublicae, quam alii hostes externi. — **d.** Ipsum denique ius *maiestatis seu summi imperantis* aliter consistere nequit, nisi etiam Ecclesia eidem subdatur. — **e.** Hinc sapientissimi quique et piissimi imperatores se passim interposuerunt rebus ecclesiasticis.<sup>1)</sup>

Resp. ad **a.** *Nego maiorem.* Proprie loquendo enim Ecclesia neque *materialiter* neque *formaliter* est in statu, sed viceversa. Non materialiter, quia Ecclesia totum mundum omnesque status in suo sinu complectitur; non formaliter, quia habet finem supremum, cui finis reipublicae subordinatur. Ad summum concedi potest, Ecclesiam esse in statu, sicut anima est in corpore; ex quo tamen non inferioritas sed superioritas Ecclesiae prae statu sequitur. Et si Ecclesia indiget protectione reipublicae, respublica ad suam prosperitatem multo magis indiget Ecclesia. Certe Ecclesia consistere potest, dummodo a potestate politica non perturbetur; res publica vero necessario indiget religione, ne omnia susdeque vertantur. — Quod vero Optati dictum attinet, illud non ita intelligendum est, ac si Ecclesia *generatim* mera pars esset reipublicae eaque inferior; sed s. Pater disputans cum Donatistis in concreto et ad hominem eam libertatem pro Ecclesia catholica postulat, quae ei secundum leges imperii Romani, in cuius territorio erat, debebatur.

Ad **b.** *Dist.* Impossibile est, ut cives eiusdem territorii pendeant a duabus supremis potestatibus eiusdem ordinis, *Conc.*; a potestatibus diversi ordinis, nimirum spi-

<sup>1)</sup> Ita fere Böhmer (Introd. in ius publ. l. 2. c. 3), aliique regalistae passim.

ritualis et temporalis, *Neg.* Ceterum hoc principium etiam transmitti, immo contra ipsos adversarios retorqueri potest. Suprema quippe potestas ecclesiastica in R. Pontifice residet. Si ergo haec potestas in territorio principis civilis exerceri non potest, profecto non sequitur, Papam spoliandum esse suprema potestate spirituali, quam ipse Christus ei contulit; sed sequitur, ei restituendum esse dominium temporale, quod ad exercitium supremae potestatis spiritualis non quidem simpliciter, utique vero secundum quid necessarium est, ut videlicet modo conveniente et quasi connaturali exerceri valeat.

Ad c. d. et e. Nego, quod princeps ius inspectionis in Ecclesiam habeat, quippe quae ex probatis totam suam potestatem a Deo habeat eique soli rationem reddere teneatur. Potestatis ecclesiasticae abusus, qui oggeruntur, longe exaggerati sunt; praeterea sacerdotes inferiores, si quando excedunt, ab episcopis corriguntur, in omni etiam casu patet recursus ad Sedem apostolicam. Quantacunque porro sit potestas et maiestas summi imperantis, semper inferior est maiestate et iure divino severe prohibente, ne princeps civilis rebus ecclesiasticis se immisceat. Neque contra ius divinum valet ulla praescriptio aut contraria consuetudo ex parte imperatorum, qui utique haud raro auctoritatem sibi arrogarunt, quam non habebant. Ceterum Ecclesia huiusmodi usurpationibus semper, quantum potuit, restitit.

### III.

#### De sacrae potestatis subiecto.

Sicut in explicanda natura s. potestatis, ita etiam circa 301 *subiectum* quam maxime dissentiunt Catholici ac Reformatores. Hi enim Ecclesiam ut societatem *aequalium* ac *democraticam* concipiunt, in qua omnis potestas radicaliter atque immediate penes multitudinem est et ab hac certis personis delegatur iterumque auferri potest. Tali modo *Marsilius Patavinus*, *Lutherani*, *Calvinistae*, *Richeriani*, *Febroniani*, synodus *Pistoriensis*, ac *Regalistae* et *Neoprotestantes* nostrae aetatis constitutionem Ecclesiae explicabant; licet

non omnes eodem modo.<sup>1)</sup> Ex doctrina catholica autem Ecclesia nec societas aequalium est; nec tota plebs fidelium (λαός) subiectum est s. potestatis, sed certus ordo, qui a Domino ad hoc assumptus atque ideo *clerus* (κλήρος, cf. Num. 8, 13. 14) appellatus fuit. Ex ipso igitur *iure divino* essenziale discrimen existit inter clericos et laicos. Neque in clero omnes aequales sunt, sed ex divina ordinatione tres gradus hierarchici: *episcopi, presbyteri et diaconi sub uno capite visibili R. Pontifice*, distinguuntur. Unde constitutio Ecclesiae non democratica aut aristocratica, sed *monarchica* dici debet. — Haec est summa doctrinae catholicae, quam per partes probabimus.

**Thesis 80.** *Vi institutionis divinae Ecclesia non est societas aequalium sed inaequalium; neque subiectum immediatum potestatis sacrae est plebs fidelium, sed clerus; unde essenziale discrimen est inter clericos et laicos.*

Thesis est de fide, praesertim ex conc. *Tridentino*<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Variae opiniones de subiecto s. potestatis traduntur in adnotationibus commiss. Theolog. ad 1. schem. const. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 606 sq).

<sup>2)</sup> Sess. XXIII cap. 4: «Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sancta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu s. regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse. . . . Docet insuper sancta Synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum nec populi nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus consensum sive vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendant, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse.» Iterum (Sess. VII de sacram. in gen. can. 10): «Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: a. s.» Denique inter propositiones synodi Pistoriensis damnatas a Pio VI. (Const. «Auctorem fidei») secunda ita sonat: «Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Eccle-

quoad omnes partes, quae ita cohaerent, ut per modum unius probari queant. — Probo:

1. In vetere foedere Deus ipse tribum Levi et familiam Aaron in sacrum ministerium *immediate* elegit et gravissimis poenis omnem usurpationem s. potestatis repressit (cf. Num. 3; 8, 13; Deut. 18, 2; I Reg. 13, 8 sqq; II Par. 26, 16 sqq). Vetus testamentum autem typus est novi generatim, et speciatim quoad theocratiam et sacerdotium; passim enim a prophetis pastores et sacerdotes oeconomiae messianae opponuntur antiquis pastoribus et sacerdotibus (Ier. 3, 15; 23, 1—5; Is. 66, 21; Mal. 1, 6 sqq). Merito ergo praesumitur, in Ecclesia Christi futuram esse hierarchiam distinctam a plebe fidelium. Haec comparatio hierarchiae ecclesiasticae cum hierarchia levitica frequenter occurrit apud Patres, qui episcopum aequiparant cum summo sacerdote, presbyteros et diaconos cum sacerdotibus et levitis.<sup>1)</sup>

2. Christus revera talem hierarchiam instituit. Ipse enim elegit et segregavit Apostolos ex reliqua turba discipulorum; eos misit, sicut ipse missus fuerat a Patre eosque instruxit munere docendi, administrandi sacramenta, pascendi fideles. Quemadmodum ergo rex, qui in aliqua civitate iudicem constituit, huic quidem potestatem confert, aliis vero indirecte officium iniungit eidem obediendi: ita profecto missio Apostolorum intelligi debet. Quid e. g. magis ridiculum, quam haec expositio ultimorum versuum Matthaei: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Ite ergo et tamquam ministri communitatis fidelium et post receptam ab eis missionem docete, baptizate, facite eos servare omnia, nisi forte fideles a munere vos deposuerint. Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.

3. Ex doctrina et praxi Apostolorum. Paulus enim lo-

---

siae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri, pro salute animarum: sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: haeretica.» Denzinger 960, 853, 1502.

<sup>1)</sup> Cf. Clemens Rom., Ep. ad Cor. n. 4 sq; Const. apost. l. 8 c. 46; Hieron., Ep. 46 n. 2; Leo M., Serm. 59 (al. 57) c. 7.

cis saepe citatis ministerium auctoritatemque ecclesiasticam Deo adscribit (Act. 20, 28; I Cor. 12, 28; Eph. 4, 11), distinctionem membrorum ac varietatem ministeriorum in corpore Christi mystico in Deum refundit (I Cor. 12, 12), suamque auctoritatem expresse a Deo repetit (296). Hinc Apostoli appellantur ministri ac legati Christi, non ministri et delegati populi (ib. 4, 1; 7, 10; II Cor. 2, 10; 5, 18); in nomine et persona Christi docent, praecipunt, agunt; citra populi delegationem Ecclesiae ministros constituunt, suisque successoribus idem faciendum iniungunt (Act. 14, 22; Tit. 1, 5). Sic Paulus Timotheum et Titum ordinavit, Petrus teste *Tertulliano*<sup>1)</sup> constituit episcopos per universas occidentis ecclesias, Ioannes in Asia.<sup>2)</sup>

4. Accedunt denique testimonia Patrum antiquissimorum, immo apostolicorum: Clementis,<sup>3)</sup> Ignatii,<sup>4)</sup> Polycarpi,<sup>5)</sup> Cypriani,<sup>6)</sup> Irenaei.<sup>7)</sup>

Omnia argumenta simul collata evidenter demonstrant, quod in thesi proposuimus. Videlicet:  $\alpha$ ) Christus ipse Ecclesiam suam instituit ut societatem *inaequalium*, sicut in corpore organico membra inaequalia sunt.  $\beta$ ) Ex voluntate Christi non tota plebs fidelium, sed coetus ministrorum, qui *clerus* nuncupari consuevit, est *subiectum* s. potestatis.  $\gamma$ ) Quare inter clericos et laicos est discrimen essen-

<sup>1)</sup> De praescript. c. 25.

<sup>2)</sup> Cf. Euseb., Hist. eccl. l. 3.

<sup>3)</sup> Ep. ad Cor. 40, 42—44, ubi inter alia scribit: «Apostoli *acceptis mandatis* . . . constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant.»

<sup>4)</sup> Ad Eph. n. 4: «Quemcumque paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum.» Hinc episcopi, presbyteri et diaconi passim ab Ignatio vocantur Dei *praeceptum*, *lex Christi*, *Dei mandatum*.

<sup>5)</sup> Ep. ad Phil. n. 5 docet, «presbyteris et diaconis obtemperandum esse tamquam Deo et Christo»; rursus diaconos dicit «ministros Dei et Christi, non hominum».

<sup>6)</sup> Ep. 27: «Inde (a Petro) per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum hoc itaque *divina lege* fundatum sit» etc.

<sup>7)</sup> Adv. haer. l. 3 c. 3.

tiale; quidquid enim in constitutione Ecclesiae ab ipso Christo derivatur, id profecto Ecclesiae essenziale, non accidentale et adventitium est.

**Thesis 81.** *In ipso clero ex divina ordinatione sunt tres 302 gradus hierarchici: episcopi, presbyteri et diaconi.*

Ita definit conc. *Tridentinum* (Sess. XXIII can. 6):<sup>1)</sup> «Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: anathema sit.» Propositio nostra probatur:

1. Ex s. Scriptura, quae non solum istos tres gradus saepe commemorat, sed eorum etiam divinam institutionem, distinctionem et hierarchicam subordinationem clare indicat. Revera **a. divina institutio** episcoporum expresse pronuntiatur (Act. 20, 28); presbyterorum (Luc. 22, 19; Ioan. 20, 23); diaconorum divina institutio inter alia ex ritu sacramentali impositionis manuum (Act. 6, 5 sq) colligitur.<sup>2)</sup> — **b. Distinctio** istorum ordinum tum ex distincta enumeratione, tum ex diversitate munerum merito infertur. *Episcopi* enim debent Ecclesiam regere, manus imponere seu ordinare, presbyteros iudicare, depositum fidei custodire, ea, quae desunt, corrigere et constituere per civitates presbyteros.<sup>3)</sup> Potestas *presbyterorum* seu *sacerdotum* est consecrare et peccata remittere (Luc. 22, 19; Ioan. 20, 23). *Diaconorum* munus est mensis ministrare, baptizare, praedicare et ministrare episcopis.<sup>4)</sup> — **c. Subordinatio** diaconorum sub episcopis tum ex nominibus (*ἐπίσκοπος, διάκονος*), tum ex muneribus evidens est. Subordinationem *presbyterorum* sub episcopis Christus

<sup>1)</sup> Denzinger 966.

<sup>2)</sup> Nomina «episcopus» et «presbyter» cum adsignificatione muneris publici primo occurrunt in versione Septuaginta, atque inde in religionem christianam transiisse videntur (cf. Ps. 108, 8 coll. Act. 1, 20; Num. 4, 16; 31, 14; II Reg. 11, 16; Ex. 3, 16. 18; Num. 11, 16; Dan. 13, 28. 61; Iud. 10, 7; Luc. 22, 26. Cf. in I Petr. 5, 1 Hundhausen, Das erste Pontifikalschreiben des Apostelfürsten Petrus S. 429 (Mainz 1873). Consule etiam Dogmat. special. n. 622, 641—644, ubi ex professo ostenditur praefatos ordines esse divinae institutionis et vera sacramenta.

<sup>3)</sup> Cf. I Tim. 5, 1. 7. 19. 22; 6, 20; II Tim. 2, 2; 4, 2; Tit. 1, 5.

<sup>4)</sup> Act. 6, 2 sq; 8, 38; Phil. 1, 1 etc.

iam insinuavit electione duodecim Apostolorum ex septuaginta duobus discipulis. Praeterea in s. Scriptura manifeste duo gradus presbyterorum distinguuntur, scilicet eorum, qui tamquam episcopi divinitus positi sunt ad regendam Ecclesiam Dei (Act. 20, 28), et eorum, qui subsunt episcopis et ab his iudicari possunt (I Tim. 5, 19). Atqui tale discrimen, quod statim in primordiis Ecclesiae commemoratur, merito ab ipso institutore repetitur. Profecto, ex ipsa Christi intentione quam plurimi sacerdotes esse debent, qui Eucharistiam omnibus necessariam administrent et fidelibus peccata remittant. Iamvero nec ratio regni bene ordinati nec analogia corporis humani patitur, ut in Ecclesia sint innumeri principes potestate regiminis instructi. Ergo merito supponitur, ex ipsa divina ordinatione praeter episcopos a Spiritu sancto positos esse presbyteros, qui sint simplices sacerdotes.

2. Traditio antiquissima evidenter signa huius hierarchiae exhibet. Namque **a. enumerantur gradus in data subordinatione:** «Necessarium est, . . . ut sine episcopo nihil agatis: sed et presbyteris subditi sitis; . . . cuncti similiter revereantur diaconos.»<sup>1)</sup> — **b. Unus episcopus praeficitur singulis ecclesiis plures habentibus presbyteros.**<sup>2)</sup> — **c. Soli episcopi regunt Ecclesiam eisque subduntur presbyteri et diaconi:** «Non licet, inquit Ignatius M.,<sup>3)</sup> sine episcopo

<sup>1)</sup> S. Ign. M., Ep. ad Trall. n. 2 sq; cf. Dionys. Areop., De hierarch. eccl. c. 5; canon. Ap.

<sup>2)</sup> Sic *Hegesippus* (ap. Euseb., Hist. eccl. l. 4 c. 22) scribit: «Et Corinthiorum quidem ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum, eiusdem loci episcopum, quocum familiariter locutus sum, dum Romam navigarem . . . Romam vero cum venissem, catalogum feci usque ad Anicetum, cuius tum diaconus erat Eleutherius. Post obitum dein Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherius. In singulis autem episcoporum successionibus et per singulas urbes eadem manent, quae per legem et prophetas et a Domino ipso praedicata sunt.» Item *Tertullianus* (De praescr. c. 32): «Edant ergo (haeretici) origines ecclesiarum suarum; evolvant *ordinem episcoporum suorum*, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt» (cf. Iren., Adv. haer. I. 3 c. 3).

<sup>3)</sup> Ign. M., Ep. ad Smyrn. n. 8.

baptizare aut agapen celebrare . . . qui clam episcopo aliquid agit, diabolo praestat obsequium.» Cyprianus ait quidem:<sup>1)</sup> «Presbyteri sunt episcopis sacerdotali honore coniuncti», advertit tamen alibi:<sup>2)</sup> «Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de presbyteris nec Evangelii nec loci sui memores, sed neque futurum Domini iudicium neque nunc *sibi praepositum episcopum* cogitantes, quod nunquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu praepositi sibi vindicent.» — **d.** *Praesertim potestas ordinandi semper solis episcopis fuit asserta*, ut liquet ex canonibus apostolicis, nicaenis, carthag. et ex damnatione Aërii. Ex hac potestate autem praecellentia episcopatus prae simplice presbyteratu est plane evidens. Ordinatio enim, utpote actio sacramentalis, necessario a Christo instituta est. A Christo consequenter est etiam discrimen episcopatus a simplice presbyteratu. Hinc Epiphanius<sup>3)</sup> contra Aërium aequalitatem episcoporum et presbyterorum adstruentem ita argumentatur: «Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet: huius est enim patrum in Ecclesia propagatio. Alter (presbyter), cum patres (presbyteros) non possit, filios Ecclesiae regeneratione lotionis (baptismatis) producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat (μη ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν)?»

**Obiectio 1.** Contra divinam institutionem hierarchiae 303 praecipue opponitur factum *electionis popularis*, quod iam in s. Scriptura (e. g. Act. 1, 15—26; 6, 1—6) et multo frequentius apud Patres commemoratur. Sic s. *Cyprianus* scribit:<sup>4)</sup> «Ipsa maxime (plebs) habet potestatem vel *eligendi* dignos sacerdotes vel indignos recusandi: quod et ipsum videmus de *divina auctoritate* descendere, ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.» — Resp.

<sup>1)</sup> Ep. 61 n. 3.

<sup>2)</sup> Ep. 15 n. 1.

<sup>3)</sup> Adv. haer. l. 3 c. 75 n. 4.

<sup>4)</sup> Ep. 68 al. 67.

Distinguenda est electio sensu proprio i. e. *auctoritativa*, et late dicta i. e. testimonium de *dignitate* eligendi. Hoc, non illud populo competit. Mathiam enim ipse Dominus elegit: *ostende quem elegeris* (v. 24); primos diaconos Apostoli instituerunt: «Considerate ergo, fratres, viros *ex vobis boni testimonii* septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos *constituamus* super hoc opus» (6, 3). Eadem distinctio verbis Cypriani applicanda est; subdit enim: «Sicut in Numeris Dominus Moysi praecepit dicens: apprehende Aaron fratrem tuum et Eleazarum, filium eius, et impone eos in monte coram omni synagoga.» Eleazarus autem certe non fuit electus a populo. Itaque populus non eligit, sed testimonium eligendo reddit; quod nunc quoque in ordinatione presbyteri iuxta *Pontificale Rom.* exercetur: «Quoniam, fratres carissimi, rectori navis et navigio eadem est vel securitatis ratio vel communis timoris, par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit: Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus. . . . Itaque, quid de eorum (ordinandorum) actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis». <sup>1)</sup>

- 304 **Obiectio 2.** Discrimen inter episcopos et presbyteros non est iuris divini, sed postea invaluit. In Scriptura enim nomina «episcopus» et «presbyter» indiscriminatim sumuntur. Sic (Act. 20, 17) narratur, Paulum vocasse presbyteros (πρεσβυτέρους) Ecclesiae eisque dixisse: «Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit *episcopos* (ἐπισκόπους) regere Ecclesiam Dei.» Praeterea (Phil. 1, 1) Paulus salutat *episcopos* qui sunt Philippis. Non est autem probabile, fuisse in *una* civitate multos veros episcopos; ergo nomine episcoporum ibi presbyteri venire debent. Merito ergo concluditur, discrimen inter episcopos et presbyteros postea ab Ecclesia introductum fuisse; prouti Hiero-

<sup>1)</sup> Variam praxim in electione episcoporum decursu saeculorum dilucide exponit Tarquini, Iur. eccl. pub. inst. l. 2 c. 1. Alias difficultates contra divinam hierarchiam vide in mea Dogmatica speciali n. 618. 624, ubi de hac materia pariter sermo instituitur.

nymus aperte fatetur:<sup>1)</sup> «Idem est ergo presbyter, quod episcopus . . . episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in commune debere Ecclesiam regere.» Ita Presbyteriani. — Resp. Nego assumptum. In s. Scriptura enim et multo magis in traditione discrimen inter episcopos et presbyteros quoad *rem* clare continetur (302). Quod vero *nomen* „episcopi“ attinet, concedit Chrysostomus,<sup>2)</sup> illud initio etiam presbyteris commune fuisse; at probabilius negatur. Nec obstat, quod Paulus plures episcopos Mileti et Philipporum commemoret. Fieri enim potuit, ut tunc etiam episcopi vicinarum urbium ibi praesentes essent. Iuxta Petavium<sup>3)</sup> ab initio propter nascentis Ecclesiae necessitatem omnes ab Apostolis simul in presbyteros et episcopos ordinati sunt. Communius tamen id negatur. — Quod s. *Hieronymum* attinet, eius opinio vel saltem modus loquendi de relatione inter episcopos et presbyteros revera omnino singularis fuit; et propterea nonnulli concedunt, eum hac in re errasse. Adverti tamen primo debet, Hieronymum certe admisisse diversam potestatem ordinis in episcopis et presbyteris. Scribit enim in eadem epistola ad Evangelum, quae praecipue obiicitur: «Quid facit, *excepta ordinatione*, episcopus, quod presbyter non faciat?» Secundo Hieronymus similem relationem esse dicit inter episcopos et presbyteros ac inter Moysen et septuaginta viros, vel inter Aaronem et Levitas.<sup>4)</sup> Isti autem ex divina ordinatione erant disparis auctoritatis. Igitur dici fortasse poterit, Hieronymum ad retundendum quorundam episcoporum fastum exaggerationibus hyperbolicis iustoque durioribus usum fuisse; prouti saepius ipsi contigit.

**Thesis 82. Constitutio Ecclesiae α) nec democratica** 305

<sup>1)</sup> In Tit. 1, 5; cf. ep. 85.

<sup>2)</sup> In Phil. 1, 1: «Οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι.»

<sup>3)</sup> Dissert. eccl. l. 1 c. 20.

<sup>4)</sup> In Tit. 1, 5; cf. adv. Ioan. Hierosol. n. 37, ubi scribit: «Nihil interest inter presbyterum et episcopum; eadem dignitas mittentis et missi: hoc satis imperite: in portu, ut dicitur naufragium.» — Cf. Pesch, Praelectiones dogmaticae t. 1, ed. 4 n. 358 sqq (Friburgae 1909).

*nec aristocratica, sed monarchica est;  $\beta$ ) et quidem simpliciter monarchica;  $\gamma$ ) simul vero paterna.*

1. *Monarchica*, inquam. Sane monarchia ab Aristotele definitur: Summum penes unum imperium, sine superioris aut aequalis populi vel alterius principis consortio. Quae definitio certe sensui communi respondet. Ille enim ubique et proprie monarcha dicitur, qui habet  $\alpha$ ) supremam et plenam potestatem, quin eam cum populo vel cum aliis principibus dividere debeat;  $\beta$ ) cui omnia membra societatis singillatim et collective sumpta subiiciuntur. — Atqui R. Pontifex hac plenitudine potestatis in omnia membra Ecclesiae singillatim et collective sumpta divinitus instructus est. Ergo constitutio Ecclesiae est simpliciter monarchica. «Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno.» Ita s. Thomas.<sup>1)</sup> Bene id illustrat Bellarminus similitudinibus biblicis Ecclesiae cum *corpore, regno, ovili, domo, nave, cum castro bene ordinato* etc. In quolibet corpore enim, ita argumentatur,<sup>2)</sup> est unum caput, quod cetera membra veluti regit; in regno est unus rex; in ovili unus pastor; domus habet unum dominum; castris praeest unus dux; navi unus gubernator. His aliisque analogiis satis clare insinuat, Ecclesiam quoque simili modo constitutam esse, unumque caput, unum pastorem, unum ducem, gubernatorem et monarcham habere. Idem merito concludit Bellarminus ex comparatione Ecclesiae tum cum eius *typo*, id est cum *synagoga*, tum cum *prototypo*, id est cum *caelesti Ierusalem*. In utraque enim formam monarchicam, ubi unus praeest, cernere licet. (De hoc postea expresse n. 395.)

2. Est *simpliciter* monarchica. Id negabant  $\alpha$ ) Gallicani affirmantes, Ecclesiam esse monarchiam *temperatam aristocratia*; eo quod Pontificis decreta pro universa Ecclesia a consensu episcoporum, sive in concilio collectorum, sive in orbe dispersorum dependeant. Immo ulterius progredientes statuunt, corpus episcoporum R. Pontifice seorsim spectato superius esse, ac supremum tribunal Ecclesiae, ad quod semper recurri possit. Haec sententia autem falsa, immo *haeretica* est; et revera talis restrictio potestatis pontificiae non

<sup>1)</sup> In l. 4 sent. dist. 20 q. unic. a. 4 sol. 3.

<sup>2)</sup> De Rom. Pontif. l. 1 c. 9.

esset temperamentum monarchiae, sed negatio monarchiae. β) Etiam plures auctores catholici cum *Bellarmino*<sup>1)</sup> constitutionem Ecclesiae dicendam esse existimant monarchiam temperatam. Duplex quippe, inquiunt, est temperamentum: aristocraticum, quia episcopi non sunt meri vicarii R. Pontificis, sed a Spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei; et democraticum, quia monarchia ecclesiastica non est haereditaria, sed accessus ad sacerdotium ac pontificatum omnibus patet. γ) At quamvis hoc verissimum sit, alii tamen melius dicunt, Ecclesiam constituere monarchiam *simplicem*, non temperatam. Nam temperatum idem est ac *diminutum*. Atqui plenitudo potestatis R. Pontificis per episcopatum non imminuitur; quia tota potestas episcopalis eminenter in primatu continetur, nec ab episcoporum consensu decreta R. Pontificis dependent, omnesque episcopi seorsim et simul sumpti eius iurisdictioni subiacent. Ergo monarchia ecclesiastica merito simplex dicitur. Nihilominus Ecclesia non eodem plane sensu monarchica dicitur, sicut monarchiae civiles. Quare addimus:

3. Est simul *paterna*. Profecto potestas ecclesiastica non solum est potestas regiminis, ut potestas civilis; sed simul *magisterii* et *ministerii*, quo vita supernaturalis subditis communicatur. Hinc superiores ecclesiastici non solum *principes* sunt, sed simul *patres*; et primus princeps, R. Pontifex, non dicitur *rex*, sed est et dicitur *Papa* id est *Pater* per eminentiam. Sicut Christus Ecclesiam ex latere suo produxit et corpus mysticum sibi aedificavit: ita etiam Apostoli eorumque successores, qui Christi missionem continuant, fideles non solum regere, sed prius *generare* et corpus Christi usque ad perfectam aetatem aedificare debent (Eph. 4, 13). Quapropter forma regiminis ecclesiastici est omnino singularis, nimirum *monarchica* simul et *paterna*, seu, ut aliqui<sup>2)</sup> dicunt, *christocratica*. — Ex his apparet, quantopere nostris temporibus nonnulli conceptum potestatis ecclesiasticae pervertunt, dum variis modis elementum democraticum in Ecclesiam introducere conantur. Hoc æ-

<sup>1)</sup> L. c. cap. 3.

<sup>2)</sup> Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 25; Phillips, Kirchenrecht I. § 30.

que paradoxum est, ac potestatem patrisfamilias in filios aut domesticos transferre.

## IV.

## De relatione inter potestatem ecclesiasticam et civilem.

306 Ex hucusque dictis corollarii instar sequitur, quatenus relatio inter utramque potestatem, ecclesiasticam et civilem seu inter sacerdotium et imperium, ex divina ordinatione vigere debeat. Hanc relationem pro complemento doctrinae de constitutione Ecclesiae, breviter licet, exhibebimus.

**Thesis 83.** *Relatio inter sacerdotium et imperium: α) ad mutuam independentiam atque β) ad concordiam merito revocatur.*

**A.** *Binæ potestates non solum ab invicem distinctae sunt, sed in suo ordine ab invicem independentes et supremæ.*

1. *Veritas principii enuntiati constat: a.* Ex declaratione Leonis XIII. (Encycl. *Immortale Dei*): «Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima; habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur.»<sup>1)</sup> — **b.** Idem satis clare insinuat divina illa sententia: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.* (Matth. 22, 21). — **c.** Evidenter quoque consequitur ex fine, propter quem utraque potestas instituta est. Finis potestatis ecclesiasticae enim est felicitas aeterna, finis vero potestatis civilis felicitas temporalis. Isti duo fines autem ad diversum ordinem spectant. — **d.** Speciatim potestas ecclesiastica independens et suprema est, ut iam probavimus (299, 2); verum etiam potestas civilis ab Ecclesia in rebus *temporalibus qua talibus* independens est. Nam, ut bene argumentatur Card. *Tarquini*,<sup>2)</sup> «quidquid fit in rebus temporalibus sub respectu

<sup>1)</sup> Denzinger 1866.

<sup>2)</sup> Iur. eccl. pub. inst. pg. 35; cf. Coll. Lacens. pg. 636. 575. 572.

finis temporalis, est praeter finem Ecclesiae. Atqui generalis regula est, societates nihil posse in iis, quae sint extra finem proprium». Ergo. Idem expresse declarat conc. *Lateranense* IV. (cap. 42): «Sicut volumus, ut iura ecclesiasticorum non usurpent laici, ita velle debemus, nec clerici iura sibi vindicent laicorum» etc.

2. *Sensus et extensio* principii enuntiati ex iisdem rationibus eruitur. Termini nimirum, intra quos duae potestates ab invicem independentes sunt, «cuiusque *natura causaque proxima*» definiuntur. Quare a. omnis potestas fori interni et circa res supernaturales utpote natura sua spiritualis, unice ad Ecclesiam pertinet. — b. Res etiam temporales cum spiritualibus *immediate* et *natura sua* connexae primo et principaliter subsunt potestati ecclesiasticae; e. g. leges circa educationem publicam et causas matrimoniales, circa receptionem Iudaeorum ac mutationem religionis aliaeque multae, quae nomine «quaestionum ecclesiasticopoliticarum» veniunt. Ad Ecclesiam autem pertinet determinare, utrum quaestio aliqua sit mere politica, an et quo sensu etiam religiosa. — c. Immo etiam res mere temporales aliquo modo intra ambitum potestatis ecclesiasticae cadunt, at non directe sed *indirecte*, quatenus de ratione peccati agitur. Ad Ecclesiam enim spectat determinare, utrum actio quaecumque, e. g. contractus aliquis, licitus sit vel illicitus. — d. At in rebus temporalibus et *sub respectu temporalis finis* Ecclesia nihil potest in societate civili. — Ex his principiis determinari etiam debet quaestio, utrum et quatenus fideles Pontifici et episcopis in rebus *politicis* obedientiam praestare teneantur.<sup>1)</sup>

**B. Sacerdotium et imperium concordiam habere mutuumque auxilium sibi praestare debent.** 307

Scilicet independentia inter imperium et sacerdotium, in priore puncto probata, non ita concipi debet, quasi Ecclesia a civitate penitus separanda sit; neque ita, quasi una altera haud indigeat; neque ita, quasi civitas in sua legislatione Ecclesiam et vicissim Ecclesia in suis condendis legibus civitatem non debeat respicere; uno verbo, concipi non

<sup>1)</sup> De potestatis ecclesiasticae ac civilis relatione etiam in tractatu de R. Pontifice sermo erit (432).

debet «ut Ecclesia libera in statu libero». Sed independentia utriusque potestatis in suo genere coniuncta sit oportet cum mutua *concordia* et *adiutorio*. Id patet:

a. Generatim ex sola comparatione finium. Felicitas temporalis enim, in qua finis societatis civilis consistit, ad consequendam salutem animarum, quae est finis Ecclesiae, ordinatur. Vicissim salus animarum intime nectitur cum prosperitate temporali. Quapropter etiam potestates, quae ad procurandum utrumque finem constitutae sunt, amico foedere se adiuuvare debent. — b. Speciatim Ecclesia admonet fideles, ut principibus obtemperent, leges observent, vectigalia praestent aliisque officiis socialibus religiose satisfaciant; praeterea Ecclesia sacrificiis, benedictionibus, precibus aliisque mediis supernaturalibus salutem publicam iuvat, memorque moniti apostolici (I Tim. 2, 1 sq) offert *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt*. — c. Ex altera parte princeps civilis Ecclesiam eiusque iura tueri ac procurare debet, ut *quietam et tranquillam vitam agamus* (ib. v. 2). Verissime igitur scribit s. *Petrus Dam.*:<sup>1)</sup> «Utraque dignitas alternae invicem utilitatis est indiga, dum et sacerdotium regni tuitione protegitur et regnum sacerdotalis officii sanctitate fulcitur.» — d. Hinc damnatur prop. 55 Syllabi: «Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.»<sup>2)</sup> Et *Leo XIII.* in Encyclicis „*Immortale Dei*“, „*Libertas, praestantissimum*“ et „*Arcanum divinae sapientiae*“ ex professo refellit «perniciosam sententiam» de rationibus Ecclesiae a republica disparandae.<sup>3)</sup> — Haec principia generalia sufficiant; quoad iura singularia utriusque potestatis lectorem ad Ius canonicum remittimus.<sup>4)</sup>

308 **Thesis 84.** *Ecclesia est societas perfecta.*

1. Haec propositio, quam ab initio huius tractationis,

<sup>1)</sup> Epp. I. 3 ep. 6.

<sup>2)</sup> Denzinger 1755.

<sup>3)</sup> Lege 1. schema conc. Vatic. c. 13 et adnotationes Commissionis in hoc schema (Coll. Lacens. pg. 572 sq et 622 sqq), ubi concordia inter sacerdotium et imperium declaratur et probatur.

<sup>4)</sup> Cf. Aichner § 31 sq.

agendo de *institutione* Ecclesiae breviter innuimus (271), iam veluti synthesis colligitur totius doctrinae de *constitutione* Ecclesiae. Certe societas perfecta, immo perfectissima est, quae  $\alpha$ ) finem non solum independentem, sed supremum habet; quae  $\rho$ ) mediis instructa est nedum sufficientibus, sed abundantibus virtuteque divina et infallibili plenis; quae  $\gamma$ ) speciatim potestate illimitata legislativa, iudicialia et coercitiva gaudet. Atqui talis societas est Ecclesia. Ergo.

2. Confirmatur ex funestis sequelis. Spreta enim Ecclesiae auctoritate conculcari etiam coeperunt iura humana; idque dupliciter. Nonnulli enim omnem *dominationem contemnunt* (II Petr. 2, 10) omnesque homines ita aequales esse affirmant, ut tum privata possessionum proprietas, tum alia quaevis unius prae reliquis praerogativa iniusta censi et abrogari debeat. Alii «statum omnipotentem» introduxerunt, qui ita sit fons omnium iurium, ut tum ius proprietatis privatae, tum iura familiae omniumque communitatum a statu politico omnino dependeant.<sup>1)</sup>

3. Accedunt expressae declarationes. In Syllabo damnatur prop. 19: «Ecclesia non est vera perfectaue societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino fundatore suo collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat» (cf. prop. 39).<sup>2)</sup> Item docet *Leo XIII.* (Encycl. «Immortale Dei»): «Ecclesia distinguitur et differt a societate civili, et quod plurimum est, *societas est genere et iure perfecta*, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se ac per se ipsa possideat.»<sup>3)</sup>

**Corollarium.** Ex hucusque dictis apparet, quam falsa, immo absurda simul ac perniciosa sit doctrina *Modernismi* circa naturam Ecclesiae, praesertim circa regimen ecclesiasticum relationemque inter statum et Ecclesiam. Docet enim

---

<sup>1)</sup> Cf. Adnotat. in 1. schem. Const. de Eccl. (Coll. Lac. pg. 574).

<sup>2)</sup> Denzinger 1719.

<sup>3)</sup> Cf. Grabmann l. c. S. 77 ff.

Modernismus:<sup>1)</sup> a. Ecclesia nil aliud est, quam societas ex conscientiarum singularium collectione exorta.<sup>2)</sup> — b. Notio auctoritatis ecclesiasticae, quasi *immediate* a Deo sit et *autocratica*, est omnino obsoleta.<sup>3)</sup> — c. Immo auctoritas Ecclesiae, utpote ex conscientia populari orta, eidem subest, ac democraticis uti formis debet.<sup>4)</sup> — d. Status ab Ecclesia dissociandus est, sicut catholicus a cive.<sup>5)</sup> — e. Immo

<sup>1)</sup> Encycl. *Pascendi*, Denzinger 2091—2094; Decret. *Lamentabili* error 52—57, Denzinger 2052—57.

<sup>2)</sup> «Quid igitur Ecclesia? partus est conscientiae collectivae seu consociationis conscientiarum singularium; quae vi permanentiae vitalis a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis a Christo.»

<sup>3)</sup> «Porro societas quaequam moderatrice auctoritate indiget, cuius sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quae in religioso coetu doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina: disciplinaria, dogmatica, cultualis. — Iam auctoritatis huius natura ex origine colligenda est; ex natura vero iura atque officia repetenda. Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error, quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimirum immediate a Deo; quare autocratica merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere.»

<sup>4)</sup> «Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex *conscientia religiosa* oritur, atque ideo eidem subest; quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, cum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica *populare regimen* invexit. Sed conscientia in homine, aequae atque vitae, una est. Nisi ergo in hominum conscientis intestinum velit excitare bellum ac fovere, *auctoritati Ecclesiae* officium inest *democraticis utendi* formis; eo vel magis quod, ni faxit, exitium imminet. Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autumet. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta.»

<sup>5)</sup> «Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subiici; licuit de mixtis quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe Ecclesia a Deo sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis, consiliis praeceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus,

Ecclesia Statui subest non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, quatenus ad extra manifestantur, e. g. in administratione sacramentorum.<sup>1)</sup> — f. Denique potestas *magisterii* utique postulat, ut Ecclesia possit communitati formulam fidei imponere; at in hac statuenda a conscientiis singularibus pendet, ac proinde ad formas populares est inflectenda.<sup>2)</sup>

---

ea persequendi, quae civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est, toto nisu reiiciendus.»

<sup>1)</sup> «Sed modernistarum scholae satis non est debere Statum ab Ecclesia seiungi. Sicut fidem, quoad elementa, ut inquit, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui. Hoc quidem illi aperte nondum forte asserunt; ratiocinationis tamen vi coguntur admittere. Posito etenim quod in temporalibus rebus Status possit unus, si accadat credentem intimis religionis actibus haud contentum, in externos exilire, ut puta administrationem susceptionemve Sacramentorum, necesse erit haec sub Status dominium cadere. Ecquid tum de ecclesiastica auctoritate? Cum haec nisi per externos actus non explicetur: Statui, tota quanta est, erit obnoxia. Hac nempe consecutione coacti, multi e protestantibus liberalibus cultum omnem sacrum externum, quin etiam externam quamlibet religiosam consociationem e medio tollunt, religionemque, ut aiunt, individualement invehere adnituntur.» —

<sup>2)</sup> «De magisterio Ecclesiae sic scilicet commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque qua utantur, formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam. In hac porro coniunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eandem perscribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistae collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum habeat: consequitur necessario, illud ab eisdem conscientiis pendere, ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singulorum hominum conscientias prohibere, quominus impulsiones quas sentiunt palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire, qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissae non usus est sed abusus. — Similiter in usu ipso potestatis modus temperatioque sunt adhibenda. Librum quemlibet, auctore inscio, notare ac proscribere, nulla explicatione admissa, nulla disceptatione, tyrannidi profecto est proximum. — Quare hic etiam

## CAPUT III.

**De proprietatibus Ecclesiae.**

309 Ad absolvendum conceptum de natura et essentia Ecclesiae ulterius *proprietates* ipsius considerare oportet; proprietates namque ab essentia fluunt. Triplex etenim est acceptio scientifica vocis «proprietates» (proprium). Sensu lato proprium dicitur omne id, quod alicui subiecto inest praeter ipsam essentiam; sensu stricto omne id, quod ex essentia fluit eique necessario inest; sensu strictissimo id, quod necessario et huic soli inest (proprietates *differentiales*). Sic virtus nonnisi sensu lato proprietates alicuius hominis dicitur, quia amitti potest; at mortalitas vel libertas vere proprietates hominis dicuntur, licet mortalitatem cum brutis et libertatem cum angelis communem habeamus. Facultas loquendi autem vel risibilitas homini soli propriae ideoque strictissime proprietates dicuntur.

Proprietates itaque Ecclesiae sensu presso seu differentiales sunt illae qualitates, quae ex eius essentia fluunt eique necessario insunt nec ulli ecclesiae falsae conveniunt. Quaeritur ergo: quatenam et quot sunt? Quaestio non ab omnibus eodem modo solvitur. Plures auctores eas ad quatuor revocant: Ecclesia est *una, sancta, catholica et apostolica*;<sup>1)</sup> ab aliis recensentur: *visibilitas, perpetuitas, unitas, sanctitas*.<sup>2)</sup> Alii quatuor proprietatibus primo enumeratis addunt tres dotes: *indefectibilitatem, auctoritatem, infallibilitatem*.<sup>3)</sup> Alii easdem ponunt notas ac proprietates Ecclesiae.<sup>4)</sup>

medium est quoddam iter reperiendum, ut auctoritati simul ac libertati integra sint iura. Interea temporis catholico sic est agendum ut auctoritatis quidem observantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi ingenio non intermittat. — Generatim vero sic de Ecclesia praescribunt: quoniam ecclesiasticae potestatis finis ad spiritualia unice pertinet; externum apparatus omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur. In quo illud sane negligitur, religionem, etsi ad animos pertineat, non tamen unice animis concludi; et honorem potestati impensum in Christum institutorem recidere.»

<sup>1)</sup> Hurter n. 285.

<sup>2)</sup> Reinerding, Theolog. fundam. p. 2 n. 263.

<sup>3)</sup> Mazzella n. 624.

<sup>4)</sup> Perrone n. 146.

Discrimen tamen inter auctores non est reale, sed methodicum. Nobis haud incongrue octo proprietates poni posse videntur: 1. *visibilitas*, 2. *unitas*, 3. *sanctitas*, 4. *infallibilitas*, 5. *apostolicitas*, 6. *catholicitas*, 7. *indelectibilitas* et 8. *necessitas*.<sup>1)</sup> En rationem tam numeri quam ordinis propositi!

In primis praefatae proprietates revera omnes necessario ex essentia Ecclesiae fluunt eique soli propriae sunt; ut ex singularum expositione apparebit.<sup>2)</sup> Deinde omnes ad unam ex quatuor causis revocantur, ex quarum cognitione scientia rerum dependet. Causae quippe internae seu constitutivae Ecclesiae sunt: membra (causa materialis) et hierarchia divina (causa formalis); causa efficiens est Christus, qui instituit, et Apostoli, qui fundaverunt Ecclesiam; finalis est salus animarum. Atqui causam materiale sequitur *visibilitas*; societas hominum enim necessario visibilis est. Ad causam formalem congruenter revocari possunt: *unitas*, *sanctitas* et *infallibilitas*. Potestas regiminis enim est causa praecipua unitatis Ecclesiae, ministerium est causa gratiarum et sanctitatis, magisterium est causa infallibilis fidei. Ad causam efficientem revocatur *apostolicitas*; ad causam demum finalem *catholicitas*, *indelectibilitas* et *necessitas* referri possunt, cum Ecclesia instituta sit ut medium necessarium salutis humanae in toto mundo et usque ad finem mundi. Satis congruenter igitur numerum et ordinem proprietatum nobis assignasse videmur. 310

## ARTICULUS I.

### De Ecclesiae visibilitate.

*Status quaestionis.* Visibilitas Ecclesiae dupliciter intelligi potest, *materialiter* et *formaliter*. Ecclesia dicitur materialiter visibilis, quatenus eius membra visibilia sunt. Dicitur formaliter visibilis, quatenus eius essentia ut vera Christi 311

<sup>1)</sup> Etiam Franzelin (l. c. pg. 346) has octo proprietates recenset.

<sup>2)</sup> Hinc distinctio inter *proprietates* et *dotes* parum opportuna esse videtur. Dos enim significat id, quod ab *extrinseco* accedit (quasi *datum*). Omnes autem enumeratae qualitates ex *essentia* Ecclesiae, qua corporis Christi mystici, necessario fluunt.

Ecclesia non quidem oculis corporis, utique vero oculis mentis conspicua est. Sicut e. g. homo non solum secundum corpus, sed etiam *qua homo*, i. e. ut animal rationale visibilis est, quia eius anima rationalis per signa manifesta se prodit; ita Ecclesia non solum materialiter in membris, sed etiam *formaliter in tota sua constitutione ut veram Christi Ecclesiam se manifestat*.

Qua posita distinctione quaestio non est, an Ecclesia sit materialiter visibilis. Hoc etenim sole clarius est, et a nemine negatur. At quaestio acerrima cum haereticis praesertim saeculi 16. agitur, utrum Ecclesia *formaliter*, i. e. *qua vera Ecclesia* Christi visibilis sit, nec ne. Illi enim ex duplici ratione hoc negant. Primo thetice, quia iuxta ipsos Ecclesia est coetus praedestinatorum vel iustorum vel vere credentium (267); talis coetus autem nec per se nec per aliud certe cognoscibilis est. Maxime vero ex ratione polemica novatores ad negandam Ecclesiae visibilitatem compulsi sunt. Cum enim a Catholicis continuo provocarentur, ut explicarent, ubinam ante saeculum 16. vera Ecclesia fuerit, aliter ab hac importuna quaestione se expedire nesciverunt, quam obtrudendo Ecclesiam invisibilem. «Quis, inquit *Lutherus*,<sup>1)</sup> Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu et solum credatur, sicut dicitur: credo Ecclesiam sanctam.» Quoniam vero in documentis fidei Ecclesiae visibilitas nimis clare continetur, varia effugia excogitarunt ad sui systematis defensionem. Nonnulli enim duplicem distinguebant Ecclesiam, unam invisibilem, ad quam spectent divinae promissiones; alteram visibilem, quae deficere et corrumpi possit.<sup>2)</sup> Alii dicunt, in Ecclesia visibili, tamquam in corpore corruptibili, contineri Ecclesiam invisibilem tamquam animam, quae nunquam corrumpitur. Alii denique cum Calvino docent, Ecclesiam ex divina ordinatione utique

<sup>1)</sup> Lib. de abrog. missa privata p. 1.

<sup>2)</sup> Similem distinctionem iam fecerant Fraticelli, a Ioanne XXII. damnati, qui «duas fingunt ecclesias, unam carnalem, vitiis pressam, effluentem deliciis, sceleribus maculatam, cui Romanum praesulem aliosque inferiores praelatos dominari asserunt; aliam spirituales, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito principantur». (Denzinger 485).

esse visibilem, sed eam aliquando ita obscurari, ut vera Ecclesia non appareat.<sup>1)</sup> — Sit igitur:

**Thesis 85.** *Ecclesia Christi formaliter, in se et essentialiter visibilis est.* 312

α) *Formaliter*, inquam, non tantum materialiter, iuxta datam explicationem. β) *In se*, ita ut ipsa vera Ecclesia, non tantum illa societas, in qua vera Ecclesia veluti in vase delitescit, videri valeat. γ) *Essentialiter*, ita ut Ecclesia vi suae essentiae semper et necessario visibilis existat.

Thesis est de fide ex conc. *Vaticano* (Const. de fid. cath. cap. 3:)<sup>2)</sup> «Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus possit agnosci.» Ceterum visibilitas Ecclesiae etiam in aliis documentis fidei evidenter continetur, ut ex argumentis patebit. Probatur enim:

1. *Ex natura* Ecclesiae. Eius *finis* est salus animarum. Ad consequendum hunc finem absolute necessarium a Christo instituta fuit Ecclesia tamquam medium pariter absolute necessarium; extra Ecclesiam enim nulla salus, ut postea probabimus. Atqui medium, quod non cognoscitur, frustra est; iniustum quoque esset, usum medii incogniti praescribere. Cum ergo Christus nec frustra nec iniuste egerit, consequenter eius Ecclesia, et quidem qua vera Ecclesia cognoscibilis seu visibilis sit oportet. — Praeterea ad constitutionem Ecclesiae pertinet *divina hierarchia*. Ecclesia namque instructa est potestate magisterii, cui omnes credere tenentur; potestate ministerii, cuius sacramenta omnibus necessaria sunt; potestate imperii, cui omnes obtemperare debent. *Media* quoque salutis, Sacramenta, praedicatio verbi Dei etc. omnibus necessaria sunt. Ergo visibilis esse debet Ecclesia, in qua divina hierarchia et media salutis reperiuntur.<sup>3)</sup>

2. Expressis testimoniis Scripturae, et quidem a. ex antiquo foedere: *Et erit in novissimis diebus praeparatus*

<sup>1)</sup> Cf. Mazzella n. 448 sqq; Franzelin l. c.

<sup>2)</sup> Denzinger 1793.

<sup>3)</sup> Nervose hoc argumentum proponitur in 1. schem. conc. Vatic. const. de Eccl. c. 4 (Coll. Lacens. pg. 568).

*mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius* (Is. 2, 2 sq; cf. c. 60; Mich. c. 4). Atqui haec vaticinia tum ex contextu tum ex communi interpretatione Patrum evidenter ad Ecclesiam spectant, nec minus evidenter eam visibilem, et quidem in sensu thesis visibilem esse praenuntiant. Nisi enim ista domus Dei visibilis esset, gentes non possent ad eam ascendere; et nisi vera esset, non possent in ea doceri vias Domini. — **b.** In novo foedere Christus (Matth. 16, 18) protestatur, se Ecclesiam supra petram aedificaturum; supra fundamentum visibile autem construitur aedificium visibile. Deinde Dominus subiungit, contra *hanc* Ecclesiam portas inferi non praevalituras; ergo Ecclesia promissionum visibilis est. Et cum Christus praecipit (Matth. 18, 17): *Dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit* etc., certe neutrum servari posset, si Ecclesia invisibilis esset. Et quomodo episcopi invisibilem Ecclesiam regere possent (Act. 20, 28)? Quomodo haeretici, qui Ecclesiam invisibilem dicunt, interpretabuntur verba (I Tim. 3, 14 sq): *Haec tibi scribo, . . . ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi* etc.? Iure ergo *Bellarminus* provocat adversarios, ut vel unum locum ex Scriptura proferant, ubi nomen «Ecclesia» tribuatur congregationi invisibili. — **c.** Rem (confirmant et illustrent parabolae et varia nomina biblica Ecclesiae: *area, rete, ager, ovile, regnum, civitas, domus, corpus* etc.

**3.** Ex Patribus *Athanasius*<sup>1)</sup> scribit de Ecclesia Christi, quod sit «fulgens et illuminans orbem, manensque in aeternum sicut sol et luna». *Chrysostomus* (in illa verba: erit in novissimis diebus manifestus mons Domini<sup>2)</sup>) ait: «Manifestus. Id nulla deinceps interpretatione indiget. . . . Etenim neque sol ita splendidus, neque eius lux ita clara est, ut sunt res ad Ecclesiam spectantes. Nam domus Dei est supra verticem montium.» *Augustinus*:<sup>3)</sup> «Facile tibi est attendere

<sup>1)</sup> In Ps. 88.

<sup>2)</sup> In Is. c. 2 n. 2.

<sup>3)</sup> Ep. 52 n. 1 ad Severin. Donatist.

et videre civitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi non possit. Ipsa est enim Ecclesia catholica; unde *καθολικὴ* graece appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini nostri Iesu Christi abscondi non potest.»

4. His addi possent plura alia argumenta minime spernenda; puta ex historia Ecclesiae, quae certe non est de re invisibili;<sup>1)</sup> ex absurdis et perniciosis sequelis;<sup>2)</sup> ex confessionibus adversariorum.<sup>3)</sup> Quae tamen indigitasse sufficiat.

**Obiectio 1.** Ecclesia est obiectum fidei ex symbolo: 313  
credo sanctam Ecclesiam. Sed quod videtur, non creditur. — Resp. *Dist.*: sub eo respectu, sub quo aliquid videtur, non creditur, *Conc.*; sub alio respectu, *Neg.* Sane, si haec difficultas aliquid valeret, Apostoli, qui Christum videbant, non potuissent in eum credere. Et tamen viderunt et crediderunt. Videbant Christum miracula facientem, ex mortuis resurgentem, caelos ascendentem; credebant eum verum Deum esse. Idem dic de Ecclesia. Videmus enim non solum «massam ecclesiasticam», ut Reformatores dicebant; sed etiam illos characteres externos conspicimus, per quos Ecclesia se ut veram Ecclesiam demonstrat. Et quia hos characteres cognoscimus, ideo eam ut veram Ecclesiam credimus.<sup>4)</sup>

**Obiectio 2.** petitur ex variis testimoniis s. Scripturae: *Non venit regnum Dei cum observatione* (Luc. 17, 20); et: *regnum Dei intra vos est* (v. 21); iterum: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* (Ier. 31, 33); item: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Ioan. 4, 24); denique fideles dicuntur *domus spiritualis, spirituales hostias*

<sup>1)</sup> Vide hoc argumentum ap. Bellarm. l. 13 c. 11 et Möhler, Symbolik Kp. 5 § 48 (6. Aufl.).

<sup>2)</sup> Ipse Protestans Lagarde (Deutsche Schriften, Göttingen 1878, S. 118) vidit, quod invisibilem Ecclesiam mox consequetur invisibilis religio, et mox nulla religio. Iam s. Augustinus Ecclesiam et Christum sub hoc respectu parificat (Ep. 93 n. 23): «Quomodo confidimus ex divinis litteris accepisse nos *Christum manifestum*, si non inde accepimus *Ecclesiam manifestam*?»

<sup>3)</sup> Ita Melanchthon in locis commun. de Ecclesia pg. 488.

<sup>4)</sup> Cf. Franzelin thesi 21, III.

offerentes (I Petr. 2, 5). Regnum Dei ergo, i. e. Ecclesia observari nequit, est regnum internum, in cordibus fidelium, domus spiritualis; unde nec visibilis. — Resp. Hisce testimoniis exprimitur, regnum messianum, id est Ecclesiam, appariturum esse non in pompa, sed in humilitate; neque strepitum armorum, sed effectus spirituales signa huius regni futura esse. Non excluditur ergo visibilitas simpliciter, sed illa gloria externa, quam Iudaei exspectabant.

**Obiectio 3.** Vera Ecclesia est coetus baptizatorum; ignoratur autem, utrum singuli rite baptizati fuerint, nec ne. Ergo vera Ecclesia non cognoscitur. — Resp. Nego consequentiam. Licet de singulis absoluta certitudine Baptismus non constet, tamen ex communiter contingentibus et maxime ex providentia Dei absolute certum est, Ecclesiam in sua universalitate esse coetum rite baptizatorum. Ceterum Ecclesia non solum Baptismo, sed multis aliis modis se visibilem prodit.<sup>1)</sup>

**Corollarium.** Ex dictis consequitur, visibilitatem formaliter et sensu pleno spectatam esse proprietatem, quae non solum verae Ecclesiae necessario competit, sed etiam *ipsi soli* competit. Ecclesiae quippe falsae sunt quidem visibiles sectae, sed non sunt visibilis Ecclesia Christi; habent enim characteres manifestos erroris, sicut vera Ecclesia habet characteres manifestos veritatis.

## ARTICULUS II.

### De unitate Ecclesiae.

314 *Status quaestionis.* Cum Ecclesiam *unam* dicimus, hoc praedicatum non affirmative tantum, sed *exclusive* sumimus; profiteamur scilicet, unam solam seu *unicam* esse veram Ecclesiam Christi, non plures. Hanc proprietatem variis modis impugnant ac pervertunt Novatores.

a. *Protestantes* etenim duas ecclesias, unam visibilem, invisibilem alteram adstruunt. Aliquid simile docuerant *Fraticelli*, qui ecclesiam spiritualement et carnalem distinguebant (311). Etiam *Progressistae* huc referri possunt, qui varias

<sup>1)</sup> Cf. Palmieri § 11, VI.

essentialiterque diversas sibi succedentes formas Ecclesiae obtrudunt.

b. *Anglicani* unam quidem dicunt Ecclesiam, quae tamen constet ex *tribus communionibus particularibus*, scilicet ex romana, anglicana et orientali sive graeco-schismatica. At haec unitas est mere nominalis, non realis; quia praefatae communionibus inter se non cohaerent, sed societates distinctas sub proprio regimine constituunt. Sicut ergo tria regna cum propria constitutione ad summum *confoederationem*, non vero unum regnum efficiunt; ita nec tres praefatae societates religiosae reapse unam Ecclesiam constituunt.

c. Longius adhuc progrediuntur sic dicti *Fundamentalistae* seu *Latitudinarii*, iuxta quos Ecclesia una est constans ex omnibus sectis, diversissimae licet professionis, dummodo in articulis fundamentalibus consentiant. Quinam vero sint isti articuli fundamentales, usque adhuc nondum ad liquidum deductum est. Nonnulli fundamentale dicunt id, quod clare in Scriptura continetur; alii id, quod communi consensu tenent omnes Christianorum sectae; alii Trinitatem et divinitatem Christi; alii demum ideam vagam boni Dei sufficientem putant.<sup>1)</sup>

Longe aliter haec proprietas intelligenda est sensu catholico. Ecclesiam namque unam dicimus: α) unitate *singularitatis* (numerica), ad exclusionem plurium sive simultanearum sive succedentium ecclesiarum; β) unitate *fidei* (symbolica), ad exclusionem omnis haeresis; γ) unitate *regiminis* (hierarchica), ad exclusionem omnis schismatis; δ) unitate denique *sacramentorum* (liturgica). ε) Non tamen unitatis proprietas opponitur, ut per se patet, multitudini *ecclesiarum particularium* eiusdem professionis et communionis. Neque ad eam requiritur unitas fidei *materialis* et *explicitae*; sed sufficit, ut ab omnibus fidelibus implicite saltem id omne credatur, quod ab Ecclesia formaliter credendum pro-

---

<sup>1)</sup> Consule adnot. in 1. schema const. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 586); Suarez, Defens. fid. l. 3 c. 8 n. 4 et l. 1 c. 7; Mazzella, De Relig. et Eccl. disp. 4 n. 628 sqq; Murray, De Ecclesia l. 1 pg. 395 sqq.

positum fuerit.<sup>1)</sup> — Itaque unitatem *numericam*, *symbolicam* et *hierarchicam* in totidem thesibus breviter probabimus. *Liturgica* enim unitas expressa demonstratione non indiget, quippe quae in unitate fidei et regiminis manifeste includatur.

315 **Thesis 86.** *Una est vera Ecclesia, unitate numerica tam simultanea quam successiva.*

Omnia symbola non *ecclesias*, sed *Ecclesiam* (εἰς μίαν ἐκκλησίαν)<sup>2)</sup> profitentur, et merito. Sane:

1. In vaticiniis antiqui T. Ecclesia messiana exhibetur ut *nova Ierusalem*, ut *mons Dei*, ut *domus Iacob*, ad quam omnes gentes confluent. Opponitur ergo Ecclesia messiana synagogae tamquam institutio universalis et perpetua institutioni particulari et temporali. Atqui talis institutio universalis et perpetua manifesto una esse debet unitate simultanea et successiva.

2. In novo T. Ecclesia exhibetur ut *unum regnum indivisum* (Matth. 12, 25); ut una *domus Dei* unaque *columna* et *firmamentum* veritatis (I Tim. 3, 15): ut *unus grex* et *unum ovile* cum *uno pastore* (Ioan. 10, 16; 21, 15 sqq); ut una *sponsa* ita copulata uni Christo, sicut matrimonium est coniunctio unius cum una (Eph. 5, 25 sqq); immo ut *corpus Christi*, qui certe unum non plura corpora habet (Rom. 12, 5).

3. Christus expresse dicit (Matth. 16, 18): *Tu es Petrus, et super hanc petram (unum fundamentum, et proinde unum aedificium) aedificabo Ecclesiam meam* (non *meas*), *et portae inferi non praevallebunt adversus eam* (ergo semper una eademque). Item legimus (Ioan. 11, 51 sq): *Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut*

<sup>1)</sup> In 1. schemate const. de Eccl. cap. 5 (Coll. Lacens. pg. 569) haec unitas ita describitur: Declaramus, Ecclesiam «ita plane in sua constitutione esse determinatam, ut quaecunque societates a fidei unitate vel a communione huius corporis seiunctae nullo modo pars eius aut membrum dici possint; neque per varias christiani nominis consociationes dispersam atque diffusam, sed totam in se collectam penitusque cohaerentem, in sua conspicua unitate indivisum ac indivisibile corpus praeferre, quod est ipsum corpus mysticum Christi».

<sup>2)</sup> Cf. Denzinger 1—9. 86.

*filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Quid aliud significatur his verbis, nisi *omnes filios Dei* per mortem Christi in *unam societatem* congregandos esse?<sup>1)</sup>

4. S. Cyprianus,<sup>2)</sup> postquam ostendit, Christum ideo Ecclesiam super unum Petrum aedificasse, ut unitatem manifestaret, quae unitas etiam verbis Canticorum (6, 8): *una est columba mea, perfecta mea* designetur, egregie subdit: «Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen caput est et origo una et una mater fecunditatis successibus copiosa.» Alios Patres in sequente allegabimus.

5. Idem manifeste colligitur ex iis, quae de fine et natura Ecclesiae diximus. Regna quippe terrena certe multa esse possunt et revera sunt, eo quod nec finis nec media nec constitutio nec membra determinata sunt. Terrena namque felicitas est aliquid indeterminatum variisque mediis obtineri potest. At salus animae omniaque media salutis sunt supernaturalia atque in individuo ab ipso Deo determinata. Proinde unica tantum est et esse potest vera Ecclesia, scilicet illa societas, ubi omnia media salutis divinitus instituta reperiuntur.

**Thesis 87.** *Una est vera Christi Ecclesia unitate fidei, 316 non solum circa articulos fundamentales, sed in omnibus, quae ab infallibili magisterio credenda proponuntur. Quaevis ergo haeresis ab unitate Ecclesiae separat.*

<sup>1)</sup> Cf. Leo XIII., Encycl. de unitate Ecclesiae, ed. Friburg. pg. 16 sqq.

<sup>2)</sup> De unit. Eccl. c. 4 n. 5; cf. Ep. 55 n. 24.

Probatur 1. ex Scriptura. α) Christus non solum generatim testatur, nec apicem nec iota de lege praeteriturum, et potius caelum et terram quam eius verba transitura (Marc. 13, 31); sed expresse praecipit (Matth. 28, 19 sq): *Docete omnes gentes . . . servare omnia, quaecumque mandavi vobis*. β) Paulus quoque diserte dicit (Eph. 4, 3 sqq): *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium* etc. His verbis profecto non lata quaedam, sed perfecta unitas fidei postulatur, ut vel ex sola connumeratione fidei cum rebus perfecta unitate gaudentibus apparet: *unum corpus, unus spiritus, unus Deus, unum baptisma* etc. γ) Idem confirmatur ex sequentibus verbis, in quibus commemoratur divina institutio doctoratus, ut *occurramus omnes in unitatem fidei . . . ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae* (Eph. 4, 13 sq). Quanta autem est fluctuatio inter Latitudinarios, qui non solum circa dogmata secundaria, sed circa ipsos articulos fundamentales dissentiunt, ita ut iam duodecim et amplius diversae sententiae de eorum natura et numero prodierint. δ) Propter necessariam hanc unitatem anathematizat Apostolus omnes, qui volunt *convertere Evangelium Christi*, etiamsi angelus de caelo evangelizet aliud, *praeterquam quod evangelizatum est* (Gal. 1, 7 sq). Intentabatur autem hoc anathema Iudaeo-Christianis, qui Evangelium in uno solo puncto, de necessitate scilicet circumcisionis, pervertebant. ε) Denique idem Apostolus generatim praecipit Tito (3, 10): *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem evita* (cf. I Tim. 6, 3 sq; II Petr. 2, 1 sqq; II Ioan. v. 10 sq).

2. Patres non qualemcumque fidei unitatem, sed unitatem *in omnibus* postulant. Sic a Iustino M. veri Christiani dicuntur<sup>1)</sup> «*verae ac purae Iesu Christi doctrinae discipuli*», qui sint «*una anima et una synagoga ac una Ecclesia*». Iuxta Irenaeum:<sup>2)</sup> «*Vera et universa Ecclesia unam et eandem*

<sup>1)</sup> Dial. cum Tryph. c. 63.

<sup>2)</sup> Adv. haer. l. 1 c. 10; cf. Cypr., Ep. 69.

toto terrarum orbe fidem tenet.» Idcirco Patres omnes ab unitate catholica praecisos habebant, qui vel in uno puncto fidei ab Ecclesia dissentiebant. Sic *Epiphanius* iam suo tempore 80 haereses enumeravit, quarum aliquae nullatenus circa articulum fundamentalem versabantur. *Augustinus* vero recensitis 88 haeresibus concludit:<sup>1)</sup> «Possunt et haereses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum *aliquam* quisquis tenuerit, *Christianus catholicus non erit.*» *Fulgentius*<sup>2)</sup> propositis 40 capitulis ad regulam verae fidei pertinentibus subiungit: «Si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge et tamquam haereticum abiice. Ita enim ista, quae posuimus, fidei catholicae congruunt, ut, si quis non solum omnibus, sed etiam *singulis* voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat et his contraria docere non dubitat, haereticus et fidei christianae inimicus atque ex hoc omnibus Catholicis anathematizandus appareat.»

3. Accedit *praxis* Ecclesiae, quae omnes semper ut haereticos damnavit et a sua unitate abscidit, qui aliquod fidei dogma contumaciter negabant. Sic non solum in diversis conciliis anathematizati sunt *Ariani*, *Sabelliani*, *Macedoniani*, qui dogmata fundamentalia de Trinitate et Christo impugnabant; sed etiam *Novatiani*, *Montanistae*, *Quartodecimani* et sexcenti alii, quorum errores iuxta Latitudinarios plane indifferentes sunt. Haeretici vero ab Ecclesia damnati nunquam hoc effugio percommodo, quod non ageretur de articulo fundamentali, se excusarunt. — Merito ergo damnata fuit prop. 18 Syllabi:<sup>3)</sup> «Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aequae ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.»<sup>4)</sup>

4. Confirmat *ratio theologica*. Theoria enim, quae fidei unitatem ad solos articulos fundamentales reducit, α) est plane *gratuita*, cum omni fundamento careat. Provo-

<sup>1)</sup> De haeres. in fin.

<sup>2)</sup> De fid. c. 44 n. 85.

<sup>3)</sup> Denzinger 1718.

<sup>4)</sup> Cf. Leo XIII. Encycl. cit. pg. 24 sqq 34 sqq.

cant quidem ad verba Evangelii, quibus promittitur vita aeterna ei, qui credit in Deum et Iesum Christum (Ioan. 17, 3; 20, 31). At haec valent in sensu affirmante, non excludente; quia praeter fidem in Deum et Christum multa alia ad salutem in Evangelio requiruntur. Ineptius adhuc Calvinista *Iurieu* provocat ad I Cor. 3, 11 atque ex eo, quod ab Apostolo affirmatur, nullum aliud esse fundamentum praeter Christum, concludit, solam fidem in Christum esse articulum fundamentalem et ad salutem necessariam; reliqua vero, quae supraedificantur, esse veritates (aurum, argentum) aut errores (lignum, stipulam, foenum) indifferentes. Mira sane exegesis! —  $\beta$ ) Est *Deo iniuriosa*. Quid enim magis iniuriosum primae veritati, quam ut homo pro arbitrio suo eligat inter ea, quae credat vel non credat Deo revelanti? Sicut teste Iacobo (2, 10) qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, quia ab eodem legislatore omnia praecepta emanant; ita qui vel unicum dogma negat, iam *auctoritatem Dei revelantis* negat. —  $\gamma$ ) Est homini perquam *nociva*, quia ista doctrina ad totalem indifferentismum religiosum et tandem ad irreligiositatem ducit; quod experientia confirmat.

317 **Thesis 88.** *Necessaria quoque est unitas regiminis, cui omnes fideles in universa Ecclesia se subiicere debent. Quodlibet schisma ergo ab Ecclesia separat.*

Anglicanus *Pusey* in suo «Eirenicon» docet, praefatam unionem sociale seu regiminis Ecclesiae desiderabilem quidem, non vero absolute necessariam esse, idque ex historia probare nititur. Unio quippe, inquit, ecclesiarum particularium inter se et cum Ecclesia Rom. haud raro interrupta fuit, quin ideo istae partes simpliciter extra Ecclesiam catholicam et extra viam salutis esse crederentur; siquidem etiam durante ista separatione in illis ecclesiis viri floruerunt, qui ab ipsa Ecclesia Rom. ut sancti habiti fuerint. Similia legimus apud *Palmer*,<sup>1)</sup> iuxta quem unitas regiminis cadit quidem sub praecepto, at essentialis non est; quo fit, ut quandoque non solum licitum, sed obligatorium esse possit, huic vel illi particulari ecclesiae a communione

<sup>1)</sup> De doctr. christ. p. 1 c. 5.

totius Ecclesiae se subducere, quando scilicet ea fide et moribus corrupta est. Ad hoc probandum Palmer pariter ad historiam provocat; praesertim ad controversiam *de die Paschatis* inter Victorem Papam et ecclesias Asiae minoris, ad dissensum inter Cyprianum et Stephanum de *valore baptismi haereticorum*; ad schisma *acacianum*, ad dissidium inter Orientales et Occidentales circa *tria capitula*, ad oppositionem conc. *Francofordiensis* contra conc. *Nicaenum II.*, et Gallorum contra conc. *Florentinum*; maxime ad magnum *schisma occidentale* (1378—1429). Ex his enim iste auctor deducit, primis saeculis Ecclesiam neque fidei neque regiminis unitatem adeo rigore postulasse, eamque perfecta unione nunquam vel raro gavisam esse. — Nihilominus firmiter tenenda est unitas Ecclesiae, non tantum ut desiderabilis sed ut necessaria, nec solum necessitate praecepti, sed medii, ita ut schisma semper et absolute illicitum sit.

Sane 1. ex priore thesi constat absoluta necessitas unitatis in omnibus articulis fidei. Atqui unus et quidem fundamentalis articulus fidei est institutio divinae hierarchiae sub capite Rom. Pontifice ad regendam universam Ecclesiam Christi. Ergo unitas regiminis seu hierarchica non solum desiderabilis perfectio, sed necessaria proprietas Ecclesiae est; et quidem necessitate non praecepti tantum sed medii, quippe quae ex essentia Ecclesiae necessario profluat. Minor partim probata est, partim probabitur in tractatu de primatu Rom. Pontificis.

2. Comparationes Ecclesiae cum *ovili, domo, regno, civitate* etc. minime congruerent, si ea ex partibus omnino divulsis componeretur. Nonne inepte tres communionem, romana, anglicana et orientalis schismatica, unum regnum ecclesiasticum vel una domus dicerentur? Eodem vel potiore iure Austria, Italia et Germania unum regnum civile constituerent. Certe regnum Israel per solam defectionem decem tribuum a rege Roboam in duo regna divisum est. — Maxime vero ratio *corporis* Christi unitatem hierarchicam Ecclesiae postulat. Sicut enim corpus physicum per divisionem destruitur, ita etiam de corpore morali, praesertim de Ecclesia dicendum erit, quae teste Apostolo (Eph. 4, 16)

esse debet *corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis*.

3. Patres nil antiquius habent hac unitate mystici corporis, nil magis detestantur flagitio schismatis, quod ne sanguine quidem deleri possit. «Firmissime tene, inquit *Fulgentius*,<sup>1)</sup> et nullatenus dubites, quemlibet haereticum sive schismaticum, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiae cath. non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiae cath. non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo vel haeretica vel schismatica pravitas perseverat, quae ducit ad mortem.» Similia habent Patres apostolici *Clemens Rom.*, *Ignatius* in omnibus suis epistolis, *Irenaeus* in libris adversus haereticos,<sup>2)</sup> *Augustinus* in operibus adversus Donatistas etc. Hinc celebris est definitio Ecclesia a s. *Cypriano*<sup>3)</sup> tradita: «Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens.»

4. Accedit ratio theologica. Anglicani profitentur cum symbolo: unam sanctam Ecclesiam. Atqui unitas Ecclesiae, sicut omnium aliarum societatum, maxime a regimine tamquam a principio formali pendet; ideoque omnes societates specificantur et multiplicantur secundum diversitatem et numerum regiminum. Qui ergo unam Ecclesiam profitetur, unitatem quoque regimis credat, necesse est.<sup>4)</sup>

318 *Difficultatum solutio.* Argumenta a *Pusey* et *Palmer* obiecta facile solvuntur, dummodo inter haeresim et schisma *materialiter* et *formaliter* spectatum accurate distinguatur. Haeresis formalis, ut notum est, consistit in errore voluntario et pertinace contra fidem seu contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam in homine christiano. Quodsi pertinacia deest, haeresis dicitur mere materialis.

<sup>1)</sup> De fide c. 39 n. 80.

<sup>2)</sup> L. 4 c. 33 n. 7.

<sup>3)</sup> Ep. 69 et praesertim toto libro de unit. Eccl.

<sup>4)</sup> Cf. Leo XIII., *Encycl. cit.* pg. 48 sqq.

Idem de schismate obtinet. Schisma formale oritur ex contumacia contra certam legitimamque auctoritatem cognitam. Qui vero ex ignorantia superiori certo, aut scienter superiori dubio se opponit, non est schismaticus proprie dictus, licet fortasse ob ignorantiam culpabilem aut alia de causa peccet.

Quo posito discrimine, adversarii, ut contra thesim aliquid proficerent, ostendere deberent:  $\alpha$ ) ecclesias particulares, vel etiam singulos christianos, qui in haeresim aut schisma formale inciderant atque in eo contumaciter persistebant, ab Ecclesia catholica adhucdum ut sua membra considerata fuisse. Dixi, «qui in eo persistebant»; nam Ecclesia membra putrida et filios rebelles non statim abscindit, sed tamquam pia mater prius omnia tentat, ut eos emendet.<sup>1)</sup> Quare nihil proficiunt adversarii, etsi ostendant, Ecclesiam *aliquamdiu* aliquos in haeresim vel schisma prolapsos in suo sinu tolerasse.  $\beta$ ) Probare insuper deberent, schisma *intra* limites Ecclesiae locum habuisse quoad superiores non dubios, sed *certos*.  $\gamma$ ) Probare denique deberent, Ecclesiam catholicam venerari ut *sanctum* aliquem virum, qui modo hucusque descripto in haeresi vel schismate obierit. Atqui neque in factis ab adversariis enumeratis, neque in ullo alio facto hae conditiones verificantur; ut historia ecclesiastica docet, ad quam lectorem remittimus. Ergo unitas Ecclesiae nec haeresim nec schisma admittit.

### ARTICULUS III.

#### De sanctitate Ecclesiae.

*Praenotiones.* — *Sanctum* generatim id dicitur, quod 319 Deo sacrum, Deo coniunctum et conforme, ideoque venerandum et inviolabile est.<sup>2)</sup> Propter varios modos, quo aliquid Deo sacrum esse potest, sanctitas quoque varie distinguitur: a. In *physicam* (ontologicam) et *moralem* (personalem), quatenus sanctitas de rebus vel de personis earumque actibus moralibus praedicatur. — b. Sanctitas realis iterum enuntiari potest: vel *passive*, quia aliquid divino cultui consecratum est, e. g. templa, altaria; vel *active*, quia est me-

<sup>1)</sup> Cf. s. August., Ep. 22 n. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Thom. 2, 2 q. 81 a. 8.

dium sanctificationis, ut sacramenta, leges; vel *manifestative*, quia est effectus aut signum internae sanctitatis, puta miracula. — c. Sanctitas moralis pariter subdividitur: in *negativam*, quae in immunitate a peccato consistit; et in *positivam*, quatenus etiam gratiam, dona Spiritus sancti et virtutes (in ordine supernaturali) importat. — Omnibus hisce modis Ecclesiam sanctam esse affirmamus.

320 **Thesis 89.** *Ecclesia semper et necessario sancta est, et quidem sanctitate physica, morali et manifestativa.*

**A.** *Ecclesia essentialiter sancta est sanctitate physica.*

Sanctitas physica Ecclesiae est sanctitas *essentiae* ipsius. Affirmamus ergo, Ecclesiam esse institutionem *sanctam* et *sanctificantem*. Assertio evidenter constat:

1. Ex Scriptura antiqui et novi foederis. In vaticiniis messianis enim *iustitia*, *sanctitas* et *veritas* tamquam praecipuae praerogativae novi foederis et novae Ierusalem promittuntur.<sup>1)</sup> Sanctitas Ecclesiae continetur etiam in ipsius nominibus biblicis; cuiusmodi sunt *regnum caelorum*, *sponsa Christi*, *corpus Christi*, *tabernaculum Dei*, *domus* et *civitas Dei* etc. Magnifice describitur haec proprietas ab Apostolo (Eph. 5, 25 sq): *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* etc.

2. Assertio elucet etiam ex obvia consideratione ipsius Ecclesiae. Sanctus quippe, immo Sanctus Sanctorum est *Christus*, qui non solum eius *institutor*, sed et *caput* est, atque ideo in conceptum adaequatum Ecclesiae ingreditur. Idem dicendum de *Spiritu sancto*, qui Ecclesiam tamquam eius *cor* vel *anima* vivificat et sanctificat (277. 278, 3).<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Is. 2, 2 sqq; c. 35; c. 52; c. 60; Dan. 9, 24; Ez. 11, 19; 37, 28; Ier. 31, 31 coll. Hebr. 7, 18 etc.

<sup>2)</sup> Cf. Suarez, De Eccl. disp. 9 s. 7 n. 2: «Quarto, posset Ecclesia denominari *sancta* a suo capite, quod est Christus, non sola extrinseca denominatione, sed quia eius merita per intrinsecam sanctitatem participat. Et ad eundem modum dicitur sancta a Spiritu sancto, qui a D. Thoma appellatur Ecclesiae cor, eam vivificans et sanctificans.»

Sanctus est *finis* Ecclesiae, sanctificatio videlicet et salus hominum. Sancta sunt *media*: sacramenta, sacrificium, verbum Dei etc.; sanctum elementum *formale*, nimirum hierarchia divina, quae per sacramentum Ordinis confertur ac triplice potestate supernaturali insignitur (291 sq). Sanctum denique est etiam elementum materiale, nempe *fideles*, qui per fidem et Baptisma Deo consecrantur ac membra sunt Christi, *regale sacerdotium*, *gens sancta*, *populus acquisitionis* (I Petr. 2, 9). Sicut calix consecratus, etsi pulvere et sordibus contegatur, non amittit consecrationem: ita nec homo, caractere baptismali Deo consecratus, hanc suam sanctitatem ontologicam amittit, licet male vivendo ex toto vel ex parte amittat sanctitatem moralem. Bene etiam *Catechismus Rom.* dicit:<sup>1)</sup> «Qui artem aliquam profitentur, etsi artis praecepta non servant, nomen tamen artificum retinent. Quare D. Paulus *sanctificatos* et *sanctos* (I Cor. 1, 2) appellat, in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales, et gravioribus etiam nominibus graviter obiurgat.»

**B. Immo Ecclesia etiam sancta est sanctitate morali seu** 321  
*sanctitate membrorum.*

Iuxta dicta sanctitas moralis in immunitate a peccatis et in exercitio virtutum consistit, ideoque varios gradus admittit. *Per eminentiam* sancti dicuntur, qui vitam in singulari puritate vel heroica poenitentia exercitioque virtutum ducunt. Haec est significatio hodie maxime vulgaris. *In gradu adhucdum perfecto* hoc nomen merentur omnes ii, qui se a peccatis mortalibus et deliberatis venialibus abstinere ac consilia evangelica sequuntur vel saltem perfectionem suo statui respondentem per assiduum studium virtutum sectantur. *Imperfecte, vere tamen* sancti dici possunt

<sup>1)</sup> P. 1 c. 10 q. 13 n. 1. — Praeclare etiam s. Augustinus (in illa verba Ps. 85, 2: custodi animam meam, quoniam sanctus sum) inquit: «Audeat et corpus Christi, audeat et unus ille homo, clamans a finibus terrae, cum capite suo et sub capite suo dicere, sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi et remissionis peccatorum.» Ac paulo post: «Si Christiani omnes et fideles in Christo baptizati ipsum induerunt, sicut Apostolus (Gal. 3, 27) dicit: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; si membra sunt facti corporis eius, et dicunt se sanctos non esse; capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt.»

omnes Christiani, qui per Baptisma in Ecclesiam ingressi veram fidem profitentur, sacramentis aliisque mediis salutis utuntur, licet ceteroquin in peccata etiam gravia haud raro labantur. Ecquis dubitet, inter illos, qui ab Apostolo (I Cor. 1, 2) *sanctificati* et *sancti* vocantur, multos huiusmodi Christianos fuisse?

Quo posito, cum Ecclesiam moraliter sanctam dicimus, per se liquet, per hoc non excludi peccata et peccatores; alioquin Christus non instituisset sacramentum Poenitentiae (284). Sed Ecclesiam eatenus *moraliter sanctam* esse affirmamus, quatenus:  $\alpha$ ) in ea semper reperiuntur *aliqui* fideles etiam *eximia* sanctitate florentes;  $\beta$ ) semper reperiuntur sat multi *ordinaria* sanctitate praediti;  $\gamma$ ) *omnes initium* sanctitatis in professione verae fidei, in subiectione sub legitimis pastoribus ac communione sacramentorum habent; qui enim his destituitur, iam Ecclesiae membrum esse cessavit;  $\delta$ ) nemo denique a sanctitate deficit, nisi quia et quatenus a praeceptis Ecclesiae deficit; dum nemo sanctus est, nisi quatenus praeceptis et doctrinae Ecclesiae se conformat.<sup>1)</sup> — Haec si in Ecclesia reperiuntur, certe tota societas etiam moraliter sancta dici potest et debet. Sed revera ita esse, patet:

1. A priore et quidem  $\alpha$ ) ex *intentione* Christi, qui ipse dicit (Luc. 12, 49): *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur*; et (Tit. 2, 14): *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Atqui intentio Christi certe non fuit frustrata.  $\beta$ ) Ex *sanctitate* reali Ecclesiae in superiore puncto descripta. Impossibile enim est, ut arbor tam bona non faciat bonos fructus (Matth. 12, 33), ut per media sanctificationis tam efficacia in Ecclesia reposita non reipsa multa semper membra modo prius descripto sanctificentur.

Sed dices: Intentio Christi et efficacia mediorum non est absoluta, sed ab hominum cooperatione dependet, ideoque per malitiam humanam frustrari potest; unde in fine

---

<sup>1)</sup> Cf. Palmieri § 50; Billot, De Ecclesia Christi t. 1 pg. 182 sqq.

mundi nec fides nec caritas erit (Matth. 24, 12; Luc. 18, 8). — Resp. Quamvis in singulis casibus cooperatio hominis cum gratia divina non sit certa, aliter tamen de toto genere humano dicendum. Merito namque supponitur voluntas Dei *efficax*, ne effectus redemptionis *omnino* frustretur, quod de singulis hominibus necessario supponi non potest. Item ex lege psychologica saepe moraliter certi esse possumus, quomodo homines *generatim*, non obstante sua libertate, acturi sint, quin de singulis eandem certitudinem habeamus. Quodsi nihilominus paulatim fides et caritas minuitur ac tandem aliquando ferme evanescit, hoc praecise iuxta praedictionem Christi unum ex signis consummationis saeculi esse videtur. Cum nimirum arbor generis humani iam fructus sufficientes ferre cessaverit, excidetur; et cum hoc corpus morale paulatim in corruptionem abierit, congregabuntur et aquilae ad devorandum (Matth. 24, 28). Ceterum animadverti etiam oportet, in locis obiectis fidei et caritatis imminutionem, non vero totalem defectum praedici.

2. Ex Scriptura. α) Sane cum Ecclesia a Paulo *sancta et immaculata* (Eph. 5, 27), et fideles a b. Petro (I ep. 2, 9) *gens sancta* dicuntur, nulla assignari potest ratio, cur haec verba de reali tantum, non vero de morali sanctitate intelligi debeant. β) Idem necessario deducitur ex doctrina Apostoli, quod corpus Christi, i. e. Ecclesia aedificari debeat usque in *virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (Eph. 4, 13), et quod Christus sit *salvator corporis eius* (5, 23). Ecclesia enim non aliter aedificatur, nec aliter salvatur, nisi per exercitium virtutum et bonorum operum (cf. I Cor. 3, 10). γ) Denique Christus promittit, *portas inferi nunquam praevalituras adversus Ecclesiam* (Matth. 16, 18); praevalerent autem, si sancta esse desineret et synagoga Satanae fieret, ut Lutherani calumniabantur. Hinc vides, sanctitatem Ecclesiae in ipsa eius indefectibilitate includi.

3. Ex *historia ecclesiastica*. Semper enim in Ecclesia conservabatur vera fides, semper frequentabantur sacramenta, quam plurimi semper fideles perfectionem evangelicam sectabantur, semper denique, licet non eodem numero et gradu, in Ecclesia floruerunt sancti etiam eximiae sancti-

tatis. Ergo vi inductionis concludi potest, praerogativam sanctitatis nec in posterum desituram esse; homines enim sub influxu earundem causarum moralium generatim etiam eodem modo agere solent.

322 **C.** *Ecclesia manifestative quoque sancta est ratione charismatum.*

Ultro fatemur, charismata gratis data, praesertim miracula, initio Ecclesiae abundantiora fuisse, eo quod tunc magis necessaria erant. «Ut enim, inquit *Gregorius M.*,<sup>1)</sup> ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda.» Falsum tamen, immo iuxta cl. *Kleutgen*<sup>2)</sup> haereticum esset dicere, charismata miraculosa Spiritus sancti omnino cessasse. — Probatur:

1. Christus non solum pro primis temporibus Ecclesiae, sed generatim miraculorum charisma credentibus promisit (Marc. 16, 17 sq): *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur. In nomine meo daemones eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt.* Generatim etiam et sine restrictione ad certum tempus Apostolus (I Cor. 12, 7 sqq) haec charismata enumerat tamquam effectus supernaturales, quos Spiritus sanctus in Ecclesia operatur. Praeterea Ecclesia his charismatibus ad probandam divinam suam missionem etiam semper indiget, licet non semper eodem gradu. Certe, teste Apostolo (I Cor. 14, 22), signa data sunt pro infidelibus; infideles autem semper erunt, quia plenitudo gentium nonnisi sub mundi finem ingressura est in Ecclesiam (Rom. 11, 25).

2. Idem constat ex traditione. Patres enim narrant miracula et ad ea provocant tamquam ad argumentum veritatis christianae religionis (154, 4); historia ecclesiastica omnibus temporibus aerae christianae innumera et fide dignissima refert miracula; Ecclesia pro canonizatione sanctorum exigit miracula sibi ius vindicat vera a falsis discernendi. Ergo absque iniuria Ecclesiae dici nequit, miracula in ea omnino cessasse; hoc siquidem perinde esset, ac sanctitatis internae florem externum negare.

<sup>1)</sup> Hom. 29 in Evang.

<sup>2)</sup> Theol. d. Vorzeit Bd. 2 n. 238.

Concludam ergo verbis s. *Augustini*:<sup>1)</sup> «Sanctam quoque Ecclesiam, matrem vestram, tamquam supernam Ierusalem, sanctam civitatem Dei honorate, diligite, praedicate. Ipsa est, quae fructificat in hac fide, quam audistis et crescit in universum mundum, quae malos in fine separandos, a quibus interim discedit disparilitate morum, tolerat in communione sacramentorum.»

#### ARTICULUS IV.

##### De infallibilitate Ecclesiae.

Demonstravimus in tractatu de traditione, Christum 323 tradidisse Apostolis eorumque successoribus magisterium authenticum ad praedicandam divinam revelationem (169). Demonstravimus insuper, per hoc magisterium revera depositum fidei semper incorruptum conservatum fuisse (174). Demonstravimus denique, hoc magisterium unacum reliquis potestatibus sacrae hierarchiae (ministerii et regiminis) constituere causam formalem Ecclesiae (291). In his autem, ut quisque videt, infallibilitas eiusdem Ecclesiae implicate iam continetur. Nihilominus quum de re plane fundamentali agatur, etiam explicite hanc praerogativam declarare et demonstrare necesse est. Semel enim hac praerogativa in tuto posita omnes haereses uno veluti ictu iugulantur. Ante omnia igitur exactam eius *notionem* praemittere oportet, qua haud paucae difficultates a limine praecluduntur.

#### I.

##### Notio infallibilitatis.

Infallibilitas Ecclesiae definiri potest: *Proprietas supernaturalis, vi cuius Ecclesia in custodia depositi fidei per assistentiam Spiritus sancti ab omni errore semper et necessario immunis conservatur.* In hac definitione tangitur causa formalis, materialis, finalis et efficiens, nec non subiectum et natura infallibilitatis; quae omnia probe pensanda sunt.

##### 1. Causa formalis seu forma infallibilitatis non est mera 324

<sup>1)</sup> Serm. 214 in trad. symb. n. 11.

inherrantia de facto, sed est *impossibilitas erroris et deceptionis*; infallibilis enim non est, qui non fallitur, sed qui falli non potest. Haec praerogativa igitur importat, quod Ecclesia nec falli nec fallere potest, ideoque ea tum ad docendum tum ad credendum pertinet. Infallibilitas in docendo appellatur infallibilitas *activa*, in credendo infallibilitas *passiva*.

2. *Finis est custodia depositi fidei.* «Neque enim, inquit conc. *Vaticanum* (Const. de Eccl. cap. 4),<sup>1)</sup> successoribus Petri Spiritus sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacere, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu *fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent.*» Eundem finem iam assignaverat conc. *Tridentinum* (Sess. V, Decr. de peccat. orig.)<sup>2)</sup>: ut scilicet doctrina fidei et morum «in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus christianus omni vento doctrinae circumferatur» (197).

3. Ex fine determinatur etiam *materia* seu *obiectum* infallibilitatis, quod duplex est: *primarium* et *secundarium*. *Primarium* et immediatum est ipsum depositum fidei sive *totum verbum Dei revelatum*; *secundarium* et mediatum sunt omnes veritates, quae, licet in se ipsis revelatae non sint, *necessario tamen cum deposito fidei connexae sunt.* — Tria porro ad efficacem depositi custodiam necessaria sunt: α) Ut Ecclesia infallibiliter testari possit, quae sit doctrina apostolica; β) ut eandem infallibiliter proponat et explicet; γ) ut exortas controversias infallibiliter diiudicet et veritatem contra errores ingruentes auctoritative, sanctione apposita, defendat. Ecclesia ergo infallibilis *testis* est, *magistra* et *iudex in rebus fidei et morum*, seu in iis omnibus, quae *immediate vel mediate* ad fidem et mores pertinent.<sup>3)</sup>

4. *Causa efficiens* infallibilitatis exprimitur verbis «*per assistentiam Spiritus sancti*». His verbis duo errores oppo-

<sup>1)</sup> Denzinger 1836.

<sup>2)</sup> Ibid. 787.

<sup>3)</sup> In «Adnot. in hoc cap.» (Coll. Lacens. pg. 598) tres partes officii depositi custodiendi assignantur, scilicet «tum divini verbi conservatio eaque segura, tum eius propositio et explicatio eaque certa, quaque omnis finiatur quaestio, tum eiusdem assertio vel defensio eaque valida, ne ullo Dei verbum inficiatur errore».

siti excluduntur:  $\alpha$ ) quod Ecclesia in suis definitionibus nonnisi industriae et mediis *mere humanis* innitatur. Concedimus quidem, immo demonstravimus (174), haec media revera adhibita fuisse, et exinde *moralis* certitudine conservationem incorruptam revelationis deduximus. Haec certitudo autem humanam quidem, sed non divinam fidem, qualis a Christiano postulatur, gignere potest. Fides divina enim nonnisi per testimonium divinum producit. Necesse igitur est, ut fides nostra ac proinde infallibilitas Ecclesiae in ipsum Deum tamquam in causam efficientem refundatur.<sup>1)</sup> — At  $\beta$ ) non requiritur *inspiratio* divina, sed talis *assistentia* Spiritus sancti sufficit, ut omnis error in fide et moribus necessario arceatur. Infallibilitas quippe Ecclesiae iuxta doctrinam catholicam longe differt ab inspiratione et infallibilitate s. Scripturae. Haec etenim infallibilis est, quia *Deum auctorem* habet, atque ideo ex ratione intrinseca et quoad *omnia et singula* (215). Documenta vero, quae emanant a magisterio ecclesiastico, *homines habent auctores* Deo assistente et praecavente errorem, ideoque non ex ratione intrinseca, sed ex extrinseca Dei assistentia tantum infallibilia sunt; neque quoad omnia et singula, sed in iis dumtaxat, quae fidelibus ab Ecclesia tenenda proponuntur.

5. *Subiectum* infallibilitatis est *tota Ecclesia*; non tamen eadem ratione. Cum enim infallibilitas sit qualitas magisterii authentici, hinc primario et in sensu *activo* residet in corpore pastorum, quibus magisterium fidei commissum est; et nonnisi secundario et in sensu *passivo* in plebe fidelium. Corpus porro pastorum est collegium petro-apostolicum seu totus episcopatus sub R. Pontifice tamquam suo capite. Infallibilitas ergo residet:  $\alpha$ ) in R. Pontifice per se spectato;  $\beta$ ) in toto episcopatu sive conciliariter congregato sive per totum orbem disperso;  $\gamma$ ) in plebe fidelium;  $\delta$ ) proinde in tota Ecclesia.

6. Denique *natura* infallibilitatis exprimitur verbis definitionis: *proprietas supernaturalis*. Dicitur videlicet: a. *Proprietas*, quia ex fine et essentia Ecclesiae tamquam sponsae et corporis mystici Christi necessario fluit, eique

<sup>1)</sup> Cf. Palmieri, De Rom. Pontif. Proleg. § 34.

soli nec ulli alii societati religiosae competit. — **b.** *Supernaturalis*; non enim ex viribus naturalibus, sed dono divino Ecclesia hac praerogativa fulget. Hinc patet, quam inepte Protestantes Ecclesiae et nominatim R. Pontifici exprobrant, quod attributum divinum sibi arrogent. Infallibilitas quippe increata, imparticipata et illimitata utique est attributum divinum; infallibilitas vero creata, participata et limitata minime. Immo, ut Philosophia docet,<sup>1)</sup> homo etiam naturaliter particulam quandam utique valde tenuem infallibilitatis, scilicet quoad prima et immediate evidentia principia possidet. — **c.** Si denique quaeritur, qualis gratia sit infallibilitas, an gratis data vel gratum faciens, habitualis vel actualis,<sup>2)</sup> in promptu est responsio. Infallibilitas namque in docendo est *charisma gratis datum*, quia non dependet a sanctitate doctorum; infallibilitas in credendo seu recta fides est *virtus* ideoque *gratia gratum faciens*. Liquet etiam, veram doctrinam et rectam fidem semper et necessario Ecclesiae praesto esse; sub hoc respectu ergo infallibilitas est aliquid *habituale*. At magisterium extraordinarium et solemnia iudicia fidei non semper exercentur; ideoque sub hac ratione infallibilitas donum *actuale* dici poterit.

Demonstrabimus iam infallibilitatis Ecclesiae *veritatem* seu *existentiam* iuxta datam explicationem, et deinde eius *extensionem* paulo accuratius determinabimus. De *subiecto* postea, scilicet in tractatu de Rom. Pontifice, commodius agemus.

## II.

### De veritate infallibilitatis.

325      **Thesis 90.** *Ecclesia in custodia depositi fidei infallibilis credenda est.*

Infallibilitas, «qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit» (conc. *Vatic.* Sess. IV cap. 4)<sup>3)</sup>, manifestissime tam in Scriptura quam in traditione continetur.

<sup>1)</sup> Cf. Egger, Propaed. n. 164.

<sup>2)</sup> Cf. Enchir. theol. dogm. spec. n. 339.

<sup>3)</sup> Denzinger 1839.

## A. In s. Scriptura occurrit:

1. Locus classicus (I Tim. 3, 14 sq): *Haec tibi scribo, . . . ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (στῦλος καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας). Consideremus ante omnia singulos terminos. Vox στῦλος significat *fulcrum*, cui aliquid innititur. Vox ἐδραίωμα (ab ἐδραῖον = firmum, cf. I Cor. 7, 37; Col. 1, 23) significat *firmamentum* seu *stabilimentum*. Utraque vox «columna et firmamentum» coniuncta exhibet ideam *columnae firmissimae*, quae concuti non potest. Vox ἡ ἀλήθεια non significat hanc vel illam veritatem, sed *veritatem simpliciter*, quae homines salvos facit et ad cuius agnitionem Deus omnes homines venire vult, nimirum doctrinam fidei christianae (Ioan. 8, 32; I Tim. 2, 4). Denique vox «Ecclesia» non ecclesiam particularem ephesinam, ut nonnulli ineptissime dixerunt, sed totam domum et Ecclesiam Dei vivi significat.

Ex obvia hac terminorum explicatione manifeste apparet, iuxta Apostolum inter Ecclesiam et veritatem christianam eam intercedere relationem, quae est inter columnam et quidem columnam firmam ac immobilem et rem huic columnae superimpositam. Columna firma autem et immobilis inconcusse sustentat rem superimpositam. Ergo iuxta Apostolum Ecclesia inconcusse sustentat veritatem christianam. Non sustentaret autem, sed labefactaret veritatem, si errorem doceret. Ergo verba Apostoli nil aliud sunt, quam circumscriptio sive aequivalens expressio «infallibilitatis Ecclesiae». <sup>1)</sup> Ergo.

---

<sup>1)</sup> Cf. Coll. Lacens. pg. 597. — Nonnulli Protestantes excipiunt, terminum «columna et firmamentum veritatis» ad Timotheum referendum esse, ac si diceretur: Quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna cum sis et firmamentum veritatis (elliptice subintellecto ὡς vel ὥν). Atvero, ut alia taceam, quis sibi persuadebit, Paulum vocare columnam et firmamentum veritatis eum, quem ut discipulum instruit? — Alii interpunctionem mutant et legunt: quae est *Ecclesia Dei vivi. Columna et firmamentum veritatis et manifeste magnum est pietatis sacramentum etc.*: et quidem eam maxime ob causam, ne sequens versus a particula *et* incipiat. At haec causa nulla est, cum s. Scriptura passim et ipse etiam Paulus orationem suam ab hac particula exordiri soleat

2. Aliud argumentum biblicum desumitur ex institutione *magisterii authentici et ordinarii*, de quo in tractatu de traditione egimus (169 sqq). Hoc namque magisterium: **a.** pollet *auctoritate irrefragabili et divina*, ita ut omnes sub poena damnationis ei credere teneantur (Marc. 16, 15 sq), ac perinde sit, Christum audire et magistros ab ipso constitutos audire (Luc. 10, 16). Atqui talis auctoritas necessario supponit et postulat infallibilitatem. Secus enini fieri posset, ut omnes homines sub poena damnationis errorem tamquam veritatem revelatam credere tenerentur; atque adeo, ut bene dicit cl. *Scheeben*,<sup>1)</sup> Deus causa esset directa erroris et seductor generis humani. — **b.** Auctoritati divinae praedicantium respondere debet *fides divina* audientium, et accipientium *non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei* (I Thess. 2, 13). Error autem vel falsitas nunquam potest esse verbum Dei, fide divina credendum. Ergo absoluta necessitate excluditur omnis error et falsitas. — **c.** *Finis* huius magisterii est, ut occurrant omnes *in unitatem fidei*, ut *non sint parvuli fluctuantes, nec circumferantur omni vento doctrinae* (Eph. 4, 14). Sine infallibilitate autem talis unitas et firmitas fidei impossibilis esset; ut ex ignorantia et malitia hominum a priori concluditur, et a posteriore ex historia omnium sectarum confirmatur. — **d.** *Medium*, quo talis fides gignitur, non est ingenium aut industria humana; sed est *assistencia Christi* usque ad consummationem saeculi, est Spiritus veritatis promissus et missus, docens *omnem veritatem* et manens cum ipsis in aeternum (Ioan. 14, 16; 16, 13). Magistri autem, qui ab ipso Christo proteguntur, et a Spiritu veri-

---

(cf. 1 Cor. 2, 1; Eph. 2, 1). Profecto fas non est, ut ob huiusmodi levissimas ratiunculas interpunctiones sensusque Scripturae mutantur, omnisque traditio vilipendatur. Non solum enim conc. Trident. (Sess. XIII cap. 1, apud Denzinger 874) verba «columna et firmamentum» ad Ecclesiam refert, sed fatente auctore Protestante Daille (in sermon. gallic. in I Tim. serm. 21) «omnia exemplaria graeca, latina, syriaca, arabica legunt et interpungunt non secus ac biblia nostra, ac praeterea cuncti Patres ita interpretati sunt, relatis extremis verbis ad Ecclesiam non ad mysterium pietatis.» Cf. Palmieri l. c. § 20.

<sup>1)</sup> Handbuch der kath. Dogmatik Bd 1 § 9 n. 106.

tatis docentur, errare non possunt. — e. *Effectus* horum omnium exprimitur illis verbis: *Portae inferi non praevalerunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Praevalerent autem portae inferi et vinceret diabolus, pater mendacii, si Ecclesia in errorem incideret.

**B.** Traditio infallibilitatem Ecclesiae theoretice et practice testatur.

1. Testimonium *theoreticum* reddunt Patres, quorum doctrina huc redit: «Presbyteri... cum episcopatus successionem *charisma veritatis certum*, secundum placitum Patris, acceperunt» (*Irenaeus*).<sup>1)</sup> Fides conservatur «per *doctorem veritatis*, qui non sinit ecclesias aliter intelligere, aliter credere» (*Tertullianus*).<sup>2)</sup> Hinc iuxta *Epiphanium*<sup>3)</sup> Ecclesia est «regia quaedam via, ac veritatis iter». Iuxta *Lactantium*<sup>4)</sup> «sola Ecclesia cath. est, quae verum cultum retinet: haec est *fons veritatis*, haec est *domicilium fidei*». Unde pulcherrime *Hieronimus*<sup>5)</sup> ait: «Poteram . . . omnes propositionum (falsarum) rivulos uno Ecclesiae sole siccare». *Augustinus* vero monet:<sup>6)</sup> «Contradicunt linguae multae, diversae haereses, diversa schismata personant, linguae multae contradicunt veraci doctrinae: tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, *a regula veritatis* noli discedere, et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum.»

2. Accedit testimonium *practicum* historiae ecclesiasticae. Sufficiat provocare ad unum alterumve factum: **a.** In dubio de veritate alicuius doctrinae non solum Scriptura, sed etiam traditio universalis Ecclesiae inquirebatur. — **b.** Haeretici hoc solo argumento redarguebantur: «Sic credit Ecclesia catholica», seu: «Sufficit declarare adversariis: haec non est doctrina Ecclesiae catholicae.»<sup>7)</sup> — **c.** Omnia concilia, inde a primo Hierosolymitano usque ad

<sup>1)</sup> Adv. haer. l. 4 c. 26.

<sup>2)</sup> De praescr. c. 28.

<sup>3)</sup> Haer. 59 n. 12.

<sup>4)</sup> De vera sap. l. 4 c. 30.

<sup>5)</sup> Adv. Lucif. n. 28.

<sup>6)</sup> In Ps. 30 enarr. 2 n. 8.

<sup>7)</sup> Athan., Ep. ad Epict. 3.

Vaticanum, sua decreta de fide his vel similibus proponunt formulis: *Visum est Spiritui sancto et nobis* (Act. 15, 28); quicumque autem haec decreta non admittebat, tamquam haereticus excommunicabatur. Atqui talis modus loquendi et agendi Ecclesiae ex una parte nonnisi ex firmissima persuasione propriae infallibilitatis procedere potuit; ex altera parte autem intolerabilis et blasphema arrogantia fuisset, si Ecclesia hac dote destituta esset. Ergo nil aliud relinquitur, quam Ecclesiam omnium saeculorum aut infallibilem aut synagogam satanae dicere; seu quod perinde est, *Christi Ecclesiam negare omnino*.

326 **Scholion.** Theologi etiam de infallibilitate synagogae quaestionem movent, eamque alii affirmative alii negative solvunt. Nobis cum Card. *Franzelin*<sup>1)</sup> haec statuenda esse videntur: α) Certe in synagoga divinitus institutum fuit magisterium fidei: *Et sciatis, quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. . . . . Labia enim sacerdotis custodient scientiam* (Mal. 2, 4. 7; Lev. 10, 11; Rom. 3, 2). — β) Sacerdotes non solum magistri, sed etiam iudices controversiarum fuerunt in rebus sacris, iisque Israelitae obtemperare tenebantur (Deut. 17, 8; cf. Matth. 23, 2). — γ) At quantumvis magna esset auctoritas magisterii Aaronici, nullum tamen profertur testimonium, quo charisma infallibilitatis eidem certo collatum fuisse probetur. — δ) Nihilominus concedi debet, in synagoga religionem divinam incorruptam conservatam fuisse; non quidem unice per medium ordinarium sacerdotum, sed simul per medium extraordinarium *prophetarum*: «Si quando, subdit idem eminentissimus auctor, magisterium ordinarium sua culpa deficeret, charisma propheticum magisterii extraordinarii supplebat defectum . . . . . Infallibilis itaque depositi custodia erat utique etiam in Ecclesia mosaica, non tamen per promissam perennem assistentiam Spiritus veritatis pro magisterio ordinario (sicut in N. T.); sed quatenus munus utrumque, ordinarium sacerdotii et extraordinarium prophetiae, consideratur coniunctum.»

<sup>1)</sup> De Eccl. Chr., thes. 3, II.

## III.

## De infallibilitatis extensione.

Demonstrata existentia infallibilitatis, eius *extensio* determinanda est, et quidem tum ratione *muneris*, quo Ecclesia in docendo fungitur, tum ratione *obiecti*, quod ab ea proponitur.

**Thesis 91.** *Infallibilitas Ecclesiae se extendit ad triplex munus: testis, doctoris et iudicis in controversiis fidei.* 327

1. *Ecclesia est infallibilis testis fidei.* Christus enim expresse dixit Apostolis: *Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (Act. 1, 8). Apostoli autem non per se personaliter, sed nonnisi moraliter per suos successores «usque ad ultimum terrae» testes esse et Christo testimonium ferre poterant (cf. Ioan. 15, 26; Act. 5, 30—32; 10, 41; 22, 15; 26, 16 etc.). Ergo Ecclesia docens, quae ex Apostolorum successoribus consistit, est *testis* fidei et quidem *testis infallibilis*. Si enim testis errare potest, erroneum quoque esse potest testimonium; ac proinde Ecclesia errorem pro verbo Dei tradere et testificari posset. Unde Christus signanter dixit (Act. 1, 8): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes*; id est virtus Spiritus sancti efficiet, ut Apostoli eorumque successores sint testes idonei, atque ideo testes infallibiles Christi.

2. *Ecclesia est infallibilis fidei doctor.* Demonstravimus enim (204), quod cum munere custodiendi depositum fidei necessario nexus est doctoratus infallibilis. Sed munus custodiendi depositum fidei collatum est successoribus Apostolorum seu Ecclesiae docenti. Ergo Ecclesia est infallibilis fidei doctor.

3. *Ecclesia est infallibilis iudex in controversiis fidei.* Attenta enim hominum ignorantia ac malitia, attentis intrinsicis verbi Dei scripti et traditi difficultatibus, a priore iam supponendum est, controversias fidei exorituras; a posteriore id historia ecclesiastica confirmat. Necessarius ergo est iudex controversiarum, prouti iam in synagoga fuit (Deut. 17, 8), et prouti in quavis societate iudices reperiuntur. Iudex autem in controversiis fidei manifesto nec

ratio privata est (250 sq), neque plebs fidelium;<sup>1)</sup> sed collegium petro-apostolicum, cui custodia et magisterium fidei commissa sunt. Eiusdem enim est, docere ac difficultates solvere. Porro cum munere iudicis etiam munus *vindicis* fidei connexum est; controversiae enim efficaciter terminari non possent, nisi refractarii coerceri, eorum scripta proscribi ac pertinaces a fidelium coetu seiungi possent. Ecclesia hoc ius etiam semper sibi vindicavit. Atqui evidens plane est, huic quoque muneri infallibilitatem annexam esse oportere. Quoties enim Ecclesia munus iudicis agit et sententiam definitivam fert, toties fideles ad assensum internum, et quidem haud raro sub poena excommunicationis, obligat. Nisi ergo huiusmodi iudicia infallibilia essent, tota Ecclesia, tam docens quam discens, in errorem compellere-tur.

328 **Thesis 92.** *Obiectum, ad quod Ecclesiae infallibilitas se extendit, est duplex: α) primum seu directum, nimirum omnes et singulae veritates revelatae; β) secundarium seu indirectum, i. e. omnes veritates, quae, licet in se revelatae non sint, cum revelatione tamen necessario cohaerent.*

**A.** *Infalibilitas magisterii ecclesiastici primario se extendit ad omnes et singulas veritates revelatas.*

Assertio est de fide, ac post demonstratam Ecclesiae infallibilitatem in genere plane evidens. Finis namque, ob quem Christus sponsam suam divina hac praerogativa decoravit, est praedicatio et conservatio revelationis, seu, ut dici solet, custodia depositi fidei (I Tim. 6, 20). Haec custodia autem debet esse fidelis, ut nulla gemma huius thesauri, i. e. nulla veritas revelata ex eo depereat. Hinc expressum illud praeceptum Christi ad Apostolos, ut doceant gentes *servare omnia*, quaecunque mandavit (Matth. 28, 20); hinc expressa promissio Spiritus veritatis, ut doceat *omnem* veritatem; hinc denique revelatio semper ut *unum*

<sup>1)</sup> Pulchre s. Gregor. Naz., Or. 19 n. 10 ait: «Oves pastores vestros ne pascite, nec supra fines vestros assurgite; satis enim vobis est, si recte pascamini. Nolite iudicare iudices, nec legislatoribus leges praescribite; non est enim dissensionis et confusionis Deus, sed pacis et ordinis.»

*totum et indivisum, ut veritas et evangelium* (ἡ ἀλήθεια, τὸ εὐαγγέλιον) exhibetur. Ergo infallibilitas Ecclesiae ad *omnes et singulas veritates revelatas* se extendit. Profecto, si Ecclesia vel in *una sola* falli posset, de omnibus dogmatibus ab ipsa propositis dubitare liceret.<sup>1)</sup>

Quapropter ad obiectum primarium infallibilitatis referri debent: **a.** Omnes res *fidei* (sensu stricto), scilicet veritates *dogmaticae*, e. g. Trinitatis, Eucharistiae; ac *morales* e. g. de virtutibus, peccatis, officiis et consiliis. Immo ipsa lex naturalis totusque ordo moralis huc pertinet, cum in verbo Dei non solum supponatur, sed etiam contineatur. Haec omnia ergo Ecclesiae iudicio subsunt; tanto magis, quia etiam sanctitas Ecclesiae vacillaret, si ea ut bonum ac licitum docere posset aliquid, quod malum aut vitiosum est; vel vice versa. — **b.** *Fontes*, ex quibus revelatio ad nos derivatur: tam Scriptura eiusque inspiratio, canon et interpretatio, quam traditio eiusque legitimus usus; haec omnia enim ad depositum fidei pertinent. — **c.** Propria denique *Ecclesiae infallibilitas*, iudicium de vero sensu dogmatum ac definitionum dogmaticarum; nec non de conditionibus ad infallibilem definitionem requisitis, quae nisi infallibiliter cognoscerentur, ipsa infallibilitas illusoria esset.<sup>2)</sup>

**B. Infallibilitas Ecclesiae se extendit etiam ad veritates omnes, quae, licet in se revelatae non sint, necessario tamen cum revelatione cohaerent.** 329

Cum revelatione multipliciter aliquid cohaerere potest. Nonnullae veritates enim sunt revelationis *praeambulae*, e. g. principia rationalia; revelatio quippe rationi innitur. Aliae veritates, tamquam *conclusiones theoreticae* aut *consectaria practica*, ex veritatibus revelatis legitimo ratiocinio deducuntur. Praeterea omnes ferme *scientiae* proprius vel remotius revelationem tangunt eamque non quidem ex natura sua, sed ex ignorantia aut malitia eorum, qui scientias profitentur, in discrimen vocare possunt. Denique revela-

<sup>1)</sup> Cf. Ioan. 17, 17; I Tim. 2, 4; 3, 15; Gal. 1, 8. Consule, quae de unitate fidei contra Latitudinarios diximus (316); cf. Groot, Summa apologet. quaest. 9 art. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Franzelin, De div. Tradit. thes. 12 schol. 1, pg. 121 sqq (ed. 3).

tionis custodia cum *factis historicis* ita saepe cohaeret, ut error circa factum errorem importet circa doctrinam. Quare totus propemodum ordo naturalis cum supernaturali plus minusve connexus est. — Dicimus ergo, Ecclesiam circa huiusmodi veritates non quidem secundum se, sed *quatenus cum revelatione cohaerent*, infallibilem esse. Assertio, ut inquit *Franzelin*,<sup>1)</sup> «omnibus theologis consentientibus ita certa est, ut eius negatio error esset, vel ex plurium sententia etiam haeresis, quamvis hactenus explicite haereseos damnata non sit».

Prob. 1. Finis infallibilitatis est custodia depositi fidei. Atqui depositum fidei manifesto custodiri nequit, nisi Ecclesia etiam circa veritates cum fide *necessario* connexas infallibilis sit. Ergo. — Aliis verbis: Non potest veritas efficaciter custodiri, nisi *omnis* error eidem oppositus efficaciter arceatur. At veritatibus revelatis non solum opponi possunt errores in materia fidei, sed etiam errores in rebus naturalibus.

2. Idem manifesto probatur ipsismet testimoniis bibli-  
cis, quibus infallibilitas Ecclesiae generatim demonstratur. Cum enim promittitur Spiritus sanctus docens *omnem veritatem* (Ioan. 16, 13), procul dubio omnes illae veritates intelliguntur, quae veram fidem et bonos mores mediate vel immediate respiciunt. Praeterea infallibilitas data est, ne simus *parvuli fluctuantes nec circumferamur omni vento doctrinae* (Eph. 4, 14). Sed huiusmodi circumventio non solum per apertas haereses fieri potest, sed etiam per *oppositiones falsi nominis scientiae* (I Tim. 6, 20), aut *per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum* (Col. 2, 8). Cum denique Ecclesia *columna et fir-*

---

<sup>1)</sup> L. c. pg. 123. Cf. etiam relationem Vincentii Gasser in cap. 4 constit. 1 de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 415): «Omnes omnino cath. theologi consentiunt, Ecclesiam in huiusmodi veritatum (quae «non quidem per se ad depositum fidei, sed tamen ad custodiam depositi fidei spectant») authentica propositione ac definitione esse infallibilem, ita ut hanc infallibilitatem negare gravissimus esset error. Sed opinionum diversitas versatur unice circa gradum certitudinis», utrum scilicet hoc de fide sit, an tantum theologice certum. Lectu dignissima etiam sunt, quae hac de re scribit Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 n. 93 sqq.

*mamentum veritatis* dicitur, profecto adseritur, eam nullo modo nutare posse; nutaret autem Ecclesia, nisi omnes errores omnemque falsitatem fidei directe vel indirecte oppositam infallibiliter cognosceret et propulsaret.

3. Ecclesia practice et theoretice persuasionem propriae infallibilitatis non solum circa revelationem, sed etiam circa veritates cum revelatione connexas clare manifestavit.

a. *Practice* quidem, dum magisterium suum etiam circa hoc obiectum secundarium eadem cum auctoritate et certitudine, ac circa obiectum primum, exercuit. Sive enim aliquam propositionem ut haereticam, sive sub minore censura damnaret, semper Ecclesia a fidelibus assensum internum et firmum hisce decretis praestandum postulavit; immo haud raro poenam excommunicationis in refractarios fulminavit. Hoc praesertim elucet ex damnatione articulorum Wiclifi et Huss in concilio Constantiensi, ex damnatione Baianorum, Iansenistarum et synodi Pistoriensis etc. Irrationale autem, crudele et impium esset, fideles sub peccato, immo sub anathematis poena, ad assensum internum in sententiam, quae erronea esse possit, obligare. — b. *Theoretice*. Sane a Pio IX. damnata est prop. 22 Syllabi: «Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.»<sup>1)</sup> Conc. *Vaticanum* (Sess. III cap. 4 de fide et ratione)<sup>2)</sup> expresse docet, quod Ecclesia «ius et officium *divinitus* habet, falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam»; et (can. 2)<sup>3)</sup>: «Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint, anathema sit.» Post canones denique de fide et ratione concilium ita concludit: «Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi

<sup>1)</sup> Denzinger 1722.

<sup>2)</sup> Ibid. 1798.

<sup>3)</sup> Ibid. 1817.

etiam constitutiones et decreta, quibus pravae eiusmodi opinioniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.»<sup>1)</sup>

330 **Thesis 93.** *Ecclesia speciatim infallibilis est: α) in factis dogmaticis, β) in rebus disciplinae ecclesiasticae, γ) in canonizatione sanctorum, δ) in approbatione ordinum religiosorum, ε) nec non in conclusionibus theologicis, in quaestionibus scientificis cum revelatione connexis atque in ferendis censuris theologicis.*

Licet infallibilitas Ecclesiae quoad obiecta enumerata in ultima parte thesis praecedentis implicite iam demonstrata fuerit, propter speciales tamen rationes auctores infallibilitatem Ecclesiae quoad certas obiectorum classes ex professo tractare solent. Et quidem

**A. Quoad facta dogmatica.** — Est autem *factum dogmaticum* generatim quodvis factum revelatum, e. g. nativitas Christi in Bethlehem; vel factum cum dogmate connexum, e. g. legitima celebratio alicuius concilii. Post exortam vero controversiam cum Iansenistis formula «factum dogmaticum» significatione paulo restrictiore sumi assolet. Cum enim a Sede apostolica quinque propositiones ex libro Iansenii „*Augustinus*“ inscripto excerptae et proscriptae fuissent, Iansenistae ad damnationem effugiendam contendebant, quinque illas propositiones merito quidem damnatas esse, eas tamen iuxta sensum damnatum in libro Iansenii non contineri. Cum autem Rom. Pontifices (*Alexander VII.* et *Clemens XI.*) illas propositiones iterum et quidem expresse «in sensu ab auctore intento» damnarent, atque ex parte fidelium non solum *silentium obsequiosum*, sed «internum obsequium veramque orthodoxi hominis obedientiam» postularent: Iansenistae decreta pontificia iterum eludere conabantur. Dicebant enim, Ecclesiam infallibilem quidem esse in *iure*, i. e. in discernenda orthodoxia vel heterodoxia alicuius doctrinae; at in definiendo *facto*, an talis doctrina in aliquo libro contineatur, infallibilem non esse.

<sup>1)</sup> Denzinger 1820. Quaestiones subtiliores de objecto primario et secundario infallibilitatis Ecclesiae, nec non de fide subiectiva eidem correspondente postea cum de regula fidei agemus, solventur.

Factum igitur dogmaticum in praesente quaestione est *doctrina orthodoxa vel heterodoxa, prouti in libro aliquo continetur*. Dicitur *factum*, quia revera est quaestio facti, utrum talis doctrina in aliquo libro contineatur, nec ne.<sup>1)</sup> Dicitur *dogmaticum*, quia quaeritur, an doctrina huius libri orthodoxa vel heterodoxa sit. — Ad accuratam autem definitionem status quaestionis, quae in controversia cum vaferrimis haereticis maxime necessaria est, ulterius distinguere debet inter sensum auctoris mere *internum* seu *subiectivum*, ut aiunt; et sensum, quem vocant *obiectivum*, scilicet «sensum obvium, quem ipsamet verba prae se ferunt», ut *Innocentius XII. dicit*.

His positis non quaeritur de meris factis, an liber sit huius vel illius auctoris; nec quaeritur, an aliqua propositio totidem verbis aut syllabis in aliquo libro legatur; nec quaeritur, an auctor, cuius propositiones damnantur, eum sensum in mente habuerit; sed quaeritur unice, an Ecclesia infallibilis sit in definienda orthodoxia vel heterodoxia alicuius libri *vel* propositionis iuxta sensum ab auctore in *libro expressum*.<sup>2)</sup>

Propositio probatur 1. ex *natura* et *fine* magisterii Ecclesiae. Sane a. Ecclesia ad exercendum infallibile suum magisterium non solum sacra Scriptura, sed etiam libris et scriptis non inspiratis utitur, e. g. scriptis Patrum, doctorum, actis conciliorum etc. Hoc autem manifesto postulat, ut Ecclesia sensum istorum librorum infallibiliter discernere valeat, seu ut infallibilis sit in factis dogmaticis. — Aliis verbis. Ecclesia suum magisterium exercere nequit, nisi et haereticos eorumque libros nocivos infallibiliter diiudicare fidelesque a pabulo venenoso efficaciter arcere queat. Sed hoc iterum infallibilitatem in diiudicandis textibus dogmaticis exigit. — b. Finis huius magisterii ex saepe dictis est *unitas* et *firmitas* fidei; neque solum unitas et firmitas fidei internae, sed etiam professionis fidei per *formam sanorum verborum* (II Tim. 1, 13), *devitatis profanis vo-*

<sup>1)</sup> Quoniam factum, de quo quaeritur, est aliquis textus, hinc nonnulli auctores loquuntur de infallibilitate Ecclesiae in *textibus et factis dogmaticis*.

<sup>2)</sup> Cf. Mazzella n. 817 sqq.

*cum novitatibus* (I Tim. 6, 20). Necesse ergo est, ut Ecclesia formam sanorum verborum infallibiliter discernere valeat a profanis vocum novitatibus. Quodsi in his infallibilis non esset, omnes haeretici damnationem Ecclesiae sub praetextu, se non rite fuisse intellectos, commode declinare possent; ut historia Iansenismi ostendit. Profecto, Ecclesia in hac hypothesis infallibilis esset in abstracto, non in concreto!

2. Ex praxi Ecclesiae, quae haereses et haereticorum libros damnavit, plenumque his decretis assensum exegit. Sic conc. *Nicaenum* damnavit Arii librum «Thalia» inscriptum; concilium *Ephesinum* damnavit scripta Nestorii, s. Cyrilli libros approbavit; concilium *Constantinopol. II.* tria capitula damnavit; concilium denique *Constantiense* quemcunque suspectum interrogari iussit, «utrum credat, Wiclif et Huss fuisse haereticos, libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos». <sup>1)</sup> — Obiiciunt Iansenistae pugnam inter conc. Chalcedonense, quod sic dicta tria capitula non damnavit, et conc. Constantinopol. II., quod ea damnavit. At haec pugna fictitia est. Concilium namque Chalcedonense non damnavit quidem, sed neque *probavit* tria capitula; abstinuit enim ex prudente oeconomia a sententia ferenda. Pugna autem esset quidem inter approbationem et proscriptionem, non vero est inter proscriptionem et silentium. Sed de his consule historicos. <sup>2)</sup>

332 B. *In sancienda disciplina ecclesiastica pro Ecclesia universali.* — Nomine *disciplinae ecclesiasticae* ea omnia intelliguntur, quae ab Ecclesia ad cultum vitamque christianam dirigendam statuuntur, e. g. quoad ritum sacramentorum, publicas preces, politiam externam, vitam et habitum clericorum, et generatim in iis, quae ad *regimen* Ecclesiae pertinent. Non dicimus autem, huiusmodi sanctiones disciplinares semper omnium optimas, utilissimas atque adeo prudentissimas esse. Sed, praetermissa quaestione de utilitate et prudentia istarum legum, id unum affirmamus, Ec-

<sup>1)</sup> Denzinger 660.

<sup>2)</sup> Hefele, Conciliengeschichte Bd 2; Iungmann, Dissert. in hist. eccl. t. 2 diss. 11. — Iansenistae opponunt etiam damnationem Honorii per concilium Constantinopol. III.; sed de hac difficultate loquemur in tractatu de Rom. Pontifice; cf. interim Perrone n. 407.

clesiam ita dirigi a Spiritu sancto, ut nihil unquam *contra fidem et bonos mores*, *contra bonum religionis ac salutem animarum* per sententiam definitivam omnes obligantem decernat.

Hoc 1. sequitur ut corollarium ex fine infallibilitatis, quippe quae eo tendat, ut fideles sana doctrina pascantur et aedificentur. Atqui Ecclesia aedificat et pascit non solum docendo speculative, sed etiam per leges disciplinares. Ergo. — Idem confirmatur noto illo axiome: *lex orandi est lex credendi*.

2. Apostoli legi, certe disciplinari, ut fideles abstineant *ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato*, apposuerunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis* (Act. 15, 28 sq).

3. Conc. *Tridentinum* (Sess. VII can. 13 et XXII can. 7)<sup>1)</sup> sub poena anathematis prohibet contemptum caeremoniarum in administratione sacramentorum et celebratione s. missae. *Pius VI.* propositioni 78 synodi *Pistoriensis*: «. . . quasi Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset, non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patitur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum,» has notas inurit: *falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.*<sup>2)</sup>

C. *In canonizatione sanctorum.* — Est autem *canonizatio* 333 solemne et definitivum Ecclesiae iudicium de sanctitate, gloria et cultu alicuius hominis defuncti. Canonizationi praecedere solet *beatificatio*, quae pariter est sententia Ecclesiae de sanctitate et gloria alicuius hominis defuncti; at sententia nondum est definitiva, neque, ut *Benedictus XIV.* ait,<sup>3)</sup> «praecipiens, sed indulgens et permittens». In canonizatione vero servus Dei *iudicio definitivo* omnibus fidelibus tamquam patronus et exemplar christianae virtutis ac sanctitatis proponitur eiusque cultus vel praecipitur vel saltem consulitur. De hac ergo canonizatione sive formali sive

<sup>1)</sup> Denzinger 856, 954.

<sup>2)</sup> Ibid. 1578.

<sup>3)</sup> De canoniz. et beatif. serv. Dei l. 1 c. 42 n. 10.

aequipollente infallibilitas Ecclesiae adseritur; non vero de beatificatione, licet solemniter a R. Pontifice pronuntiata, multoque minus de beatificatione ab episcopis iuxta antiquam disciplinam facta, neque etiam de cultu alicuius sancti, qui a Sede apostolica mere permittitur pro certis locis vel regionibus. Quare etiam inscriptio in Martyrologio Rom. non est signum certum sollemnis canonizationis, quia in eo reperiuntur etiam nomina servorum Dei, qui in album sanctorum numquam a summis Pontificibus relati sunt, sed tantum beatificati dici possunt. Ita Benedictus XIV. (l. c. n. 14).

Quoad valorem dogmaticum nostrae propositionis plures graves Theologi eius contradictoriam dicunt *haereticam*; Benedictus XIV. vero dicit: «Si non haereticum, temerarium tamen, scandalum toti Ecclesiae afferentem, in sanctos iniuriosum, sapientem haeresim et gravissimis poenis obnoxium eum dicemus, qui auderet asserere, Pontificem in hac aut illa canonizatione errasse.» — Sane:

1. Conceptus infallibilitatis exigit, ut Ecclesia non possit aliquid definire, quod fidei vel bonis moribus repugnet. Atqui repugnat fidei, bonis moribus et sanctitati Ecclesiae, ut homo damnatus ab omnibus fidelibus colatur tamquam sanctus; ut tamquam exemplar virtutis et patronus invocetur, qui non solum peccator fuit, sed impoenitens decessit; ut sacrificium missae in honorem hominis damnati offeratur. Haec autem omnia fieri possent, si Ecclesia in canonizatione sanctorum non esset infallibilis.

2. Idem sequitur ex dogmate de cultu sanctorum. Docet enim conc. *Tridentinum* (Sess. XXV),<sup>1)</sup> «sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare;... illos vero, qui negant, sanctos invocandos esse aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam... impie sentire». Praeterea docet s. synodus, reliquias et imagines sanctorum utiliter retineri et honorari. Atqui haec ex mente concilii certe non de sanctis veluti in abstracto, sed de illis sanctis valent, quos Ecclesia ut tales veneratur.

---

<sup>1)</sup> Denzinger 984.

Profecto, sicut infallibilitas Ecclesiae in abstracto nihil prodesset, nisi in concreto Ecclesia infallibiliter docere posset, hunc vel illum textum esse verum vel falsum; ita dogma de cultu sanctorum inutile ac ferme illusorium esset, nisi scire possemus, quinam sint illi, quos in concreto ut sanctos colere debeamus. Ergo Ecclesia sicut in aliis factis dogmaticis, ita etiam in canonizatione sanctorum infallibilis est.

3. Deus sanctitatem eorum, quos Ecclesia ut sanctos colit, etiam miraculis comprobavit. Ergo ipse Ecclesiam in errorem induxisset.

4. Homo damnatus nec honorandus, nec invocandus est, nec pro nobis orat, et esset revera quaedam idololatria, damnatum venerari et invocare ut amicum Dei. Si ergo Ecclesia in canonizatione alicuius sancti erraret, revera esset «error damnabilis», ut s. *Thomas* ait; immo esset fere error in fide, quia «honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus».<sup>1)</sup>

5. Ecclesia ipsa se in canonizatione sanctorum infallibilem esse ostendit. Utitur enim formulis similibus ac in definitionibus fidei: Decernimus, declaramus, definimus; invocatur solemniter Spiritus sanctus; immo expresse ad assistentiam Dei provocat: «Confidentes, quod in hac canonizatione non permittat nos Deus errare» (Sixtus IV., Bulla «Superna caelestis» in canonizatione s. Bonaventurae); «de Spiritus sancti singulari patrocínio atque *infallibili assistentia* confisi» (Sixtus V. in Bulla «Rex regum» de canonizatione s. Didaci).

**Corollarium.** Plures graves Theologi docent, Ecclesiam etiam in beatificatione sanctorum infallibilem esse; alii id negant: «Iudicium papae, inquit *Benedictus XIV.* (l. c.), in beatificatione non est praecipiens, sed indulgens ac permittens, de cuius essentia non est, ut sit infallibile; cum certum esse sufficiat, non quidem certitudine infallibilitatis aut fidei, sed ea tantum morali certitudine, qua Pontifex prudenter ac sapienter agit, indulget atque permittit.»

**Obiectio.** Coluntur ab Ecclesia sancti, qui nunquam exstiterunt. — Resp. Nego, saltem cum de canonizatis agitur.

---

<sup>1)</sup> Quodlib. 9 a. 16.

Thesis nostra autem affirmat infallibilitatem Ecclesiae quoad solemnem canonizationem sanctorum.

- 334 **D. In approbatione ordinum religiosorum.** — Ordo religiosus generatim est societas, quae per tria vota: paupertatis, castitatis et obedientiae, sub certa institutorum forma ab Ecclesia approbata, ad perfectionem tendit. Essentia status religiosi omnibus ordinibus communis in tribus memoratis votis consistit; certa forma statutorum autem est veluti differentia specifica, qua unus ordo ab alio distinguitur. Quaestio heic non est de infallibilitate Ecclesiae in approbatione status perfectionis per tria illa vota generatim; hic quippe status in ipso Evangelio commendatur, ideoque ad obiectum primum infallibilitatis pertinet. Quaestio est, an Ecclesia infallibilis sit in approbatione *certi ordinis* sub certa forma statutorum. Sed in hac iterum duo distinguere debent: iudicium *doctrinale*, an talis vita honesta sit atque via ad perfectionem; et iudicium *prudentiale*, an in talibus adiunctis talem ordinem admittere vel retinere expediat. Nostra propositio ex communi sententia Theologorum ad iudicium doctrinale refertur. «Cum aliqua religio, inquit s. Thomas,<sup>1)</sup> per Sedem apostolicam instituta est, manifeste se damnabilem ostendit, qui talem religionem damnare conatur.» Et s. Bonaventura dicit,<sup>2)</sup> «quod Spiritu sancto dicente, istum modum vivendi summus Pontifex approbavit».

Propositionem cum *Suaresio*<sup>3)</sup> sic breviter probamus: «Pontifex (seu Ecclesia) errare non potest in his, quae ad mores pertinent cum gravi detrimento universalis Ecclesiae; talis autem esset praedictus error. Quia, licet non tota Ecclesia observet modum vivendi unius religionis approbatae, nihilominus talis religio pro universa Ecclesia approbatur, et omnibus fidelibus proponitur ut via segura non solum ad salutem, sed etiam ad perfectionem. Ergo error in tali approbatione in universalis Ecclesiae perniciem, quantum in se est, redundaret.»

<sup>1)</sup> Contr. impugn. relig. c. 4.

<sup>2)</sup> Quaest. disp. de perfect. Evang. q. 2 a. 1 (ed. Quaracchi t. 5 pg. 130).

<sup>3)</sup> De statu religioso l. 2 cap. 17 n. 18.

E. *In conclusionibus theologicis, in quaestionibus scientificis cum revelatione connexis atque in ferendis censuris theologicis.* 335

1. *Conclusio theologica* est propositio, quae ex fontibus fidei ope ratiocinii deducitur. Dico „*ope ratiocinii*“; si enim ex sola terminorum explicatione resultat, non est proprie *conclusio*, quia conclusio est deductio legitima ex duabus praemissis, ideoque est pars ratiocinii. Dico *ex fontibus fidei*, sive ex una sive ex pluribus revelatis veritatibus; alioquin esset conclusio philosophica.

Hoc posito  $\alpha$ ) non loquimur hic de illis veritatibus, quae implicite in revelatione continentur, ac sola explicatione terminorum inde eruuntur. Huiusmodi veritates enim non pertinent ad obiectum secundarium, sed ad primum infallibilitatis, idque ex dictis (328) est de fide. Sic in propositione: Christus est verus homo, includitur altera: ergo habet veram carnem, non phantasticam. Haec non est conclusio theologica tantum, sed propositio in se revelata.  $\beta$ ) Loquimur ergo de veritatibus, quae sunt fructus *proprie dicti ratiocinii* sive ex una sive ex pluribus propositionibus revelatis, theoreticis vel practicis vel historicis. Huiusmodi propositiones essent: Maria fuit immunis a fomite, omnes homines habent angelum custodem.

De his igitur affirmamus esse fidei proximum, infallibilitatem Ecclesiae ad tales conclusiones se extendere. Profecto,  $\alpha$ ) in antecedente virtualiter iam continetur consequens. Si ergo Ecclesia erraret circa consequens, erraret quoque circa antecedens, quia falsitas consequentis, supposita legitima consequentia, necessario inducit falsitatem antecedentis. Si ergo Ecclesia ex *revelato* antecedente falsum deduceret consequens, eo ipso error redundaret in veritatem *revelatam*.  $\beta$ ) Ecclesia reipsa saepe dogmatice definit veritates, quae non sunt immediate revelatae, sed ex revelatis deducuntur; e. g. Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere tamquam ab uno principio; essentiam divinam neque generare neque generari; in Eucharistia fieri conversionem totius substantiae panis et vini eamque dicendam esse transsubstantiationem, etc. Atqui Ecclesia non po-

test obligare fideles ad credendum nisi id solum, quod est infallibiliter verum.<sup>1)</sup> Ergo.

2. *Quaestiones scientificae* sunt illae quae ad philosophiam aliasque scientias naturales spectant. Atqui ex dictis liquet,  $\alpha$ ) eas per se et directe ab infallibilitate ecclesiastica non attingi. Infallibilitas quippe unice ad custodiam fidei Ecclesiae concessa fuit.  $\beta$ ) At ex eadem ratione liquet etiam, quaestiones etiam per se mere scientificas quandoque in ambitum magisterii infallibilis Ecclesiae incidere; non ex natura sua, sed plerumque ex vitio hominum. Ponamus e. g. philosophum catholicum docentem, rationem personalitatis in conscientia sui ipsius consistere, vel obiectum idearum universalium esse ipsum Deum: quis non videt, huiusmodi sententias per se philosophicas in discrimen vocare fundamentalia dogmata fidei? Decret. «Lamentabili» error 5: Cum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.<sup>2)</sup> — Sed consulantur argumenta superius allata (329).

3. *Censura theologica* est iudicium, quo doctrina aliqua notatur tamquam fidei ac religioni nociva, cum e. g. haeretica vel scandalosa declaratur.<sup>3)</sup> Dicimus ergo, infallibilitatem Ecclesiae ad ferendas censuras se extendere, atque adeo infallibiliter verum esse, sententiam aliquam revera illam censuram mereri, quae ei a corpore pastorum una cum suo capite, R. Pontifice, aut ab hoc solo quidem, sed e cathedra loquente, inuritur.<sup>4)</sup> Non loquimur ergo de censuris doctrinalibus, quibus propositio aliqua notatur a Theologis; neque de censuris inflictis a ss. Congregationibus Romanis; sed loquimur de censuris ab ipsa Ecclesia docente, quae est subiectum infallibilitatis, alicui sententiae inustis. — Necessesse autem non est, ut novis argumentis infallibilitatem Ec-

---

<sup>1)</sup> Qua fide huiusmodi propositiones credi possint et debeant, declarabimus, cum de regula fidei agemus (460 sqq).

<sup>2)</sup> Denzinger 2005.

<sup>3)</sup> De variis speciebus et gradibus censurarum suo loco agemus (459).

<sup>4)</sup> Cf. Kleutgen, Instit. theol. n. 96 sq; Theol. d. Vorzeit, Bd. 1 n. 81—86.

clesiae in ferendis censuris probemus; cum omnia, quae n. 329 praesertim sub 2 et 3 attulimus, huc revocari possint.

At dices: Propositiones huiusmodi ab Ecclesia non semper damnantur ut *haereticæ* vel *erroneæ* vel *falsæ*; sed aliquando ut *scandalosæ*, *seditiosæ*, *pias aures offensivæ* aliisque similibus censuris. Fieri autem potest, ut doctrina aliqua ex specialibus temporum adiunctis scandalosa vel seditiosa existat, etiamsi vera sit. Cum ergo infallibilitas unice *veritatem* vel *falsitatem* doctrinae respiciat, ea non extenditur ad censuras, saltem non ad omnes. — Resp. Distinguendum in primis est inter *prohibitionem* et *censuram*. Aliud quippe est, prohibere, ne aliqua sententia doceatur; aliud est, talem sententiam proscribere ac damnare. Quo posito concedimus quidem, doctrinam aliquam per se veram quandoque per *accidens* in damnum aut scandalum vergere vel *pias aures* offendere posse: ac propterea concedimus, talem doctrinam aliquando iure *prohiberi* posse, quae alio tempore doceri permittitur. Negamus autem, quod doctrina vera ab Ecclesia *damnari* possit, vel unquam ut *scandalosa* vel alia censura digna damnata fuerit. Veritas etenim simpliciter et absolute nociva vel damnabilis esse non potest. Cum ergo Ecclesia non *damnet* propositiones pro certo tempore certisve adiunctis, sed *simpliciter et absolute*, consequitur, propositiones a supremo magisterio ecclesiastico damnatas necessario falsas esse. Quare merito sic argumentatur *Suaresius*:<sup>1)</sup> «Propositio vera, ut per se notum est, non potest esse damnabilis; omnis ergo propositio damnabilis falsa esse supponitur et aliquid addit ultra communem gradum falsitatis.» Id confirmatur etiam praxi Ecclesiae, quae in infimo gradu censurarum ponere solet: «sententia falsa».<sup>2)</sup> Ergo reliquae censurae falsitati aliquid addunt. Ecclesia reapse nunquam ullam censuram supremo suo magisterio alicui sententiae inflictam retractavit.

---

<sup>1)</sup> De fide, disp. 19 s. 2 n. 1.

<sup>2)</sup> Sic in Bulla «Auct. fid.» prop. 9 damnatur ut «falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva» etc.; cf. prop. 10. 12 (Denzinger 1509. 1510. 1512).

## ARTICULUS V.

## De apostolicitate Ecclesiae.

336 *Apostolicitatis notio.* Ecclesia est et dicitur *apostolica* multipliciter: a. ratione *originis*, quia fundata est ab Apostolis. Sicut e. g. imperium *romanum* a Romulo eius fundatore nomen habet, ita Ecclesia a Christo, fundatore principali, nominatur *christiana*, et ab Apostolis, fundatoribus ministerialibus, dicitur *apostolica*. — b. Ratione *identitatis*, quia nimirum Ecclesia non solum apostolica *fuit*, sed apostolica *est*, eandem conservando fidem eandemque constitutionem essentialem, quam ab Apostolis acceperat. Certe plures ecclesiae ab Apostolis fundatae per defectionem a fide apostolica iam apostolicae esse desierunt. — c. Sensu maxime proprio et eminente Ecclesia est et dicitur apostolica ratione *successionis*. Apostoli enim non solum de caelo gregem Christi «continua protectione custodiunt», sed adhucdum super terram non quidem personaliter, utique vero moraliter gregem per successores regunt; prouti Ecclesia in Praefatione de Apostolis canit: «ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores». Cum igitur, si ita loqui fas est, eadem semper *dynastia* Apostolorum Ecclesiam regat, merito eam et sensu eminente apostolicam dicimus.

Quapropter apostolicitatem ita definire licet: Est illa proprietas, *vi cuius Ecclesia ab Apostolis fundata, in Apostolorum doctrina et institutione incommutabiliter perdurat, atque a successoribus Apostolorum gubernatur.* — Duo autem ad successionem apostolicam requiruntur, videlicet ut quis succedat in *munus* apostolicum, et per *missionem* apostolicam. α) *Munus*, inquam; per hoc enim successor distinguitur a vicario, ut successor in ipsum locum ac munus antecessoris sufficiatur ideoque auctoritate propria fungatur, vicarius vero non ex propria auctoritate, sed loco alterius illud administret. Apostoli autem duplex munus habebant, fundandi Ecclesiam fundatamque pascendi ac regendi. Primum munus ex natura sua fuit extraordinarium atque in morte Apostolorum exspiravit; secundum vero ordinarium fuit ideoque cum potestate ad illud rite gerendum requisita

in successores transire debuit. —  $\beta$ ) *Missio* insuper *apostolica* exigitur, quatenus nimirum potestas et officium regendi Ecclesiam non immediate a Deo, sed mediantibus Apostolis in successores transfundenda sunt. Per hoc successores Apostolorum non solum distinguuntur ab usurpatoribus et intrusis, de quibus Christus dixit (Ioan. 10, 1): *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*; sed distinguuntur etiam a prophetis aliisque legatis divinis, qui extraordinarie et immediate a Deo mittuntur. Quare ad successionem apostolicam requiritur, ut tum potestas ordinis tum potestas iurisdictionis ab Apostolis in successores derivetur; potestas ordinis per ordinationem, potestas iurisdictionis per deputationem. Haec posterior potestas autem primario et plene in eo residet, cui gubernacula totius Ecclesiae a Christo commissa sunt, id est in b. Petro eiusque successore R. Pontifice. Nemo ergo independentem ab hoc primo Ecclesiae pastore munere pastoris secundarii fungi potest. Quapropter  $\gamma$ ) *unio cum Pontifice Romano*, in quo residet plenitudo potestatis apostolicae, est tertia nota verae apostolicitatis. Quodsi igitur aliqua ecclesia fundata quidem fuit ab Apostolis, postea tamen ab unitate Ecclesiae defecit, ea erit quidem apostolica *materialiter*, sed non *formaliter*, quia deest successio apostolica. Si e contrario aliqua ecclesia ab haereticis, e. g. Eutychianis fundata, postea abiurata haeresi cum centro unitatis coniungitur, in hac defectus originis apostolicae suppletur per insertionem posteriorem in universalem Ecclesiam apostolicam.

Ex his patet, in quaestione de proprietate apostolicitatis praesertim de *successione*, et in hac iterum de *legitima missione*, maxime vero de *unione cum centro Ecclesiae* agi. Ubi haec habetur, non solum successio, sed etiam doctrina et origo apostolica adest; ubi haec deest, etiam reliqua desunt. Novatores facile, saltem verbo tenus, concedunt apostolicitatem Ecclesiae quoad originem et doctrinam, successionis apostolicae vero necessitatem negant. Cum enim haeresiarchis missio legitima per successionem apostolicam manifesto deesset, ad missionem *extraordinariam* confugerunt.<sup>1)</sup> — His praestitutis esto:

<sup>1)</sup> Cf. Mazzella l. c. n. 714 sqq.

337 **Thesis 94.** *Vera Christi Ecclesia necessario apostolica est: α) origine, β) doctrina, ac γ) successione ab Apostolis, maxime a principe Apostolorum Petro derivata; nec δ) ulla praetensa missio extraordinaria successionis apostolicae defectum supplere potest.*

**A. Apostolica origo.** — Eius necessitas est evidens. Nam

1. vera Ecclesia aliam originem habere nequit, quam Christus eam habere voluit. At Christus Ecclesiam per Apostolos fundare decrevit, ut ex Evangelio constat. Ergo vera Ecclesia ante omnia *origine* debet esse apostolica.

2. Apostoli dicuntur fundamentum *caelestis Ierusalem* (Apoc. 21, 14) i. e. Ecclesiae; fideles *superaedificati super fundamentum Apostolorum* (Eph. 2, 20). Sicut ergo fundamentum aedificio, ita origo apostolica necessaria est Ecclesiae.

**B. Apostolica doctrina.** — Ecclesia Christi enim

1. necessario habere debet Evangelium seu doctrinam Christi. At Christus Evangelii praedicationem Apostolis commisit, eisque ad hunc finem Spiritum veritatis promisit ac dedit (169 sqq). Ergo Ecclesia Christi non est, nisi quae habet doctrinam Apostolorum.

2. Doctrina Apostolorum nec potuit immutari propter assistentiam Spiritus sancti, nec potuit augeri, quia post mortem Apostolorum nulla amplius danda fuit revelatio (197). Ergo iterum, doctrina verae Ecclesiae alia esse nequit, quam apostolica. — Hinc antiquitas alicuius doctrinae semper habita est ut tessera veritatis, novitas ut signum certum erroris. Ergo.

**C. Successio apostolica** ut corollarium ex institutione hierarchiae divinae haud operose deduceretur (294 sqq coll. 169 sqq). Verum argumenta specialia afferamus:

1. Ex s. Scriptura. α) Transfundendum quippe fuit *munus* apostolicum. Apostoli namque non solum missi sunt a Christo ad fundandam Ecclesiam, sed etiam ad eam pascendam, regendam et aedificandam *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Hoc munus autem fuit ordinarium, ideoque Apostolis non conferebatur personaliter, sed moraliter, ita ut

etiam in successores transire debuerit.<sup>1)</sup> —  $\beta$ ) Modus transfusionis non est per missionem extraordinariam, sed per impositionem manuum ac deputationem ordinariam ab Apostolis eorumque successoribus factam: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum* (II Tim. 1, 6); et: *Manus cito nemini imposueris* (I Tim. 5, 22); iterum (Tit. 1, 5): *Huius rei gratia reliquit te Cretae, ut ea, quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros; sicut et ego disposui tibi*; (I Petr. 5, 1 sq): *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro . . . pascite qui in vobis est gregem Dei* (cf. Eph. 4, 11 sqq). —  $\gamma$ ) Requiritur insuper unio cum R. Pontifice, tamquam cum fundamento Ecclesiae et supremo pastore totius gregis Christi (Matth. 16, 17 sqq et Ioan. 21, 15 sqq). — Ex his tribus elementis autem iuxta dicta (336) consistit et dignoscitur successio apostolica.

2. Argumentum traditionis colligitur: a. ex magna sollicitudine, qua nomina episcoporum in diptychis describebantur (174). Cur hoc, nisi quia persuasum erat, cohaesionem ecclesiarum cum Apostolis per successionem pastorum necessariam esse?

b. Haec successio apostolica contra haereticos ut practicum argumentum veritatis proponebatur. Nota sunt verba *Irenaei*:<sup>2)</sup> «Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, *qui successionem habent ab Apostolis*, sicut ostendimus, qui *cum episcopatus successione charisma veritatis certum* secundum placitum Patris acceperunt.» Iuxta eundem vero s. Patrem sola enumeratio successorum b. Petri in cathedra Romana est «plenissima ostensio veritatis», quia ad eam «propter potentiolem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam».<sup>3)</sup> *Tertullianus* scribit:<sup>4)</sup> «Ceterum, si quae (haereses) audent inserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: *Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum*,

<sup>1)</sup> Cf. Ioan. 20, 21; Matth. 28, 19; Eph. 4, 13; Act. 20, 28; I Petr. 5, 1 sq.

<sup>2)</sup> Advers. haeres. 1. 4 c. 26.

<sup>3)</sup> L. 3 c. 3.

<sup>4)</sup> De praescript. c. 32.

ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverunt, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt; sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Confinquant tale aliquid haeretici.»

c. Hinc absque successione apostolica nemo est legitimus pastor: «Novatianus, inquit s. *Cyprianus*,<sup>1)</sup> in Ecclesia non est, neque episcopus computari potest, quia apostolica traditione contempta nemini succedens a se ipso ordinatus est.» Pulchre etiam *Gregorius Naz.*<sup>2)</sup> «Neque enim, qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpessus est; nec qui leges violavit, sed qui legitime creatus est; nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide praeditus est; nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et mentis alienationem prudentiae succedere dicimus.»

338 **D. Nulla praetensa missio extraordinaria successionis apostolicae defectum supplere potest.**

Novatores missionem ordinariam et externam suppleri dicunt: α) per sacerdotium omnibus commune (I Petr. 2, 9); nec non per unctionem internam Spiritus sancti (I Ioan. 2, 27); idque β) probare conantur provocando ad missionem extraordinariam Pauli ac prophetarum.<sup>3)</sup> — At frustra; nam

1. Sacerdotium, de quo b. Petrus loquitur, est sacerdotium *spirituale*, quod nullum ius tribuit ad munus apostolicum. Immo etiam sacerdotium *reale*, licet sit pars huius muneris, ad successionem apostolicam nondum sufficit, quippe quod etiam in intrusis haberi possit.<sup>4)</sup> Neque ulla specie probabilitatis ostendere possunt, *unctionem* Spiritus sancti ex intentione Ioannis supplere magisterium ac reli-

1) Ep. 76 al. 69 ad Magnum n. 3.

2) Or. in laud. Athanas. n. 8.

3) Cf. Möhler, Symbolik § 45 ff.

4) Cf. Dogmat. special. n. 619.

qua munera legitimorum pastorum Ecclesiae. Argumenta in priore puncto allata talem hypothese[m] nedum gratuitam, sed falsam esse demonstrant.

2. Provocare non possunt ad extraordinariam missionem Pauli. Hic etenim, eo quod ad Apostolat[um] ideoque ad *fundandam* Ecclesiam destinatus erat, a Christo immediate vocari debuit. Nihil ergo ex hoc facto pro missione extraordinaria generatim concludi potest. Ceterum ipsa missio Pauli non fuit omnino independens a communicatione apostolica, ut patet ex eius verbis (Gal. 2, 2): *Ascendi autem secundum revelationem et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* — Neque ad oeconomiam antiqui foederis provocare licet; tunc enim revelatio nondum conclusa erat, unde missio extraordinaria prophetica quasi partem veteris oeconomiae constituebat. Longe aliter in novo foedere, in quo revelatio Apostolis promulganda et complenda, eorum successoribus vero custodienda tradebatur. — Praecipue vero notandum est, tum Paulum tum prophetas suam missionem divinam etiam *signis divinis*, nimirum miraculis, probasse. Reformatores vero hoc nunquam fecerunt.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS VI.

### De catholicitate Ecclesiae.

Cum *catholicum* (a graeco καθ' ὅλον) idem sit ac *universalis*, liquet, Ecclesiam ob multas causas catholicam dici posse. Possidet enim omnem veritatem, habet omnia media salutis, docet atque exercet omnes virtutes, instituta est pro universis hominibus, locis et temporibus (Matth. 28, 19). Verbo: sicut mundus est κόσμος seu quoddam universum naturale, ita Ecclesia est κόσμος et universum supernaturale, quippe quod in adaequato suo conceptu revera omnia complectatur. Non solum enim universum genus humanum actu vel potentia ad Ecclesiam pertinet, sed omnis

<sup>1)</sup> Cf. Denifle, Luther in rationalistischer und christlicher Beleuchtung. Prinzipielle Auseinandersetzung mit A. Harnack und R. Seeberg. S. 7 ff (Mainz 1904).

etiam creatura irrationalis, aliquo modo ad eam ordinatur; immo tota curia caelestis, ipsa quoque ss. Trinitas in adaequatam et plenam ideam Ecclesiae ingrediuntur. Neque mirum! Sicut enim universa Christum, ita universa aliquo modo Ecclesiam respiciunt, quae Christi sponsa est et corpus. Ecclesia ergo *per eminentiam catholica est*.<sup>1)</sup>

Quamvis autem haec verissima sint, communiter tamen, non solum iuxta usum modernum, sed etiam iuxta usum Patrum Ecclesia dicitur catholica *propter diffusionem per orbem*. Teste Optato<sup>2)</sup> Eunomius et Olympius episcopi in Africam missi, et interrogati, ubi esset *catholica* Ecclesia, dixerunt: «Illam esse catholicam, quae esset in toto orbe terrarum diffusa.» At haec diffusio varie concipi potest: **a. mere materialiter**, quatenus per totum orbem reperiuntur homines, qui Christiani appellantur; et *formaliter*, quatenus iidem per verae fidei professionem et subiectionem sub legitimis pastoribus etiam membra unius verae Ecclesiae sunt. Liquet, ad veram catholicitatem non sufficere diffusionem mere materiale. — **b. Virtualiter et iuridice**, quatenus consideratur ius, officium et virtus Ecclesiae divinitus indita, ut per totum orbem se diffundat; *effective* et *historice*, quatenus hoc ius per realem propagationem in effectum deductum est. Patet, Ecclesiam nascentem nonnisi de iure, nondum de facto catholicam fuisse. — **c. Simultanee**, cum Ecclesia eodem tempore per totum orbem diffunditur vel habet ingentem numerum fidelium de multitudine gentium; *successive*, si saltem diversis temporibus per omnes mundi plagas propagetur. Iuxta nonnullos Theologos ad Ecclesiae

<sup>1)</sup> Hoc lato sensu Cyrillus Hieros. catholicitatem Ecclesiae describit (catechesi 18 n. 23): «*Catholica* enimvero vocatur, eo quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est. Et quia universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de caelestibus et terrestribus rebus. Tum etiam eo, quod omne hominum genus recto cultui subiiciat, principes et privatos, doctos et imperitos, ac denique, quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus, in factis et verbis et spiritualibus cuiusvis speciei donis.» Cf. de his significationibus latioribus Hettinger, Fundam.-Theol. p. 2 l. 1 § 9.

<sup>2)</sup> L. 1 n. 26 ad Parmen.; cf. Isid. Hisp. Sent. l. 1 c. 16.

catholicitatem stricte non plus requiritur, quam diffusio successiva.<sup>1)</sup> Communior tamen sententia ad veram catholicitatem postulat, ut Ecclesia eodem tempore per totum orbem se extendat. — **d.** *Physice et moraliter*. Ecclesia est catholica universalitate physica, si omnes homines in suo sinu complectatur; universalitate morali, si in omnibus partibus terrae magnus hominum numerus ad eam pertineat. Per se patet, catholicitatem de Ecclesia non affirmari sensu physico, sed morali. — **e.** Denique *absolute et relative*, quatenus numerus membrorum Ecclesiae vel in se, vel in comparisonem ad numerum asseclarum reliquorum coetuum christianorum consideratur. Ecclesiam ita catholicam affirmamus, ut amplitudine *absolute magna et relative maiore* quavis ecclesia falsa per totum orbem diffundatur; seu ita, ut iuxta pulchra verba Suaresii Ecclesia «propter suam diffusionem habeat in mundo splendorem quendam universalem, qua possit eius dignitas et maiestas cognosci et ab haereticorum coetibus discriminari».

Iuxta datam explicationem Ecclesiae catholicitatem hoc modo definire licet: *est proprietas, qua Ecclesia ex destinatione et virtute divinitus indita una eademque manens per totum moraliter orbem diffusa est*. Hoc iam probabimus.

**Thesis 95.** *Vera Ecclesia α) est et dicitur catholica; 340 β) eo quod una eademque manens, amplitudine absolute magna et relative maiore quavis ecclesia falsa, per totum orbem statim ab initio diffundi coepit, et usque ad finem diffusa erit.*

In thesi duas partes discernere possumus, quarum prima *veritatem*, altera *explicationem* catholicitatis insinuat. Prima pars certe de fide est, cum in ipso symbolo apostolico eam profiteamur; altera pars certitudinem theologice sibi vindicat.

**A. Ecclesia vere est et dicitur catholica.**

Probo 1. ex Scriptura veteris foederis. Promittitur enim patriarchis, in ipsis omnes gentes benedicendas esse (Gen. 12, 3; 26, 4; 28, 14); vaticinantur prophetae, omnes gentes

<sup>1)</sup> Melch. Can., De loc. theol. l. 4 c. 6 ad 13; Bellarmin, De Eccles. l. 4 c. 7; cf. Hurter n. 312 (ed. 9), qui hanc opinionem minus probandam dicit.

congregandas esse in novam Ierusalem; universam terram vera doctrina impletum iri; ab ortu solis usque ad occasum gentes Deo sacrificium mundum oblaturas; Messiae haereditatem esse omnes gentes, et terminos terrae possessionem ipsius etc.<sup>1)</sup>

- 2. In novo foedere Christus non solum praecepit Apostolis, ut omni creaturae usque ad ultimum terrae praedicarent (Marc. 16, 15; Act. 1, 8); sed praedixit etiam: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio* (Matth. 24, 14); et (8, 11): *Multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno caelorum* (cf. 26, 13; Apoc. 7, 9). Apostoli vero reipsa *profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante* (Marc. 16, 20); item (Rom. 10, 18): *et quidem in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum*. Merito ergo dicit *Augustinus*:<sup>2)</sup> «Prope omnis pagina (s. Scripturae) nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam *toto orbe diffusam*.»

3. Tota antiquitas et nomen et rem catholicitatis vindicat Ecclesiae. α) Dicitur enim Ecclesia *catholica* in symbolo apostolico (secundum formam ecclesiae Alexandrinae et Hierosolymitanae), idemque epitheton occurrit apud *Ignatium*<sup>3)</sup> et in epistola ecclesiae Smyrnensis de passione s. *Polycarpi*. β) Hoc nomen mox adeo proprium factum est Ecclesiae, ut *Pacianus* iam saec. 4. auream illam sententiam proferre potuerit:<sup>4)</sup> «*Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen*. Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.» Et s. *Cyrillus Hieros.*<sup>5)</sup> catechumenum instruit, ut, si peregrinatus fuerit, non requirat, «ubi sit dominicum (i. e. domus Dei), nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas dominicorum nomine honestare nituntur; neque ubi sit sim-

<sup>1)</sup> Cf. Is. 2, 2; 60, 4 sq; Ier. 3, 17; Dan. 2, 27; Mal. 1, 11; Ps. 2, 8. etc.

<sup>2)</sup> Serm. 46 n. 33.

<sup>3)</sup> Ep. ad Smyrn. n. 8.

<sup>4)</sup> Ep. 1 ad Sympron. n. 4.

<sup>5)</sup> Catech. 18 n. 26.

pliciter Ecclesia, sed ubi sit *catholica* Ecclesia; hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum (τῆς ἁγίας ταύτης καὶ μητρὸς ἡμῶν πάντων)». γ) Maxime vero *Augustinus* et *Optatus* contra Donatistas catholicitatem tamquam veram et differentialem proprietatem Ecclesiae demonstrant, ita ut per eam vera a falsis ecclesiis discernatur: «Tenenda est nobis, inquit *Augustinus*,<sup>1)</sup> christiana religio et eius communicatio, quae *catholica est et catholica nominatur*, non solum a suis, sed etiam ab omnibus inimicis.»

4. Confirmatur haec proprietas ex fine universali Ecclesiae in oppositione ad finem particularem Synagogae; illustratur ex titulo crucis, conscripto tribus linguis, maxime diffusis;<sup>2)</sup> ex mysterioso linteo, submisso de caelo in terram in visione b. Petri (Act. 10, 10 sqq); ex miraculo linguarum in solemni Ecclesiae inauguratione die festo Pentecostes (Act. 2, 4) etc.<sup>3)</sup>

**B.** *Ecclesia non solum successiva, sed simultanea, formali et amplissima diffusionem per orbem terrarum catholica dici debet.* 341

Probatur iisdem ferme argumentis ac prima pars thesis. 1. Sane prophetiae antiquae, quae regnum messianum tam emphatice ut regnum universale promittunt ac magnificant, omnino simultaneam et amplissimam eius diffusionem postulant. Item missio divina Apostolorum in universum mundum, ut praedicarent omni creaturae, omnino exigere videtur, ut totus (moraliter loquendo) mundus, non modo haec, modo illa mundi pars sit campus apostolicae activitatis.

2. Patres omnes, maxime qui cum Donatistis disputant, non virtualement et successivam tantum, sed *actualement*, *simultaneam* et *amplissimam* diffusionem urgent.

3. Id omnino postulare videtur dignitas Christi, finis et natura redemptionis, maiestas et visibilitas Ecclesiae, ipsum demum nomen *catholicum*, cuius significatio in hypothesis opposita nimis extenuaretur. Certe monarchia universalis seu mundialis non diceretur illa, quae paucas provin-

<sup>1)</sup> De vera relig. c. 7 n. 12.

<sup>2)</sup> Aug., Serm. 218 c. 6 n. 6; c. 8 n. 8.

<sup>3)</sup> Id., Serm. 266 n. 2. 6; cf. Serm. 47 c. 10; in Ps. 149 n. 3.

cias subiectas habet, tametsi aliquando plurimas alias habuerit. A pari Ecclesia nec vere multoque minus eminenter catholica dici mereretur absque simultanea diffusione per orbem.<sup>1)</sup>

4. Denique historia luculenter testatur, Ecclesiam catholicam mox per universum orbem tunc notum propagatam fuisse, ac semper extensionem absolute amplissimam et relative maiorem quavis secta christiana habuisse.

342 **Obiectio.** Proprietates semper et necessario subiecto insunt. Catholicitas autem actualis et simultanea nec fuit initio, nec erit in fine Ecclesiae (Luc. 18, 8; Matth. 24, 12); aliquando etiam in decursu aerae christianae interrupta fuit, e. g. tempore Arianismi, quando, teste *Hieronymo*,<sup>2)</sup> «ingemuit totus orbis, et se esse arianum miratus est»; immo nullo non tempore longe maior pars generis humani extra Ecclesiam fuit.

Resp. Natura catholicitatis non a priore, sed eo modo explicari debet, quo in verbo Dei scripto et tradito nobis exhibetur. Atqui ex verbo Dei eruitur: α) quod initio Ecclesia parva et despecta erit iuxta Matth. (13, 31 sq): *Simile est regnum caelorum grano sinapis, . . . quod minimum quidem est omnibus seminibus . . . et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius.* — β) In decursu temporis Ecclesia similis erit navi iactatae in mari, ita ut pene operiatur fluctibus et discipuli clamare cogantur: *Domine salva nos, perimus* (Matth. 8, 25). Una porro ex saevissimis tempestatibus fuit haeresis ariana, quae naviculam Petri sane operuit fluctibus, at non demersit. Verba Hieronymi enim hyperbolica sunt; longe quippe maior pars

<sup>1)</sup> Cf. Billot, De Eccl. Chr. t. 1 pg. 216 sqq. qui (pg. 228) notat: «non sufficere ingentem numerum fidelium nude consideratum, quia si ingens ille numerus coarctaretur ad unam partem mundi et ad unam hominum progeniem, ne inchoata quidem haberetur catholicitas . . . sive spectetur ratio universalitatis, quam importat ipsum catholicitatis nomen, sive etiam spectetur ratio miraculi, quae in hac nota continetur. . . . Quippe dum ingens numerus colligitur ex hominibus eiusdem stirpis seu indolis naturalis, debeturque potissimum carnali foecunditati gentis, nil profecto mirum, nil divinum in eo invenire est . . .»

<sup>2)</sup> Dial. advers. Lucif. n. 19.

Ecclesiae etiam tunc veram fidem retinuit, et ex illis ipsis, qui ad partes arianas computabantur, quam plurimi mere materiales, non formales haeretici fuerunt; secus non debuissent ingemiscere, se Arianos esse. —  $\gamma$ ) Christus suae Ecclesiae nullibi absolutam catholicitatem promisit; immo expresse testatur, quod *multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20, 16). Praeterea clare praedixit, Ecclesiae in mundo difficultates varias, pressuram, persecutiones expectandas esse (Ioan. 16, 33). His satis innuitur, catholicitatem Ecclesiae nonnisi *moralem* et *relativam* futuram esse. —  $\delta$ ) Etiam si denique apostasia in fine mundi ferme universalis futura sit, quod tamen certum non est (321); hoc thesim nostram non infirmaret, sed potius confirmaret. Si enim cessante catholicitate ipsa Ecclesia cessat, hoc profecto nexum necessarium inter hanc proprietatem et naturam Ecclesiae manifeste demonstrat.<sup>1)</sup>

*Nota.* Catholicitatem non mere materiale, sed *formalem* esse, ita ut *Ecclesia* identica manens per orbem diffundatur, tum ex eius unitate (314) tum ex indefectibilitate constat, de qua statim.<sup>2)</sup>

## ARTICULUS VII.

### De indefectibilitate Ecclesiae.

Indefectibilitas est proprietas, *qua Ecclesia Christi*, 343 *eadem semper manens, ad finem mundi usque durabit*. Tres igitur notae in ea includuntur: **a.** *perennitas* seu perpetua duratio, quam negabant *Sociniani* et *Arminiani*. — **b.** *Indefectibilitas stricte dicta*, qua fit, ut Ecclesia neque quoad doctrinam, neque quoad constitutionem essentialem deficere possit. Hoc praesertim contra *Calvinistas*, *Lutheranos* aliosque Novatores tenendum est, qui concedebant quidem, Ecclesiam invisibilem non posse deficere, Ecclesiam vero visibilem deficere posse et revera defecisse aiebant. Huc re-

<sup>1)</sup> Cf. August., De unit. Eccl. c. 15.

<sup>2)</sup> Per se patet, in proprietate catholicitatis essentialiter contineri mandatum propagandae fidei inter ethnicos. Cf. Meinertz, Jesus und die Heidenmission (Münster 1898); Rob. Streit, Die Mission in Exegese und Patristik (Paderborn 1909).

ferri etiam possunt *Quesnellius*, qui de «signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae» (prop. 95 sqq) loquitur, et synodus *Pistoriensis*, quae contendit (prop. 1), «postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscuracionem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi». <sup>1)</sup> — c. *Stabilitas*, qua omnis mutatio essentialis etiam in melius excluditur; contra ac *Anabaptistae*, *Quakeri*, *Swedemborgiani*, *Irvingiani*, *Mormones* docuerunt, qui omnes novas revelationes et effusionem Spiritus sancti, sub diversis licet formis, somniantur. Medio aevo *Amalricus*, haeretici profitentes *evangelium aeternum*, *Cathari*, *Beguardi*, *Beguinae* et *Fraticelli* novam oeconomiam gratiae, adeoque mutationem Ecclesiae adstruebant. Ex antiquis indefectibilitatem Ecclesiae saltem indirecte impetebant *Gnostici*, *Montanistae*, *Manichaei*, *Massiliani*. Nostris temporibus Ecclesiae indefectibilitas pariter plurimos adversarios habet: *falsos Spiritualistas*, *Rationalistas* biblicos, qui tres ecclesias successivas, petrinam (catholicam), paulinam (protestantem) et ioanneam (adhuc futuram) confingunt, <sup>2)</sup> et praesertim *Modernistas*, iuxta quos «doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis». <sup>3)</sup> Contra omnes istos errores dogmatis instar indefectibilitas Ecclesiae modo exposito credi debet. Liquet tamen, mutationes et status accidentaliter diversos huic proprietati non repugnare.

344 **Thesis 96.** *Ecclesia in ea forma, quam a Christo accepit, usque ad finem mundi perenniter et immutabiliter durabit.*

Errorem eorum, qui novam effusionem Spiritus sancti novamque oeconomiam gratiae exspectant, iam refutavimus in tractatu de traditione (195 sq). Hoc loco igitur nihil aliud demonstrandum est, quam Ecclesiam perpetuo duraturam,

<sup>1)</sup> Denzinger 1445, 1501.

<sup>2)</sup> Cf. Adnotationes Theologorum (Coll. Lacens. pg. 594 sqq), ubi praedicti errores accurate exponuntur.

<sup>3)</sup> Decret. «Lamentabili» error 60; Denzinger 2060. Cf. Encycl. «Pascendi»: Denzinger 2094.

quin unquam ab institutione a Christo accepta *deficere* possit.

Probo 1. ex textu classico (Matth. 16, 18): *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam*. Perennitas et indefectibilitas Ecclesiae evidenter consequitur *ex omnipotentia architecti*: ego, Filius Dei, aedificabo Ecclesiam meam; *ex firmitate fundamenti*: super hanc petram aedificabo; *ex promissione certa*: portae inferi non praevallebunt; *ex natura et fine Ecclesiae*, quippe quae debeat esse regnum caelorum, quod certe nunquam destruetur.

2. Ex innumeris aliis locis veteris et novi foederis, in quibus regnum Christi, i. e. Ecclesia, aeternum esse dicitur: *Super solium David . . . sedebit . . . amodo et usque in sempiternum* (Is. 9, 7); et: *Feriam eis pactum sempiternum* (Ier. 32, 40); teste Daniele (2, 44; 7, 14) eius regnum *non corrumpetur, non dissipabitur, stabit in aeternum*. In salutatione angelica praedicitur (Luc. 1, 32 sq): *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis*. Paulus denique obtestatur fideles (Hebr. 12, 28): *Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam*. Ex his Ecclesiae indefectibilitas elucet non *hypothetica* tantum, ut adversarii dicunt, sed plane *absoluta*.

3. Ex Patribus *Chrysostomus* monet:<sup>1)</sup> «Ne ab Ecclesia secedito; nihil enim Ecclesia validius, ipsa est spes tua, ipsa salus tua, ipsa perfugium tuum. Excelsior est caelis, terrisque latior; nunquam senescit, semper iuvenescit. Quare, dum immotam illius firmitatem patefacit, eam vocat *montem*, vocat et virginem *incorruptam*.» *Hieronymus*<sup>2)</sup> docet, «Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari; et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens sive Deus eius, i. e. Ecclesiae, se facturum esse pollicitus est, cuius promissio lex naturae est». *Augustinus*:<sup>3)</sup> «Non in-

<sup>1)</sup> Hom. de capt. Eutrop. n. 6; cf. or. Quod Christus sit Deus.

<sup>2)</sup> In Amos (in fin.).

<sup>3)</sup> In Ps. 103 sermo 2 n. 5.

clinabitur in saeculum saeculi. Fundavit terram super firmitatem eius, i. e. firmavit Ecclesiam super fundamentum Christum. Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum; sed unde nutabit Christus . . . ubi sunt qui dicunt, perisise de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?»

4. Haec omnia haud parum illustrantur: **a.** *ex nominibus et symbolis* Ecclesiae. Dicitur enim *corpus* et *sponsa* Christi; Christus autem sponsam non repudiabit, et quod semel assumpsit, non deponet. Comparatur *agro* (Matth. 13, 24), in quo bonum semen cum zizaniis crescit usque ad messem, i. e. usque ad consummationem saeculi. Comparatur a Patribus *navi*, «quae, etsi undarum fluctibus aut procellis saepe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius i. e. cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet, gubernator proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, i. e. duodecim Apostoli et similis numerus prophetarum».<sup>1)</sup> — **b.** Demum indefectibilitatem Ecclesiae confirmat finis, scilicet *salus* humana, qui finis obtineri amplius non posset, si Ecclesia vel omnino periret vel mutaretur in aliam, ac Christus eam instituit.

## ARTICULUS VIII.

### De necessitate Ecclesiae.

345 Hoc nomine exprimitur illa proprietas, *vi cuius omnes homines, qui salutem aeternam consequi cupiunt, Ecclesiam ingredi tenentur*. Nostris temporibus, ubique grassante indifferentismo, haec necessitas Ecclesiae passim negatur; maxime vero exosum est axioma catholicum: *extra Ecclesiam nulla salus*. Immo eo usque progreditur ingratitude hominum erga Christum, ut Ecclesiae, eius sponsae etiam ius existendi seseque augendi proterve denegent.

**Thesis 97.** *Ecclesia non solum ius habuit ac habet apud omnes gentes se dilatandi et propagandi; sed omnibus in super hominibus absolutum officium incumbit in Ecclesiam intrandi; Ecclesia ergo societas est non solum legalis, sed etiam necessaria, ita ut extra illam nemo salvus fieri possit.*

<sup>1)</sup> Serm. 46 n. 10 inter serm. s. Ambros.

Ius Ecclesiae existendi et se propagandi eius *legalitas* dici solet. Qui hoc ius Ecclesiae denegat, Christo resistit, qui Ecclesiam pro salute hominum instituit: immo Christum negat, cuius sponsam et corpus negat. Quapropter etiam omnis lex humana, quae Ecclesiae existentiam vel propagationem vetat, iniusta, impia atque ideo invalida est. Stulte insuper et in propriam perniciem potestas civilis Ecclesiae propagationi resisteret; ut alibi ostendimus (40. 307 sq). His obiter tactis dico:

**A. *Ecclesia est societas necessaria, necessitate medii et praecepti*** (39).

**1. *Necessitate medii.*** Ecclesia enim medium est salutis omnibus necessarium. In ea quippe habetur vera fides, sine qua impossibile est placere Deo; habetur Baptismus, sine quo nemo ingreditur in regnum caelorum; habentur claves regni caelestis, omnia demum sacramenta ac reliqua media salutis. Ecclesia ergo tam necessaria est, quam est necessarius finis ultimus; neque aliter quam per Ecclesiam militantem itur et pervenitur ad Ecclesiam triumphantem.

**2. *Necessitate praecepti.*** Christus namque omnibus sub poena damnationis ingressum in Ecclesiam praecepit (Marc. 16, 15 sq): *Praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*; et (Matth. 10, 14 sq): *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhæorum in die iudicii quam illi civitati*; et (18, 17): *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* etc.

**B. *Extra Ecclesiam non est salus.*** Probanda est *veritas* et explicandus *sensus* axiomatis. 346

**1. *Veritas axiomatis*** constat **a.** ex antecedentibus. Si enim Christus sub poena damnationis praecepit ingressum in Ecclesiam et si extra Ecclesiam non habentur media salutis, liquido sequitur, neminem extra Ecclesiam salvum fieri posse.

**b.** Ex pluribus declarationibus Ecclesiae. Conc. enim *Láteranense* IV. (cap. «Firmiter») definit: «Una est fidelium

universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur»;<sup>1)</sup> iuxta conc. *Florentinum* (Decr. pro Iacob.) «sacrosancta R. Ecclesia . . . firmiter credit, confitetur et praedicat, nullos intra catholicam Ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec Iudaeos aut haereticos atque schismaticos aeternae vitae fieri posse participes» etc.<sup>2)</sup> Hinc Pius IX. (Encycl. *Quanto conficiamur moerore*, 10. Aug. 1863): «Notissimum est, inquit, catholicum *dogma*, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari.» Hinc in Syllabo damnatur prop. 17: «Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur» (cf. prop. 16).<sup>3)</sup>

c. Ex Patribus. Celeberrimum est axioma pronuntiatum a *Cypriano*:<sup>4)</sup> «Habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.» Similiter *Augustinus*:<sup>5)</sup> «Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam eius, illum sicut Patrem, istam sicut matrem.» Iuxta *Irenaeum*:<sup>6)</sup> «Qui sunt extra Ecclesiam, sunt extra veritatem.» *Origenes* ait:<sup>7)</sup> «Nemo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat: extra hanc domum, i. e. extra Ecclesiam nemo salvatur. Nam si quis foras exierit, mortis suae ipse fit reus.» *Hieronymus*:<sup>8)</sup> «Quicumque extra hanc domum (Ecclesiam) agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.» Haec comparatio Ecclesiae cum arca Noë Patribus valde familiaris est.

Opponunt: Durus est hic sermo, qui numerum prope infinitum hominum quasi a priore inferno transscribit. Profecto, hoc nedum a bonitate, sed ab ipsa iustitia divina abhorret, quippe quae homines innumeros, absque culpa extra Ecclesiam viventes, ad mortem aeternam condemnare non possit. Ipsa insuper Scriptura testatur (Rom. 2, 13; Matth.

<sup>1)</sup> Idem iam concilium Cirtense (a. 412) declaraverat.

<sup>2)</sup> Cf. Denzinger 430. 714.

<sup>3)</sup> Ibid. 1677. 1716 sq.

<sup>4)</sup> De unit. Eccl. n. 6 et in hoc libro saepius.

<sup>5)</sup> Sermo 2 in Ps. 88 n. 14, et alibi disputans contra Donatistas passim.

<sup>6)</sup> Adv. haer. l. 4 c. 33 n. 7.

<sup>7)</sup> Hom. 3 n. 5 in Iosue.

<sup>8)</sup> Ep. 14 al. 57 ad Damas.

7, 21; Iac. 1, 22 sqq), non auditores, sed factores legis salvari; multi autem extra Ecclesiam bene vivunt. Ergo homines etiam extra Ecclesiam salvari possunt. — Resp. Difficultas solvitur, si recte explicetur

2. *Sensus axiomatis.* Ante omnia igitur: a. axioma eos tangit, qui *ex propria culpa* extra Ecclesiam sunt. «Notum est, inquit *Pius IX.* (Encycl. *Quanto conficiamur moerore*),<sup>1)</sup> quod Deus pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpa reatum non habeat.»

b. Dupliciter aliquis ad Ecclesiam pertinere potest, *actu* et *voto*. Qui veram Ecclesiam cognoscunt, eam actu ingredi tenentur, si salutem consequi volunt; pro iis, qui eam inculpabiliter ignorant, votum ingrediendi sufficit. Hoc votum autem nil aliud est, quam talis animi dispositio, qua quis omnia facere paratus est, quae Deus pro consequenda salute postulat.

c. Ecclesia in concreto neminem damnat, qui extra illam vivit et moritur, sed hoc iudicium Deo relinquit; «cum nemo, ut inquit idem *Pius IX.*,<sup>2)</sup> invincibilis ignorantiae designare limites queat, iuxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem». Propositio 17 autem (de qua supra sub 1, b.) damnata est propter suam universalitatem et ambiguitatem; cum facillime ita intelligi possit et reipsa passim intelligatur, quasi ad salutem indifferens sit, cuius quis fuerit confessionis religiosae, ita ut omnes, etiam libere extra Ecclesiam versantes, eadem facilitate ac Ecclesiae filii salvari possint. — Adverte denique, ad salutem non sufficere, ut quis bene vivat; sed *fides* quoque requiritur (Marc. 16, 16; Hebr. 11, 6).

d. Hinc patet, axioma catholicum extra Ecclesiam neminem salvari, nec durum nec odiosum multoque minus iniustum esse, dummodo rite et iuxta intellectum catholicum explicetur. Deus certe iure optimo ingressum in Ecclesiam tamquam medium ad consequendum finem supernaturalem necessarium constituere potuit; eo vel magis, quod

<sup>1)</sup> Denzinger 1677.

<sup>2)</sup> In Allocutione «Singulari quadam», habita 9. Dec. 1854 occasione propositionis 17. Syllabi.

per suam gratiam hunc ingressum hominibus nedum possibilem, sed plane facilem reddidit.<sup>1)</sup>

347 **Thesis 98.** Hinc  $\alpha$ ) *indifferentismus religiosus, tolerantia item ac libertas religiosa sunt intrinsece et absolute mala;  $\beta$ ) tolerantia vero politica per se quidem illicita est, at per accidens licita fieri potest.*

*Declaratio. 1. Indifferentismus religiosus necessitatem vel omnis religionis vel saltem catholicae negat. Quare tres indifferentismi classes distinguere possunt:  $\alpha$ ) Prima est eorum, qui nullam professionem religiosam necessariam esse affirmant. Nonnulli enim religionem nedum ut rem indifferentem, sed ut contemptibilem traducunt, eamque ex legislatorum sacerdotumque fraudibus, ex ignorantia vel phantasia, ex amore proprio et caeco instinctu ipsis brutis communi derivant (26). Alii post exortum criticismum Kantii totum religionis negotium ad *honestatem vitae* reducant, eamque religionem «honesti viri» appellant. Alii denique *libertatem religiosam* proclamant, quae quasi duas partes complectatur, nimirum libertatem *conscientiae* et libertatem *cultus*.<sup>2)</sup>  $\beta$ ) Secunda classis est eorum, qui omnes professiones religiosas *pares* faciunt, sive quia cum *progressismo* (42) omnes religiones ut totidem legitimas formas conscientiae religiosae continuo se evolventis considerant, sive quia cum *scepticismo* omnes religiones tantummodo ut plus minusve probabiles atque adeo minime obligatorias habent.  $\gamma$ ) Tertia classis est eorum, qui saltem *christianas* professiones inter se *parificant*, ac consensionem dumtaxat in articulis fundamentalibus necessariam ducunt. Ita Latitudinarii (314. 316).*

**2. Tolerantia religiosa (dogmatica seu theologica)** errorem theoreticum indifferentismi in praxim deducit ac docet, omnes cultus religiosos aequè bonos, ac proinde in vita publica tolerandos ac parificandos esse.

**3. Tolerantia politica** a cl. Aichner<sup>3)</sup> definitur: «ea le-

<sup>1)</sup> Cf. Thom. p. 3 q. 66 a. 11 et q. 68 a. 2; De verit. q. 14 a. 11 ad 1.

<sup>2)</sup> Cf. Adnotat. in 1. schema const. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 592 sqq), ubi indifferentismus accurate exponitur et refellitur.

<sup>3)</sup> Comp. iur. eccl. § 52.

gum civilium dispositio, qua pluribus vel omnibus cultibus tum religionis exercitium, tum certa iurium civilium ac politicorum mensura conceditur». Haec tolerantia politica diverso modo se manifestare potest: negative ac positive, perfecte et imperfecte. Erit tolerantia *negativa* respectu illius confessionis, quae a lege civili mere toleratur; *positiva* respectu illius, quae etiam fovetur ac promovetur. Erit *perfecta*, si confessio aliqua ita recipitur, ut religioni status seu religioni dominanti omnino parificetur. Erit *imperfecta*, si eius cultus nonnisi privatim per singulas familias, vel publice quidem, sed cum certis restrictionibus conceditur. Ex his intelligitur, quid sibi velint phrases hodie admodum triatae: religio seu ecclesia *dominans*, *recepta*, *tolerata*, *reprobata*, confessiones *pares*, *impares* etc.

4. Ab enumeratis speciebus apprime distinguenda est tolerantia *christiana*, qua non quidem error in se, sed errantes tolerantur, immo et amantur; iuxta *Augustini* dictum:<sup>1)</sup> «Non oderitis nisi vitia, homines ametis.»

His praemissis thesis prae primis corollarii instar ex iis omnibus fluit, quae de necessitate religionis (39), de unitate fidei (316), nec non de necessitate Ecclesiae (345 sq) disputavimus. Sed specialia quoque argumenta suppetunt. Dico ergo:

**A. Indifferentismus, tolerantia et libertas religiosa intrinsece et absolute mala sunt.**

1. Propositio enuntiata enim contra illas indifferentismi tam theoretiici quam practici formas dirigitur, quas sub n. 1 et 2 descripsimus. Atqui doctrina iisdem contenta, ut ex obvia consideratione apparet, est *α) haeretica*, immo haeresium cumulus, cum nullum amplius dogma in hoc systemate firmum consisteret. *β) Doctrina impia*, quippe quae divinam revelationem vel saltem eius partem repudiet Deoque obedientiam deneget. *γ) Doctrina absurda*, quatenus omnes professiones religiosas, etiamsi diversas, immo et oppositas, tam theoretice quam practice parificat. *δ) Doctrina pernicio*s*a* tum singulis tum societati; quia una tantum est reli-

<sup>1)</sup> Serm. 49 n. 7.

gio vera, sine qua nec salus aeterna singulorum nec temporalis prosperitas societatis obtineri potest.

2. Indifferentismus tum totalis tum partialis expresse ac iterato a s. Sede damnatus est.<sup>1)</sup>

**B. Tolerantia politica per se quidem illicita est, attamen per accidens licita fieri potest.**

1. *Per se illicita.* Etenim  $\alpha$ ) per se et de iure divino non solum singuli, sed etiam civitates religionem catholicam legibus suis tamquam unice veram amplecti, ac reipublicae moderatores Ecclesiam tueri ac brachio etiam saeculari impedire tenentur, ne vera religio ab hominibus incredulis et perversis turbetur atque in discrimen vocetur.  $\beta$ ) Neque solum contra ius divinum, sed etiam contra *iustitiam legalem et prudentiam politicam* manifesto peccant legislatores, qui eadem iura tribuunt *errori* ac veritati unitatemque religionis pessumdant. Si enim generatim unitas atque concordia civium ad prosperitatem rei publicae necessaria est, quanto magis necessaria erit unitas religionis, quae praecipuum vinculum est animorum.  $\gamma$ ) Patroni absolutae tolerantiae politicae innituntur principio, statum civilem esse natura sua *religionis expertem* (confessionsloser Staat). At hoc principium est falsissimum (27. 31 sq.).  $\delta$ ) Confirmatur propositio nostra praxi Ecclesiae, quae semper reclamavit contra libertatem cultuum atque in concordatis cum regnis pure ca-

---

<sup>1)</sup> Pius IX. (Encycl. Qui pluribus, 9. Nov. 1846) dicit: «*horrendum ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cuiuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores omni virtutis, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine homines in cuiusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla esse posset participatio iustitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial*». In Syllabo damnatur prop. 15: «*Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit*»; cf. prop. 77 et 78 (Denzinger 1715. 1777 sq.). Leo XIII. (Encycl. «Immortale Dei») docet, quod nemini liceat sequi religionem, «*quam maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem plane modo civitates non possunt citra scelus . . . adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libet, omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse determinavit velle*».

tholicis initis, nunquam non unitatem religionis catholicae exclusis ceteris cultibus stipulata est.<sup>1)</sup>

2. *Per accidens licita.* Etenim  $\alpha$ ) haud raro evenit, ut error ac haeresis e republica expelli nequeant, quin turbae ac seditiones excitentur ac respublica ipsaque Ecclesia magnum inde detrimentum capiant. Atqui prudentia postulat, ut minus malum toleretur, ne maius eveniat. Ipse Deus in mundo crescere sinit zizania, ne simul eradicetur bonum semen (Matth. 13, 29). Ergo.  $\beta$ ) Id enuntiat etiam Leo XIII. (Encycl. «Immortale Dei»)<sup>2)</sup>: «Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius aut adipiscendi boni aut prohibendi mali causa, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum.»  $\gamma$ ) Confirmatur praxi etiam piissimorum principum.<sup>3)</sup>

## SECTIO II.

# De Ecclesia catholica, seu quaenam sit vera Ecclesia.

1. *Quaestio magni momenti.* Institutionem, naturam ac 348 proprietates Ecclesiae ex documentis fidei delineavimus, eamque *indefectibilem* esse demonstravimus. Ecclesia Christi ergo hodieum existit. At innumerae sunt sectae plane diversae et oppositae, quae se christianas dicunt, «et singuli quique haereticorum coetus, ut iam *Lactantius*<sup>4)</sup> dicit, se potissimum christianos et suam esse catholicam Ecclesiam putant». *Una sola* autem vera Ecclesia Christi esse potest, eamque omnes ingredi tenentur, qui salvi fieri cupiunt. Quaeritur ergo, quaenam ex his sit Ecclesia Christi. Hanc

<sup>1)</sup> Ita in Concord. cum republ. Ital. 1803, cum regno Neapol. 1818, cum Hispan. 1858. Cf. Allocut. Pii VI. (26. Sept. 1797), Pii IX. (27. Sept. 1852, 17. Dec. 1860, 22. Iun. 1868).

<sup>2)</sup> Denzinger 1874.

<sup>3)</sup> Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 52, 1. 2.

<sup>4)</sup> Div. instit. l. 4 c. ult.

summi momenti quaestionem in praesente sectione solvere debemus.

2. *Ecclesia facile cognoscibilis.* Enimvero quaestio, quaenam sit vera Christi Ecclesia, facile solvi potest. «Deus enim, inquit concilium *Vaticanum* (Sess. III cap. 3 de fide),<sup>1)</sup> per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis *manifestis notis* instruxit.» Sane ipsa est *mons domus Domini in vertice montium* (Is. 2, 2); in *lumine* ipsius ambulabunt gentes et reges in *splendore* eius (60, 3); ipsa est *civitas supra montem posita* (Matth. 5, 14). «Ecclesia, ita pulchre *Bellarminus*<sup>2)</sup> est quasi quidam sol, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, ut facillime per eos cognosci possit.» Neque mirum. Cum Deus pro sua bonitate omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire desideret, et cum ex altera parte extra Ecclesiam nemo salvari queat, profecto concludere oportet, eam facile etiam a rudibus inveniri posse. «Hanc, inquit *Augustinus*,<sup>3)</sup> ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini N. I. Chr. abscondi non potest.»

3. *Modus cognoscendi veram Ecclesiam.* Conc. *Vaticanum*<sup>4)</sup> post verba superius relata subiungit: «Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent, *quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.* Quin etiam *Ecclesia per se ipsa*, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem *magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis* et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationibus (Is. 11, 12) et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes *gratia* sua excitat» etc.

<sup>1)</sup> Denzinger 1793.

<sup>2)</sup> De Conc. et Eccl. I. 4 c. 3.

<sup>3)</sup> Ep. 52 n. 1.

<sup>4)</sup> Denzinger 1794.

His verbis ratio, qua Ecclesia cognoscitur, clare insinuatur. Est quippe duplex; *gratia interna* et *testimonium externum*. Hoc loco non agimus de gratia interna, sed de externo dumtaxat testimonio, quod iterum duplex est; scilicet  $\alpha$ ) ea, «quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita», i. e. *motiva credibilitatis*, quibus generatim veritas religionis christianae probatur, quippe quae omnia ad solam Ecclesiam catholicam pertineant; et  $\beta$ ) «*Ecclesia per se ipsa*». Duplex scilicet via est cognoscendi Ecclesiam: *comparativa* et *absoluta*. Prima via procedo, cum ecclesias praesentes, quae se christianas nominant, comparo cum Ecclesia a Christo instituta, prouti in fontibus fidei describitur, et comparatione facta concludo: sola Ecclesia catholica est identica cum Ecclesia Christi, ergo ipsa sola vera est. Absolute procedo, cum Ecclesiam catholicam hodie existentem in se ipsa considero atque ex manifestis signis divinis, quae in ea coruscant, eius veritatem infero. Prima via supponit cognitionem et veritatem religionis et Ecclesiae a Christo institutae, ac praecipue in disputatione cum *heterodoxis* adhibetur; per alteram viam ipsi *pagani*, qui nihil de Evangelio sciunt, veram Ecclesiam inveniunt.<sup>1)</sup> Vides igitur Ecclesiam, Christi sponsam, simili modo missionem suam probare, ac ipse Christus. Hic namque se ut Messiam probavit tum absolute per miracula aliosque divinitatis characteres in ipso resplendentes, tum comparative ostendens ex prophetiis in ipso impletis, se esse illum Messiam, quem prophetae praedixerunt.

4. Exinde divisio huius sectionis ultro consequitur. Demonstrabimus enim veritatem Ecclesiae catholicae: **a.** *comparative* ex identitate eiusdem cum Ecclesia a Christo instituta; **b.** *absolute* ex divinis characteribus, quae in Ecclesia catholica resplendent eiusque veritatem per se et directe patefaciunt.

---

<sup>1)</sup> Cf. Aug., Serm. 228 n. 3. 2.

## CAPUT I.

**De notis, quibus identitas Ecclesiae catholicae cum Ecclesia a Christo instituta prae reliquis sectis demonstratur.**

349 *Quid sit nota Ecclesiae, et quot notae sint.* Identitas Ecclesiae catholicae cum Ecclesia a Christo instituta demonstrari posset ex analysi totius doctrinae et constitutionis Ecclesiae catholicae, quae ad amussim respondent ideae Ecclesiae Christi in prima sectione delineatae. At haec analysis longa et operosa est, neque etiam necessaria. Christus enim suam Ecclesiam certis *notis* instruxit, per quas facile ab omnibus cognosci et a falsis sectis distingui valet. Hae notae Ecclesiae, ut earum nomen et ratio postulat, sunt  $\alpha$ ) aliquid *manifestum* et quasi conspicuum;  $\beta$ ) aliquid Ecclesia notius,<sup>1)</sup>  $\gamma$ ) eique soli *proprium*. Hinc apparet relatio inter *notas* et *proprietates* Ecclesiae. Omnis quippe nota etiam proprietas est, at non omnis proprietas etiam nota est; sed illae dumtaxat proprietates, quibus Ecclesia *manifesta et quasi conspicua* redditur, simul rationem notae habent.

Unde merito a recentioribus Theologis communiter quatuor notae recensentur: *unitas, sanctitas, catholicitas* et *apostolicitas*. Ad has notas revocari facile possunt, quas

---

<sup>1)</sup> Scribit Card. Mazzella n. 830: «Adverte tamen, notas nos adducere in cognitionem verae Christi Ecclesiae *in concreto* et in individuo, non vero Ecclesiae *in abstracto*; ergo debent esse *notiores*, quam Ecclesia in concreto, non vero *prius nobis cognitae*, quam Ecclesia *in abstracto*. Immo cognitio notarum praesupponit cognitionem Ecclesiae *in abstracto*; non enim pro libitu confingi possunt notae Ecclesiae, sed ab ipsa Ecclesiae natura iuxta Christi institutionem, debent derivari: ergo prius cognosci debet, quid et qualis sit Ecclesia Christi, ut inde notis statutis, per eas discernamus inter varios coetus, qui christiano nomine gloriantur, quinam sit vera Ecclesia.» — At haec observatio nonnisi cum restrictione admittenda esse videtur. Ecclesia enim etiam pro paganis cognoscibilis esse debet, qui nihil sciunt, «quid et qualis sit Ecclesia Christi». Proinde Ecclesia etiam tales notas habere debet, quibus per se, non praesupposita cognitione religionis christianae, se ut Ecclesiam divinitus institutam exhibet. De his notis loquemur in capite sequente.

*Augustinus*<sup>1)</sup> proponit: «Multa sunt . . . quae in eius (Ecclesiae catholicae) gremio me iustissime tenent. Tenet consensus populorum atque gentium (en unitas!); tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata (en sanctitas iuncta apostolicitati!); tenet ab ipsa sede Petri . . . usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum (en apostolicitas!); tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses . . . ista Ecclesia sola obtinuit» (en catholicitas!). Alii auctores veteres vel pauciores vel plures notas assignant. Sic *Hieronymus*<sup>2)</sup> duas, *Vincentius Lirin.*<sup>3)</sup> tres, *Bellarminus*<sup>4)</sup> quindecim, alii usque centum afferebant. At dissensus non est realis, sed potius verbalis, a ratione dependens, qua nota concipitur.

Novatores saeculi 16., qui Ecclesiae visibilitatem reiecerunt, consequenter etiam notas Ecclesiae negabant. At cum ab onere iustificandae suae defectionis aliter se expedire non possent, paulatim quasdam notas, mox plures, mox pauciores produxerunt, quas deinde communiter ad duas, scilicet ad *sinceram verbi Dei praedicationem* et ad *legitimam sacramentorum dispensationem* reduxerunt. — Graeci schismatici antiquiores vix loquuntur de notis Ecclesiae. Nuperrime tamen prodiit summa *Theologiae Orthodoxae* quae ita statuit: Vera Ecclesia ea est, *quae conservat realiter et sine variatione infallibilem doctrinam antiquae Ecclesiae oecumenicae*, in unanimi consensu Patrum et professione fidei septem priorum oecumenicorum Conciliorum. Hoc principium *clarum* et *determinatum* esse dicunt, ac fundamentale pro christianis et securum in applicatione.<sup>5)</sup>

Quaeremus igitur:  $\alpha$ ) an revera Christus suam Ecclesiam quatuor recensitis notis instruxerit;  $\beta$ ) cuinam ex coetibus christianis nunc existentibus istae notae competant.

<sup>1)</sup> Contr. ep. Fund. c. 4 n. 5; cf. Specht, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin (Paderborn 1892).

<sup>2)</sup> Dial. contr. Lucifer. n. 28.

<sup>3)</sup> Commonit. II sq.

<sup>4)</sup> De Eccl. milit. l. 4.

<sup>5)</sup> Introduction à la Theologie Orthodoxe de Macaire, traduite par un Russe, 2 ème Partie, Sect. 3 § 144 (Paris. 1857). Haec Summa in seminariis totius Russiae ceu norma studiorum introducta est.

## ARTICULUS I.

**Utrum unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas sint notae Ecclesiae a Christo institutae.**

350 **Thesis 99.** α) *Reiectis notis Protestantium et Graecorum statuimus:* β) *Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas non solum proprietates, sed simul verae notae sunt, quibus Christus Ecclesiam suam omnibus manifestam fieri voluit.*

**A.** *Vera doctrina et legitima sacramentorum dispensatio non sunt notae Ecclesiae.*

Nam **a.** istae notae sunt *ontologice insufficientes*. Ecclesia quippe schismatica saltem aliquo tempore potest retinere veram doctrinam et legitima sacramenta; et tamen est ecclesia falsa, quia est schismatica. — **b.** Multo magis sunt *logice insufficientes*; quia non sunt *notae*, i. e. conspicuae et obviae, sed valde absconditae et difficiles cognitu, praesertim pro rudibus. *Neque sunt notiores* Ecclesia, quia vera doctrina per Ecclesiam et non Ecclesia per veram doctrinam cognosci debet. Vera quippe doctrina, praesertim ex Protestantium sententia, eruenda est ex Scriptura; at Scriptura independenter ab Ecclesia non cognoscitur (232 sqq). Ergo istae notae Protestantium plane ineptae sunt muneri manifestandi Ecclesiam. Confirmatur, quia omnes sectarii veram doctrinam et legitima sacramenta sibi vindicant.

**B.** *Nec theoria schismaticorum proponit veram notam Ecclesiae.*

**a.** «Conservatio absque varietate» seu identitas Ecclesiae praesentis cum antiqua usque ad VII. concilium, non ostendit veritatem Ecclesiae praesentis, nisi illa antiqua iam *supponatur* esse vera Ecclesia. Ergo «conservatio absque varietate» non est generalis nota Ecclesiae, sed aliam supponit. — **b.** Quaero insuper: cur schismatici ut notam verae Ecclesiae statuunt identitatem fidei Ecclesiae praesentis cum fide primitivae Ecclesiae usque ad concilium septimum tantum, excluso octavo; cum conc. VIII., ante separationem Graecorum ab Ecclesia latina Constantinopoli celebratum, ab ipsis Graecis ut oecumenicum habitum fuerit? Profecto non habent aliam rationem, nisi quia in concilio VIII. et damnatio Photii et professio primatus expresse continetur.

— c. «Invariationem doctrinae» non possunt schismatici intelligere *materialiter* seu quoad litteram, quia similis mutatio, quam obiciunt Ecclesiae latinae propter additionem particulae «Filioque», iam occurrit in concilio II., quod symbolo Nicaeno addidit expressam declarationem divinitatis Spiritus sancti contra Macedonianos. Si vero invariatio doctrinae *formaliter* intelligitur, ea utique exclusive invenitur in Ecclesia catholica, minime vero in schmatica; non enim Ecclesia latina, sed graeca fidem mutavit.<sup>1)</sup>

C. *Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas sunt verae notae Ecclesiae a Christo institutae.* 351

Prob. 1. Ex symbolo: *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* His verbis ista quatuor epitheta non quidem expresse, sed tacite proponuntur ut notae. Quare enim ex omnibus proprietatibus et praerogativis Ecclesiae praecise istae quatuor professioni fidelium proponuntur, nisi ut statim sciant, qualis et quaenam sit illa Ecclesia, quam credere teneantur? Non immerito ergo Theologi ad probandas istas notas provocare solent ad symbolum.

2. Si testimonia Scripturae, quibus unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem tamquam Ecclesiae proprietates demonstravimus, attente inspiciantur, facile ex iisdem etiam ratio notarum eruitur. Sane a. *unitas* inter alia inde probatur, quia Ecclesia exhibetur ut unus grex, unum ovile cum uno pastore, ut una domus et una civitas Dei ac nova Ierusalem, ut sponsa et corpus Christi (315 sqq.). Atqui haec non solum demonstrant, Ecclesiam *esse* unam, sed demonstrant insuper Ecclesiam *apparere* et *manifestari* ut unam; quemadmodum manifesta et conspicua est unitas gregis, domus, civitatis, corporis. — b. Item *sanctitas*, tam moralis quam manifestativa (319), in ss. litteris non solum ut Ecclesiae proprietas, sed etiam ut nota exhibetur. Iam vaticinia antiqua Ecclesiam messianam tamquam hortum voluptatis describunt; non materialem, ut per se patet, sed ut spiritualement floribusque virtutum plenum.<sup>2)</sup> Maxime vero

<sup>1)</sup> Cf. Billot, De Eccl. Chr. t. 1 pg. 128 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. Is. 11, 6 sqq; 41, 8; 61, 11.

*caritas* est veluti signum distinctivum discipulorum Christi (Ioan. 13, 35; Act. 2, 45 sqq). Ad *miracula* aliaque charismata tam Christus quam Apostoli provocant, tamquam ad signa certissima verae religionis atque adeo Ecclesiae christianae, quae in concreto convertuntur (Marc. 16, 17; I Cor. 2, 4). — c. *Catholicitatis* nota manifeste indicatur illis locis, ubi tota terra haereditas Messiae dicitur, eiusque Ecclesia comparatur cum monte et civitate in monte posita, ad quam omnes gentes confluent; cum lapide, qui universam terram implevit;<sup>1)</sup> etc. — d. *Apostolicitatis* nota innuitur, cum Apostoli eorumque successores in ss. litteris exhibentur ut petra et fundamentum Ecclesiae, ut lux mundi, ut pastores et rectores etc. (Apoc. 21, 14; Matth. 5, 14; 16, 18; I Petr. 5, 1). Haec enim certe aliquid omnino conspicuum sunt.

3. Patres ad demonstrandam Ecclesiae catholicae veritatem passim ad unam ex praefatis proprietatibus provocant, atque ex earum defectu sectas falsitatis arguunt. Sic *unitatem* urgent *Irenaeus*,<sup>2)</sup> *Tertullianus*,<sup>3)</sup> *Cyprianus*,<sup>4)</sup> *Augustinus*<sup>5)</sup> contra schismaticos eosque ex unitatis defectu refellunt. «Dissensio quippe vos et divisio facit haereticos, pax vero et unitas facit catholicos.»<sup>6)</sup> Ad *sanctitatem* et miracula omnes apologetae christiani provocabant, ut religionis christianae veritatem demonstrarent. *Notam apostolicitatis* extollunt *Irenaeus*, *Tertullianus* supra allegati alique passim. «Brevem tibi, inquit *Hieronymus*,<sup>7)</sup> apertamque animi mei sententiam proferam: *in illa Ecclesia permanendum esse*, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat.» *Optatus*<sup>8)</sup> vero haereticos lacescit: «Vestrae cathe-

<sup>1)</sup> Aug., l. 2 contr. lit. Petil. c. 38 exponens hanc prophetiam exprobrat Donatistis: «Clausis oculis offenditis in montem, qui ex parvo lapide secundum prophetiam Danielis crevit, et implevit universam terram.» Cf. De unit. Eccl. c. 6.

<sup>2)</sup> Adv. haer. l. 4 c. 26; l. 3 c. 3.

<sup>3)</sup> De praescr. cc. 28. 32 (vide tract. de tradit. nn. 171. 174).

<sup>4)</sup> In lib. de unitate Eccl. passim.

<sup>5)</sup> De unit. Eccl. c. 4: «Quicumque Ecclesiae unitati non communicant, non sunt in Ecclesia.»

<sup>6)</sup> August., Contr. lit. Petil. l. 2 c. 95 n. 219.

<sup>7)</sup> Dial. c. Lucif. n. 27.

<sup>8)</sup> Contr. Parmen.; cf. Tertull., De praescript. c. 32; Cypr., Ep. 76 ad Magn. n. 3; Iren., Adv. haer. l. 4 c. 26.

drae originem ostendite, qui vobis vultis s. Ecclesiam vindicare.» — *Catholicitatem* denique tanti faciunt, ut vel ex nomine veritatem Ecclesiae catholicae contra Donatistas aliosque haereticos defendant: «Ab haeretico nomine, inquit *Augustinus*,<sup>1)</sup> noster populus hac appellatione dividitur, cum *catholicus* dicitur»; et alibi:<sup>2)</sup> «Tenet (me) postremo et ipsum *catholicae* nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sola Ecclesia hoc nomen obtinuit.» Similia habent Pacianus et Cyrillus Hieros. superius allegati (340).

4. Ex ratione theologica: a. *Negative*. Nulla enim alia nota Ecclesiae assignari potest, quae ad unam ex praedictis revocari nequeat. Quare, si istae non essent verae notae Ecclesiae, nullae essent. — b. *Positive*, quia unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas ex una parte soli verae Ecclesiae competunt, ex alia parte tum quoad *ius* tum quoad *factum* facile cognoscuntur. Quoad *ius*, inquam, quia evidentissimis Scripturae testimoniis constat, Ecclesiam Christi revera unam, sanctam, catholicam et apostolicam esse debere. Quoad *factum*, quia non minus evidens est, solam Ecclesiam catholicam his notis fulgere; ut in sequente ostendamus.

**Obiectio** 1. Ecclesia probatur per verbum Dei. Ergo 352 verbum Dei notius est Ecclesia, ideoque eius nota dici debet. Hoc etiam Patres docent: «Ecclesia, inquit Hieronymus,<sup>3)</sup> ibi est, ubi vera fides est.» Similiter *Augustinus*<sup>4)</sup> et *Chrysostomus*<sup>5)</sup> docent, Ecclesiam ex Scripturis descendam esse.

Resp. a. Ecclesia nec unice nec simpliciter ex Scriptura probatur, sed potius Scriptura ab Ecclesia desumi debet, iuxta illud *Augustini*:<sup>6)</sup> «Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas»

<sup>1)</sup> De vera relig. c. 6.

<sup>2)</sup> Contr. ep. Fund. c. 4; cf. Hieron., Dial. c. Lucif. n. 9; Athanas., Or. 1 c. Arian. n. 2. 3.

<sup>3)</sup> In Psalm. 133.

<sup>4)</sup> De unitate Eccl. c. 19 n. 50: «Utrum ipsi (Donatistae) Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant.»

<sup>5)</sup> Hom. 49 in Matth. c. 24.

<sup>6)</sup> Contr. ep. Fund. c. 5 n. 6.

(235). — **b.** Nihilominus merito Patres contra adversarios, qui cum Catholicis Scripturam admittebant, sed Ecclesiam catholicam negabant, ad Scripturam tamquam ad principium commune provocabant. — **c.** At non provocabant ad Scripturam universim, sed ad illos locos clarissimos, qui de notis verae Ecclesiae, scilicet de catholicitate, unitate etc. agunt. — **d.** Dictum: «Ecclesia ibi est, ubi fides vera est», concedi debet ontologice, sed non logice; scilicet certissime in Ecclesia *est* vera fides, at Ecclesia non *cognoscitur* ex vera fide; saltem non ab omnibus, praesertim rudibus.

**Obiectio 2.** Saltem sanctitas non est nota Ecclesiae. Omnes enim sectae sibi vindicant sanctitatem; ergo haec proprietas inepta est, ut munere notae fungatur. Patres quoque passim docent, veram sanctitatem, verum martyrium, vera miracula ibi tantum haberi, ubi est vera fides. Ergo fides (obiectiva) seu verbum Dei est nota verae sanctitatis et verae Ecclesiae, non viceversa. — Resp. Falsum imprimis est, omnes haereticos ad notam sanctitatis, praesertim ad miracula provocasse. Novatores saeculi 16. enim, bona opera et miracula parvipendentes, de fide unice gloriabantur.<sup>1)</sup> Ex veteribus haereticis praesertim Donatistae ad sanctitatem et miracula provocabant. Quos tamen Augustinus refellit, ostendens eos nec veram sanctitatem nec martyria nec miracula vera habere, eo quod caritas, unitas et vera fides eis desit. Unde concludit: «Aut falluntur aut fallunt»; nam «praeter unitatem, et qui facit miracula, nihil est.»<sup>2)</sup> Augustinus ergo non reiicit notam sanctitatis simpliciter, sed secundum quid, scilicet fucatam sanctitatem Donatistarum, quos aliis notis iam refutaverat. Patres videlicet non semper omnes ac easdem notas, sed pro adiunctorum diversitate mox unam mox alteram magis urgebant.

*Nota.* Obiectiones, quae contra *unitatem* et *catholicitatem* fieri solent, iam praeoccupavimus (318. 342).

<sup>1)</sup> Sic Luther (lib. de servo arbitrio) scribit: «A nobis, qui negamus liberum arbitrium, miracula exigere non debent.» Calvinus ad regem Galliae scribit: «Quod miracula a nobis postulant, improbe faciunt.» Ceterum fatentur ipsi reformatores candide corruptos mores suorum asseclorum.

<sup>2)</sup> Cf. De unit. Eccl. c. 19 n. 49; in Ioan. tr. 13 n. 17; Serm. 138 c. 2 n. 2; Ep. 173 n. 6.

## ARTICULUS II.

**Cuinam ex coetibus, qui se christianos dicunt,  
istae notae conveniant.**

Ostendemus  $\alpha$ ) negative, easdem nulli sectae acatholice convenire;  $\beta$ ) positive, easdem Ecclesiae catholicae tam collective, quam singillatim competere. 353

**Thesis 100.** *Notae, quibus Christus Ecclesiam suam signavit, in sectis acatholicis non reperiuntur. Nulla ergo ex his sectis est vera Ecclesia Christi.*

Nec possibile nec necessarium est, ut omnes haereses et schismata ad trutinam revocentur, cum innumerae fuerint ac pleraeque iam perierint, nec quisquam de earum falsitate amplius ambigat. Sufficit, ut tres praecipuas professiones christianas nostri temporis, *protestanticam, anglicam* et *schismaticam graecam* breviter examinemus.<sup>1)</sup> — Itaque:

1. *Carent omnes unitate.* Hoc a. veluti a *priore* concludi potest, eo quod principio unitatis destituuntur. Unitas fidei enim sine magisterio infallibili, unitas liturgica sine sacerdotio, unitas communionis et regiminis sine pastoribus a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam positis, unitas domus spiritualis sine fundamento haberi nequit. Atqui *Protestantes* his omnibus carent, nullum discrimen essenziale inter clerum et laicos agnoscunt ac spiritu privato ex littera mortua s. Scripturae fidem sibi exquirunt. *Anglicani* pariter non solum primatu, ideoque magisterio infallibili veraeque Ecclesiae fundamento, sed etiam legitimo sacerdotio destituuntur; cum ex authentica declaratione *Leonis XIII.* (Litterae Apostol. de Ordinationibus Anglicanis, dd. 13. Sept. 1896) eorum ordinationes omnino invalidae sint.<sup>2)</sup> *Orientalis schismatici* vero, licet episcopatum habeant, carent ta-

<sup>1)</sup> Fuse de notis Ecclesiae agit Ottiger, Theologia fundamentalis t. 2 pg. 495—1061 (Friburgi Br. 1911).

<sup>2)</sup> «Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronuntiamus et declaramus, ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse omninoque nullas.» Denzinger 1966.

men centro unitatis scilicet petra, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam suam.

**b.** Idem a *posteriore* constat tam ex historia quam ex facto praesente. Omnes enim Novatores saec. 16., mox ut ab Ecclesia catholica defecerunt, varias sectas efformabant; principes apostatae ecclesias nationales constituebant secundum axioma: Cuius regio, illius et religio est. Notum praeterea est ac veluti oculis conspiciamus, quomodo nihil apud ipsos firmum sit, nihil ratum nec quoad numerum sacramentorum, nec quoad inspirationem et canonem sacrorum librorum, nec quoad singula dogmata etiam maxime fundamentalia. Argumentum palmare huius dissensus est controversia nuper tantopere in Germania agitata de necessitate fidei in *symbolum apostolicum*. — Etiam schismatici post suam discessionem ab Ecclesia catholica non solum in varios patriarchatus ab invicem independentes, sed etiam in varias sectas fide dissidentes abierunt, quarum praecipuae *Raskolnici* in Russia et *Palamitae* in Graecia nominantur.<sup>1)</sup> Profecto, haeretici et schismatici omnes pene in solo odio contra Ecclesiam catholicam concordēs esse videntur.

354 **2. Carent sanctitate;** quod similiter probatur: **a.** ex defectu principii interni sanctitatis. Protestantes enim dogmata profitentur sanctitati e diametro opposita, puta de sola fide iustificante, de servo arbitrio, de bonis operibus ad salutem non necessariis. Nullum praeterea habent verum sacramentum praeter Baptismum; missae sacrificium, sacramentalia, suffragia sanctorum ac pene omnia media salutis reiecerunt. Idem, licet non eodem gradu, de reliquis haeticis et schismaticis valet. Omnes quippe praecisi sunt ab unitate corporis Christi, extra quam non quidem omnis gratia deest, sed non dantur gratiae illae copiosae, quae a capite Christo in totum eius corpus diffunduntur et sine quibus non floret vera sanctitas. — **b.** Iuxta effatum Christi (Matth. 7, 16 sqq) arbor mala non potest bonos fructus facere, neque colligi possunt de spinis uvae aut de tribulis ficus. Atqui *Lutherus*, *Calvinus*, *Zwinglius*, *Henricus VIII.*, *Photius* aliique haeresium et schismatum auctores et antesignani, sine ullo

<sup>1)</sup> Cf. Hergenröther, Kirchenlexikon, Bd 10 Sp. 772—88.

calumniae vel exaggerationis periculo propter sua vitia arboribus malis, tribulis et spinis comparari possunt ac debent. Ergo praesumendum est, nec fructus harum arborum, id est ipsas haereses et schismata, bonos esse posse. — c. Et revera historia, quae partium studio non est infecta, hoc luculenter confirmat. Nulli enim apud acatholicos veri *sancti* reperiuntur, miraculum nullum fide dignum proferre possunt, mores populorum post exortam sic dictam reformationem ubique terrarum in Germania, Anglia, Gallia etc. non sunt reformati sed deformati, ita ut ipsi haeresiarchae de inundante corruptela conquererentur.<sup>1)</sup> Ecclesia item graeca, a vivo corpore Christi abscissa, pene exaruit.<sup>2)</sup>

3. *Carent apostolicitatē*; et quidem a. apostolicitate *fidei*, quod ex ipsa Novatorum confessione probatur. Fatentur enim, suam doctrinam saltem relative novam esse, eo quod a fide, quae in Ecclesia universali saltem inde a saec. 12. vel etiam iuxta plurimos eorum inde a tempore Patrum invaluerat, dissentiat. Atqui fides apostolica nunquam defecerat neque deficere poterat (174). Ergo fides Novatorum saec. 16. non est fides apostolica. Etiam fides Graecorum talis non est, quia duos articulos, in doctrina apostolica evidenter contentos, scilicet processionem Spiritus sancti a Patre Filioque et primatum R. Pontificis negant. — b. *Carent multo magis successione apostolica*. Apud pastores quippe schismaticos legitima missio, apud Protestantes et Anglicanos autem ordinatio quoque valida deest. Sine ordinatione autem et missione nemo legitimus successor Apostolorum esse potest. Frustra autem Protestantes ad *missionem extraordinariam* provocant, quippe quae nonnisi signis extraordinariis i. e. miraculis vel aliis charismatibus divinis probari possit; haec signa autem illis

<sup>1)</sup> Sic Luther (Postilla in Evang. Dom. 1 Adv.) scribit: «Mundus in dies fit deterior; sunt nunc homines magis vindictae cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati, multoque deteriores quam fuerint in papatu.» Similes confessiones passim occurrunt apud Döllinger, Die Reformation; Ianssen, Geschichte des deutschen Volkes, Bd 2 et 3.

<sup>2)</sup> De schismaticis bene dicit Augustinus, Serm. 46 al. 165 c. 8 n. 18: «Illi sic sunt tamquam sarmenta inutilia, agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae.»

prorsus desunt. Lutherus ipse quatuordecim diversa et partim opposita tentamina fecit, ut missionem suam reformatorem probaret (337 sq).<sup>1)</sup>

4. Denique etiam nota *catholicitatis* apud haereticos et schismaticos desideratur. **a.** Deest ipsis *nomen*; non enim Catholici, sed Lutherani, Calvinistae, Anglicani, Graeci vel communi nomine *A catholici* appellantur, atque adeo ex ipsa sua appellatione, ut Patres frequenter inculcant, redargui possunt, quod non sint Ecclesia Christi (340). — **b.** Multo magis ipsa *res*, nomine significata deest, catholicitas nimirum tam *interna*, quae in possessione totius substantiae Evangelii, omnium scilicet dogmatum et mediorum salutis constat; quam *externa*, quae in diffusione Ecclesiae per totum orbem consistit. Omnes namque sectae haereticae et schismaticae certis temporibus exortae certas regiones occupant ac determinatis regionibus quasi alligantur, et suapte natura ecclesias regionales et nationales constituunt. Cum enim centro aliquo et capite spirituali destituantur, auctoritas suprema etiam in ecclesiasticis penes ipsos in principe civili residere consuevit; unde omnes istae sectae spiritu particularismi nationalis infectae sunt.<sup>2)</sup> — Praeterea, quantacunque sit earum diffusio, ea potius materialis quam formalis est, cum quaevis haeresis in seipsa plus minus scissa esse soleat. Hinc nulla profecto secta monstrari potest, quae vera catholicitate fulgeat, ac per totum orbem diffundatur iuridice, virtualiter, formaliter, immo nec materialiter (339).

355 **Obiectio 1.** Protestantes principium habent unitatis, nimirum s. Scripturam; Anglicani et Graeci insuper s. hierarchiam agnoscunt; apud omnes denique symbola, synodi, consistoria aliaque adminicula unitatis reperiuntur. — Resp. Haec media producendae unitati, quam Christus notam suae Ecclesiae esse voluit, haud sufficiunt. Scriptura namque est littera mortua ac innumeris atque oppositis expositionibus, si desit infallibilis interpres, laceratur (250). Hierarchia

<sup>1)</sup> Cf. Döllinger, Die Reformation Bd 3 S. 202 ff.

<sup>2)</sup> Hodierni Protestantes propagationi fidei inter paganos magno quidem studio incumbunt, sed principaliter ex invidia contra catholicos atque ad dissidia in propriis castris saltem quoad speciem externam superanda. Cf. Gutberlet, Apologetik, Bd 3 S. 94 ff.

sacra, nisi et ipsa aliquo centro et communi capite regatur, Ecclesiam per totum mundum dispersam in unitate continere non valet. Neque symbola, synodi aliave media multum proficient, si suprema desit auctoritas, qua omnes fideles efficaciter obligentur, ut articulos symbolorum ac decreta synodorum humiliter suscipiant; haec autem suprema et irrefragabilis auctoritas omnibus A catholicorum sectis deest. Proinde mirum non est, quod etiam unitas deest, ut oculis quotidie cernere licet.

**Obiectio 2.** Omnes Christiani habent Christum, auctorem et fontem omnis sanctitatis; ergo sancti esse possunt ac revera plurimi eorum eximie probi sunt. — Resp. Haeretici et schismatici *formales*, i. e. qui scientes et volentes in haeresi vel schismate perseverant, Christum non habent, quia «non habet Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem». Haeretici et schismatici, qui *materiales* audiunt, utique Christum habent, at plurima ipsis desunt media salutis, quae tantum in vera Ecclesia existunt. Hinc salutem quidem consequi sanctitatemque ad salutem simpliciter necessariam sibi comparare possunt, sanctitatem vero heroicam charismatibus supernaturalibus fulgentem adipisci non valent; nec unquam huiusmodi sanctitas in castris haeticorum et schismaticorum reperta est. Atqui haec maxime sanctitas, non quaevis probitas obvia et communis, notam Ecclesiae Christi constituit. Immo observa, ex haeresi et schismate *qua tali* neque probitatem communem, sed rebellionem et vitia pullulare. Non enim huiusmodi homines ideo probi sunt, *quia* sed *quamvis* haeretici vel schismatici sint, et quia patres suos haeresiarchas eorumque principia non sequuntur.

**Obiectio 3.** Saltem celerrima propagatio protestantismi per Europam notam catholicitatis et argumentum veritatis importat. — Resp. Nego omnino; falsum enim est, protestantismum unquam per totum orbem propagatum fuisse, ita ut saltem materialiter catholicus dici posset; multo vero minus formali catholicitate gaudere potest, cum desit unitas (339). Rapida propagatio alicuius sectae per se inspecta non arguit veritatem eiusdem; alioquin Mohammedanismus,

qui celerius et amplius diffusus est, multo magis verus esse deberet quam protestantismus (160).

356 **Thesis 101.** *Notae, quibus Christus Ecclesiam suam manifestam esse voluit, in Eccl. catholica reperiuntur. Ipsa ergo est Ecclesia Christi.*

**A.** Probatur primo *generatim et indirecte*.

1. Per *exclusionem*. Ecclesia Christi enim est indefectibilis et adhucdum durat. Sed ex probatis nulla ex sectis acatholicis est Ecclesia Christi. Restat ergo sola Ecclesia catholica.

2. Per *comparisonem*. Certe enim Ecclesia catholica maiore *unitate* gaudet, quam Protestantes, Anglicani et Graeci; quod ipsi vix negare audébunt. *Amplitudo* maior pariter evidens est et a nemine negatur; evidenter quoque *antiquior* est Ecclesia catholica quavis alia secta christiana, ideoque maiore iure apostolicitatem sibi vindicat quam illae. Neque demum de nota *sanctitatis* longa disquisitio requiritur, cum acatholici ad hanc notam ne provocare quidem audeant, nec speciem quidem illius habeant, Ecclesia catholica autem quovis tempore longum sanctorum et miraculorum catalogum texere non desistat.

3. Per *praescriptionem*. Hoc argumentum variis modis instrui potest. *α)* Ita: Quando Photius schisma fecit, quando Novatores saeculi 16. surrexerunt, iam exstitit Ecclesia catholica. Ipsa ergo omnibus praescribere potest, iuxta axioma iuris: Prior tempore, potior iure. — *β)* Vel ita: Inter omnes coetus christianos certe ille est verus, qui primus; nam, ut *Augustinus* dicit, «haereses omnes de illa (i. e. de Ecclesia Christi) exierunt». Certe non essent gemmae falsae, nisi prior fuisset gemma vera. Atqui Ecclesia catholica evidenter prior est quovis alio coetu, qui se christianum dicit. Ergo nostra Ecclesia est vera: «Posterior nostra res non est, immo omnibus prior est; hoc erit testimonium veritatis.»<sup>1)</sup> — *γ)* Denique cum *Bellarmino*<sup>2)</sup> hoc argumentum ita instituere licet. De omnibus sectis acatholicis ista sex facillime ostendi possunt: auctor sectae; dogma aliquod novum; tem-

<sup>1)</sup> Tertull., De praescr. c. 35.

<sup>2)</sup> De Eccl. milit. l. 4 c. 5; cf. Hurter n. 439.

pus quo coepit; locus ubi coepit; quis eam impugnaverit; denique exiguus aliquis coetus, unde paulatim aliis accedentibus coeperit. At nihil horum adversarii unquam de nostra Ecclesia post apostolica tempora demonstrare potuerunt. Ergo nostra est vera Ecclesia Christi.

**B. Probatur *directe* quoad singulas *notas*.**

357

1. Ecclesia catholica est *una* unitate fidei et regiminis, de iure et de facto. — De *iure*, inquam; Ecclesia catholica namque habet successorem Petri, super quem Christus suam Ecclesiam aedificavit, et cui Dominus totum suum gregem pascendum commisit; habet episcopos, legitimos successores Apostolorum, positos a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei; habet uno verbo collegium petro-apostolicum, cui Christus suam assistentiam et Spiritum veritatis promisit in aeternum. Ecclesia catholica ergo unitatem fidei et regiminis conservare *potuit*. — Sed conservavit et conservat illam etiam de *facto*. Inspice, quaeso, symbola, professiones fidei, cursus dogmaticos pro institutione cleri, catechismos pro instructione laicorum, aliaque documenta publica fidei, in quacunque lingua edita: et ubique eandem reperies fidem, ne uno quidem dogmate addito vel demto vel mutato. Si quis enim vel unum dogma publice sciens et volens negaverit, iam ipso facto Ecclesiae catholicae membrum esse desinit. Inspice porro omnes libros liturgicos, assiste in quacunque mundi plaga sacramentorum administrationi, incruenti sacrificii celebrationi aliisque functionibus liturgicis; et ubique in accidentalibus quidem varietatem, in substantialibus vero reperies unitatem. Perlustra denique omnes et singulas dioeceses huius Ecclesiae, et ubique fideles cum episcopis, episcopos cum R. Pontifice cohaerere perspicies: ita ut de ea verificetur celebris *Cypriani* definitio:<sup>1)</sup> «Ec-

<sup>1)</sup> Ep. 69. — Item verba, quibus Lugdunensis martyr Irenaeus unitatem Ecclesiae sui temporis describit, ad amussim respondent Ecclesiae catholicae nostri saeculi: «Ecclesia, inquit (Adv. haer. l. 1 c. 10), per universum orbem usque ad fines terrae seminata et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum (sequuntur articuli symboli). Hanc praedicationem cum acceperit et hanc fidem quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam

clesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens.» Ecclesia catholica ergo vere una est *ut castrorum acies ordinata* (Cant. 6, 3).

358 2. *Est sancta* (320). Et quidem primo sanctitate *physica*: doctrina fidei et morum, sacramentis, sacrificio incruento missae, liturgia innumerisque mediis salutis, quae omnia eo tendunt, ut hominem a peccato abstrahant atque ad bonum virtutesque etiam heroicas promoveant. Praeterea Ecclesia catholica claret etiam sanctitate *moralis* et *manifestativa*, in quibus maxime *nota* sanctitatis consistit, eo quod haec natura sua magis conspicua sunt. Quamvis enim negare nec possimus nec velimus, etiam in nostra Ecclesia semper peccatores eosque gravissimos ac scandala magna inveniri, simul tamen haec tuto affirmare licet: α) Innumeri sunt Catholici, qui peccata fugiunt, et si quando labuntur, statim se emendare virtutesque suo statui congruentes sectari contendunt. β) Plurimi sunt Catholici, qui etiam perfectionem christianam pro viribus consequi student. γ) Quovis tempore in Ecclesia catholica floruerunt sancti sensu eminente, quorum sanctitatem Deus etiam per miracula, historice et critice certissima, comprobare dignatus est (154, 4).<sup>1)</sup>

3. *Est apostolica*. Assertionem eadem facilitate et evidentia contra haereticos modernos probamus, ac olim sancti Patres contra haereticos sui temporis id evicerunt: «Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverunt, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae

---

animam habens et unum cor, et consonanter hanc praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquela dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae, ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberis (Hispania) sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente, neque hae, quae in Aegypto; neque hae, quae in Libya, neque hae, quae in medio mundi constitutae. Sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.»

<sup>1)</sup> Cf. Bened. XIV., De beatif. et canon. serv. Dei l. 1 cc. 2. 6. 7.

census suos deferunt.»<sup>1)</sup> Hoc argumento invicto, per solam enumerationem legitimorum episcoporum, praesertim successorum s. Petri in cathedra romana, Tertullianus, Irenaeus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, alique Patres catholicae Ecclesiae veritatem et omnium sectarum falsitatem simul demonstrarunt. Atqui hoc argumentum in Ecclesia catholica hodie eodem robore perdurat. In cathedra romana enim *Pius XI.* sedet, qui in serie nunquam interrupta successorum b. Petri ducentessimus sexagesimus sextus est et hodie gloriose regnat. Reliqui item episcopi Ecclesiae catholicae omnes «aliquem ex Apostolis aut apostolicis viris habuerunt auctorem et antecessorem».<sup>2)</sup>

4. *Catholicitatis* denique notam Ecclesiae romanae competere: a. iam ex ipso nomine constat. Romana namque Ecclesia semper et ubique *catholica* dicebatur, atque hoc nomen tam proprium sibi habuit, ut nunquam ab haereticis ei eripi potuerit, quantumvis omni conatu id saepe tentaverint. Sicut enim, teste *Augustino*, Catholici suo tempore Macariani seu Traditores, Homousiani, Manichaei et Traduciani per calumniam nominabantur;<sup>3)</sup> ita hodie Papistae, Romanenses, Ultramontani et similibus nominibus per contemptum ab adversariis appellamur. Nihilominus Ecclesia catholica suum nomen semper retinuit. Nam, ut idem *Augustinus*<sup>4)</sup> dixit, «velint nolint, ipsi quoque haeretici et schismatici alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur». Quomodo, quaeso, haec appellatio tam universalis et constans aliter explicari poterit, nisi quia Ecclesia romana reipsa catholica est? — b. Et sane, ita est. Ecclesia enim a b. Petro, principe apostolorum Romae fundata, statim ab omnibus habita est ut Ecclesia matrix, cui omnes aliae, licet ab Apostolis fundatae

<sup>1)</sup> Tertull., De praescript. c. 32.

<sup>2)</sup> Cf. Gams, Series episcoporum Ecclesiae catholicae (Ratisbonae 1873—79); Eubel, Hierarchia catholica medii aevi, 3 vol. (Monasterii 1898—1910).

<sup>3)</sup> Contr. ep. Fund. c. 4 n. 5; Contr. serm. Arian. c. 36 n. 34; Contr. duas ep. Pelag. l. 1 c. 2 n. 4; Contr. Iulian. op. imperf. l. 1 c. 6.

<sup>4)</sup> De vera relig. c. 7 n. 12.

ecclesiae adhaerere ac subiacere debebant. Continuo missionarii in omnes regiones ab hoc centro exierunt innumerasque ac diversissimas gentes eidem aggregarunt, ita ut iam Leo M. Romam felicem praedicare potuerit, «quod per sacram b. Petri sedem caput orbis effecta latius praesideret religione divina quam dominatione terrena». <sup>1)</sup> Neque iste vigor crescendi seseque dilatandi unquam in hac Ecclesia emarcuit, sed semper iuvenescens novos semper filios Christo peperit. <sup>2)</sup> Et licet aliquando etiam integri populi ab ea defecerint, iactura statim aggregatione novorum compensata fuit; quemadmodum e. g. apostasia prioribus saeculis aerae christianae in Oriente facta supplebatur per conversionem populorum septentrionalium Europae, et defectio per sic dictam reformationem inducta compensabatur aggregatione multorum populorum in India et America. Hinc factum est, ut Ecclesia romana a primis temporibus aerae christianae ad nostra usque tempora, eadem semper manens, amplitudine absolute magna et relative maiore quavis alia ecclesia totum orbem impleverit et adhucdum impleat. Catalogi statistici enim 351 miliones Catholicorum in omnibus terrae partibus exhibent; dum innumerae sectae protestanticae, simul sumptae solummodo numerum 164 millionum, schismatici Orthodoxi numerum 131 millionum attingunt. <sup>3)</sup> Ista ecclesiae ergo iam diffusionem *materiali* ca-

<sup>1)</sup> Serm. 1 in natali Ap. Petri et Pauli.

<sup>2)</sup> Cf. Schwager, Die kathol. Heidenmission der Gegenwart in Zusammenhang mit der Vergangenheit (Steyl 1907—09); Zeitschrift für Missionswissenschaft, ab a. 1911 (Münster).

<sup>3)</sup> Iuxta computationem, quam d'Espierres in suo opere «Les Religions» exhibet, in orbe terrarum existunt circ. 1844 miliones hominum, ex quibus sunt:

|                    |                       |         |
|--------------------|-----------------------|---------|
| Catholici . . .    | circiter 351 miliones | = 19.-% |
| Protestantes . . . | 164 „                 | = 8.9%  |
| Orthodoxi . . .    | 131 „                 | = 7.1%  |
| Hebraei . . .      | 15 „                  | = 0.9%  |
| Muhammedani . . .  | 238 „                 | = 13.-% |
| Buddhistae . . .   | 199 „                 | = 10.8% |
| Hindus . . .       | 224 „                 | = 12.1% |
| Confuciani . . .   | 304 „                 | = 16.4% |
| Schintoistae . . . | 16 „                  | = 0.9%  |
| Animistae . . .    | 122 „                 | = 6.6%  |
| Areligiosi . . .   | 76 „                  | = 4.1%  |
| Ignotae confess. „ | 4 „                   | = 0.2%  |

tholica Ecclesia longe inferiores sunt; catholicitate vero *formali* omnino destituuntur. Non enim unam Ecclesiam sub uno capite triplice funiculo symbolico, hierarchico et liturgico colligatam constituunt, sed innumeras ecclesias seu potius sectas repraesentant, quarum nulla apostolica aut catholica fuit, sed ramus fractus ac scissus ab arbore Christi.

Nota. Difficultates huc concernentes in fine capitis sequentis proponemus.

## CAPUT II.

### Quomodo Ecclesia per se ipsa sit divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Ecclesia catholica, inquit conc. *Vaticanum* (Sess. III. 360 cap. 3)<sup>1)</sup> etiam «*per se ipsa*, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile».

Hoc testimonium divinum, quo Ecclesia catholica immediate per se ipsa, independenter etiam a s. Scriptura, ut *factum et opus supernaturale* suam missionem divinam testatur veluti signum levatum in nationes, in hoc capite breviter expendemus, ac difficultates adversariorum solvemus.<sup>2)</sup>

## ARTICULUS I.

### De characteribus divinis Ecclesiae catholicae tum singillatim tum synthetice in primatu consideratis.

**Thesis 102.** *Characteres Ecclesiae catholicae a concilio enumerati etiam per se divinam eius legationem demonstrant.*

Cf. etiam Pfeilschifter, *Die kirchlichen Wiedervereinigungsbestrebungen der Nachkriegszeit*, München 1923; K. Streit, *Atlas hierarchicus*, Paderbornae et Friburgi 1913.

<sup>1)</sup> Denzinger 1794.

<sup>2)</sup> Hoc argumentum, quo Ecclesia cath. per se ipsa ut divina probatur, ingeniose evolvitur a Card. Dechamps, *Oeuvres complètes* t. 1 entretien 1, praesertim pg. 81 sqq, cf. Preface § III (ed. 4, Malines 1874).

Concilium ex dictis commemorat admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et foecunditatem, catholicam unitatem invictamque stabilitatem. Percurramus singula.

*A. Admirabilis propagatio.*

Demonstravimus religionis christianae divinitatem ex eius propagatione (152). At hoc argumentum eodem pondere pro *divinitate Ecclesiae catholicae* militat; sive factum, sive obstacula, sive media propagationis inspiciantur.

Sane 1. *factum* est certissimum ac splendidissimum. Si enim Tacitus locutus est «de ingente multitudine» Christianorum, multo magis hodie de ingente multitudine Catholicorum loqui possumus. Et si Seneca de consuetudine religionis Iudaeo-christianae «per omnes iam terras recepta» testatur, summo iure hoc testimonium Ecclesia catholica sibi hodie applicat. Profecto, nunquam regnum civile vi atque armis tam late suum extendit dominium, quantum Ecclesia solo verbo et precibus. Recole, quae in priore capite diximus (359).

2. Si hoc factum iam in se mirabile est, illud multo magis mirandum, immo evidenter supernaturale et divinum esse apparet, si *obstacula* considerantur, quae non solum propagationi, sed etiam conservationi Ecclesiae se opponunt. Sane vix maior esse potuit antagonismus inter mundum paganum et religionem christianam enascentem, quam qui hodie inter Ecclesiam catholicam et mundum modernum existit. Sufficit, ut inspiciatur «Syllabus» octoginta praecipuorum errorum nostrae aetatis, qui a R. Pontificibus, praesertim a Pio IX. (8. Dec. 1864) proscripti sunt, quique ipsum nucleum seu melius virus spiritus mundi moderni continent. In scientia naturalismus, pantheismus et rationalismus, in vita indifferentismus, in societate communismus et socialismus, in politica liberalismus simulque omnipotentia status civilis: omnia ista portenta errorum quasi collatis signis Ecclesiam catholicam aggrediuntur. Ipsa vero nec cedit nec transigit, ac potius viros summos, scientia, divitiis ac potentia etiam regia praevalentes, immo integras nationes a suo corpore abscindit, quam ut in rebus fidei et morum ne latum unguem quidem cedat.

3. Ut huius facti momentum magis perspicias, tres

circumstantias perpende: **a.** Sola Ecclesia catholica contra mundum pugnat et a mundo impugnatur et persecutionem patitur. Ipsae persecutiones, quas Ecclesia patitur, eam haeredem Apostolorum esse indicant, quibus Christus dixit (Luc. 21, 17): *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Reliqui coetus christiani, sive haeretici sive schismatici, neque a mundo impugnantur neque mundo se opponunt, sed magis magisque eius spiritum imbibunt. Quo fit, ut iugiter magis marcescant ac resolvantur, neque aliud tandem in mundo relinqui videatur, quam *catholicismus* aut *nihilismus*. — **b.** lacturae, quas Ecclesia catholica in una mundi plaga, puta in Europa per defectionem filiorum degenerum patitur, in aliis partibus mundi per conversiones paganorum resarciuntur. — **c.** Dum missiones A catholicorum, omnibus licet mediis naturalibus abunde instructae, steriles manent; missionarii catholici, omni plerumque ope humana destituti, sola praedicatione, oratione, sudore et sanguine innumeras gentes barbaras Ecclesiae catholicae aggregarunt, et aggregare pergunt. Quare hodiedum Ecclesiae catholicae applicare possumus illud praeclare dictum s. *Augustini*:<sup>1)</sup> «Effectus probavit virtutem; domuit orbem non ferro, sed ligno.»

Declarato facto sic instituimus argumentum: Omnis effectus postulat causam proportionatam. Atqui conservatio et propagatio Ecclesiae catholicae non habet proportionatam causam naturalem. Ergo causa supernaturalis requiritur. — Profecto, si protestantismus, qui iugum auctoritatis excussit et frena carnis laxavit, vel si aliae sectae, quae potentium patrocínio innituntur, florerent et late propagarentur: hoc mirum non esset. At conservatio et propagatio Ecclesiae, quae in mundo tantam pressuram habet, non solum opus mirum, sed manifesto divinum est. Quapropter hoc factum a concilio Vaticano merito dicitur «magnum quoddam motivum credibilitatis et divinae legationis testimonium irrefragabile».

**B. Sanctitas et inexhausta in omnibus bonis foecunditas. 361.**

1. Sane illa Ecclesia, quae doctrinam habet ab omni errore immunem, sacramenta sanctissima, media salutis ef-

<sup>1)</sup> In Psalm. 54 ad 2. versum.

ficacissima, quae innumeros fructus sanctitatis in quovis ordine produxit et in dies progerminare non cessat: illa, inquam, Ecclesia vera est opusque divinum (150 sq). Atqui talis evidenter est Ecclesia catholica. Ergo ipsa in se et per se habet testimonium divinae suae legationis.

2. Confirmatur a posteriore. Annales missionum enim luculenter testantur, quod motivum praecipuum, quo nostris etiam temporibus pagani Ecclesiae catholicae lucrifiunt, est sanctitas, quae ipsis in doctrina et vita missionariorum catholicorum et neophytorum resplendet. Immo sinceri Protestantes haud raro fatentur, causam sterilitatis suarum missionum non aliam esse, quam modum agendi parum apostolicum suorum missionariorum, qui cum uxoribus et re domestica bene instructa se ad paganos conferunt eisque sine ullo incommodo biblia distribuunt; dum missionarii catholici non solum labore et sudore, sed haud raro etiam proprio sanguine Evangelium plantant.<sup>1)</sup>

3. Idem confirmatur ex conversione haereticorum ad Ecclesiam catholicam. Plerumque enim haeretici non tam studio et vi argumentorum, quam exemplis sanctitatis, quae in castris Catholicorum, praesertim in hospitalibus et monasteriis observant, ad Ecclesiam matrem revocantur.<sup>2)</sup>

4. Denique nos ipsi Catholici experimur, eo magis nos in virtutibus proficere, quo promptius Ecclesiae monitis obtemperamus mediisque salutis ab ea oblatis utimur. Ex his omnibus merito concludit conc. Vaticanum (l. c.), quod Ecclesia cath. «veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur».

### 362 C. *Catholica unitas invictaque stabilitas.*

Opus non est, ut factum ipsum denuo exponatur, cum sole clarior Ecclesiae cath. unitas et firmitas splendeat, ita ut adversarios etiam in admirationem rapiat.<sup>3)</sup> (Consule,

<sup>1)</sup> Cf. folium egregium: Die katholischen Missionen (Freiburg i. Br.).

<sup>2)</sup> Cf. Räß, Die Convertiten seit der Reformation (Freiburg i. Br. 1866—80).

<sup>3)</sup> Sic Bismarck (16. Mai 1873) Ecclesiae Romanae unitatem «magnam et admirabilem» (große und bewunderungswürdige Einheit) dicit. Cf. Reden, 5. T. S. 79.

quae diximus n. 353, 1 et 357, 1). Probabimus potius, hoc factum non aliter quam supernaturali Dei influxu explicari posse. Id patet:

1. Ratione *obiecti* huius unitatis. Agitur enim imprimis de *dogmatibus* difficillimis, in quibus consensus unanims naturaliter plane impossibilis esset. Sic infallibilitas R. Pontificis, ut obvium exemplum proferam, ante concilii definitionem acerrime a multis impugnata; post definitivam sententiam vero ab omnibus, paucis exceptis, humiliter suscepta et credita fuit. Neque minus mirabilis est unitas in rebus *disciplinariis*, maxime in iis, quas politico-ecclesiasticas appellant; eo quod in his non solum iudicia diversa, sed etiam inclinationes oppositae locum habere soleant. Et nihilominus etiam in istis rebus sententia R. Pontificis sponte acceptatur, eique Catholici diversarum nationum et viri summi humiliter se subiiciunt.

2. Ratione *principii* unitatis; quippe quae non vi et armis aut aliis mediis naturalibus, sed solo *verbo* producat. Et cuiusnam verbo? Senis inermis, qui opibus humanis fere destituitur. Atqui nunquam tam grandis et mirabilis effectus hoc verbo produci posset, nisi virtus supernaturalis eidem inesset, auctoritas videlicet vicarii Christi, quam omnes venerantur.

3. Ratione *adversariorum*, qui ad scindendam et destruendam Ecclesiam conspirant, quique plane innumeri sunt mediisque utuntur efficacissimis. Praecipua sunt: scientia incredula, colluvies librorum et ephemeridum Ecclesiam impugnantium, machinationes occultae massonum aliorumque sectariorum, politica fraudulenta, leges atheae, schola Ecclesiae influxui subducta, immo aperta vis et rapina. Unde quaque resonat impii *Voltairei* classicum: «Ecrasez l'infame». Et nihilominus Ecclesia catholica, supra petram aedificata, stat inconcussa et portae inferi ei praevalere non possunt.

**Scholion.** Omnes notae verae Ecclesiae, tamquam radii 363 in foco, in *cathedra Petri* colliguntur. In hac cathedra:

1. Splendidissime fulget *apostolicitas*; quippe cum haec eadem sit cathedra, quam b. Petrus Romae erexit eiusque successores tenent in hanc usque diem.

2. Fulget *unitas* tanta evidentia, quanta vix unquam ex tempore apostolico. Et unde hoc? Quia vix unquam Ecclesiae filii tam arcte adhaeserunt Sedi apostolicae, ac hodie oculis nostris conspicimus. Verificatur profecto celebre s. *Cypriani* dictum:<sup>1)</sup> «Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. . . . Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas . . . ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.»

3. *Catholicitas* in Sede apostolica centrum habet omnibus conspicuum. Quemadmodum enim ex centro omnes radii exeunt atque ex peripheria in centrum redeunt: ita R. Pontifices ex cathedra Petri per missionarios in totum orbem missos innumeras ecclesias fundarunt, ecclesiae vero ad hanc cathedram «propter potentiolem eius principalitatem», ut s. *Irenaeus* loquitur, conveniunt. Sic ss. *Bonifatius* in Germania, *Augustinus* in Anglia, *Patritius* in Hibernia, *Cyrillus et Methodius* in Slavonia et Bohemia, *Franciscus* in India, alique missionarii in aliis regionibus ecclesias fundarunt et cathedrae Petri adgregarunt. — Unde *Leo M.* Romam felicem praedicavit,<sup>2)</sup> «quod per sacram b. Petri sedem caput orbis effecta latius praesideret religione divina, quam dominatione terrena».

4. *Sanctitas* denique Ecclesiae catholicae ex Sede apostolica oritur atque elucet. Ibi enim puritas doctrinae incorrupta semper servatur; inde monita salutaria mediaque salutis iugiter in omnem Ecclesiam tamquam ex fonte emanant; omnes denique sancti, quos recenset Martyrologium romanum, sunt totidem testes sanctitatis huius Ecclesiae; cum nullus fuerit sanctus, qui non communicaverit cathedrae Petri, sicut nullus e contrario, qui ab hac cathedra avulsus erat, vera sanctitate unquam floruerit.

Ex his omnibus concludimus cum *Optato*,<sup>3)</sup> quod cum

<sup>1)</sup> De unit. Eccl.; cf. *Optat.*, De schism. Donat. l. 1 c. 2.

<sup>2)</sup> Serm. 1 in natali Ap. Pet. et Paul.

<sup>3)</sup> Contr. Parmen. l. 2 n. 4: «Iamne vides, frater Parmeniane, iamne sentis, iamne intelligis, te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est nos esse in Ecclesia sancta catholica, apud quos et symbolum Trinitatis est et per cathedram Petri, quae nostra est, et per ipsum ceteras dotes apud nos esse.»

cathedra Petri necessario etiam «ceterae dotes» verae Ecclesiae sunt; et cum s. *Ambrosio*:<sup>1)</sup> «Ubi Petrus, ibi Ecclesia.» Quare tessera nostra atque classicum nostrum esto: «In aeternum iuxta Romam.»<sup>2)</sup>

## ARTICULUS II.

### Difficultates contra notas Ecclesiae catholicae.<sup>3)</sup>

#### A. Contra *unitatem* obiicitur:

364

1. Ecclesia cath. caret unitate *fidei*. In scholis catholicis enim circa dogmata gravissima, puta circa praedestinationem et gratiam, acerrime disputatur. Immo vix ullum est dogma, in cuius explicatione Catholici consentiunt. Et quod magis mireris, dissentiunt circa ipsam regulam fidei; cum alii R. Pontificis infallibilitatem crediderint, alii ad nostra usque tempora eam negaverint, itemque concilia Constantiense, Basileense et Lateranense V. alii ut oecumenica habuerint, alii minime.

*Resp.* Difficultas solvitur accurata definitione status quaestionis. In quo igitur consistit unitas fidei? In eo, ut omnes consentiant in admittendis veritatibus, quae a magisterio infallibili credendae proponuntur et ut tales cognoscuntur. Ubi Ecclesiae propositio vel deest vel non cognoscitur, salva fide disputatur. Fides namque subiectiva et obiectiva sunt reciproca; eatenus ergo requiritur fides subiectiva, quatenus habetur obiectiva, i. e. quatenus aliquid ad credendum a magisterio infallibili propositum est. — Atqui omnes, quae inter veros Catholicos controversiae vigeant et adhuc vigent, vertuntur circa veritates, de quibus Ecclesia *vel nihil definivit* vel de *quarum definitione non constat*. Huiusmodi sunt quaestiones de concordia gratiae cum libero arbitrio, de praedestinatione ante vel post praevisa merita, et aliae multae. Omnes istae controversiae non tam circa ipsum dogma, quam circa dogmatis explicationem, de

<sup>1)</sup> In Ps. 30 n. 30.

<sup>2)</sup> Haec est inscriptio cathedrae s. Marci, interprete G. Secchi, *La Cattedra Alessandrina* (Venezia 1853). Cf. tamen Garrucci, *Storia dell' arte Christiana* 6, 16.

<sup>3)</sup> Vide has difficultates copiose propositas et dilucidatas apud Perrone, *De Eccl. Chr.* nn. 248 sqq.

qua nihil definivit Ecclesia, vertuntur. Quod speciatim regulam fidei attinet, nunquam inter Catholicos dubitatum fuit, utrum Ecclesia docens infallibilis sit nec ne. Controversia circa Pontificis infallibilitatem potius theoretica et partialis fuit; practice enim Ecclesia hanc infallibilitatem semper agnovit omnesque veri Catholici iudiciis dogmaticis s. Sedis fideliter se submiserunt. Omnes pariter Catholici conveniunt, ea, quae in conciliis Constantiensi et Basileensi adversus haereticos definita et a R. Pontificibus confirmata sunt, plenam obtinere auctoritatem. De auctoritate denique concilii Lateranensis nunquam seria controversia in Ecclesia fuit; dubium enim, quod de eius oecumenicitate ob exiguum episcoporum numerum movebatur, paucorum fuit et mox discussum est.

2. Contra unitatem *regiminis* seu *communions* obii-  
ciunt controversias inter *Cyprianum* et *Stephanum* Pontifi-  
cem, et maxime *schisma occidentale*. At nihil inde conclu-  
dunt, cum probare non valeant, Ecclesiam catholicam ali-  
quando schismate *formali* laceratam fuisse. (Vide, quae  
n. 318 diximus.)

365 B. Contra *sanctitatem* obii-  
ciunt:

1. Cultus sanctorum et praesertim Deiparae Virginis  
homines ab uno mediatore Christo abstrahit et creaturae  
honorem divinum defert; cultus reliquiarum et imaginum,  
usus rosarii, scapularium et sacramentalium, peregrinatio-  
nes et alia huiusmodi superstitionem foveant, immo speciem  
quandam fetischismi praeseferunt; denique confessio sacra-  
mentalibus, sacrificium missae, indulgentiae, sacramenta ex  
opere operato sanctificantia merito Christi et internae sanc-  
titati opponuntur. Haec et alia multa Protestantes passim ut  
impura dogmata calumniantur. — At revera impura non sunt  
sed sanctissima, dummodo iuxta intellectum catholicum et  
non secundum interpretationem detortam haereticorum ex-  
ponantur. Ceterum singula ad trutinam revocare, non est  
huius loci, sed ad Dogmaticam specialem pertinet. Idem  
dicendum est de calumniis *laxismi* in re morali, quas hae-  
retici contra Ecclesiam cath. ingeminant; blasphemant enim,  
quae non intelligunt aut intelligere nolunt. Vident festucam  
in oculis Catholicorum, et trabem in oculis suis non vident.

2. Ecclesia catholica, inquiunt, caret sanctitate *membrorum*; cum non solum laici, sed etiam sacerdotes, religiosi, episcopi ipsique summi Pontifices notorie omni genere flagitiorum obstricti fuerint. Generatim tuto affirmari potest, nationes catholicas protestanticis honestate inferiores esse.

Resp. a. Concedimus quidem, multos Catholicos vitiosam vitam agere; at hoc inde est, quia vel nomine tantum Catholici sunt, vel saltem, si fidem adhuc habent, mediis salutis ab Ecclesia oblatis non utuntur. Mirum non est, si Catholici degeneres quandoque peiores sint A catholicis; cum in iis verificetur proverbium: Corruptio optimi pessima. Negamus autem omnino, nationes catholicas inferiores esse acatholicis quoad morum honestatem; nunquam hoc probarunt, sed contrarium potius ex tabulis statisticis criminum probatur.<sup>1)</sup> — b. Calumnia vel saltem evidens exaggeratio est, quod de sacerdotum, episcoporum, religiosorum et maxime R. Pontificum corruptela obiicitur. Inter ducentos et amplius Pontifices, qui Sedem apostolicam ingente 18 saeculorum lapsu occuparunt, vix decem plus minus numerantur, quorum vita maculata fuit. «Si quis, ita merito observat cl. *Perrone*,<sup>2)</sup> aliorum principum successiones, praesertim haereticorum, expenderet eaque severitate in singulorum gesta inquireret, qua inquisitum est in gesta R. Pontificum, certe longe aliud spectaculum illi sese offerret intra paucorum saeculorum tractum.» Quod vero dictum est de R. Pontificibus, debita proportionem de episcopis, religiosis et sacerdotibus affirmari debet. Profecto, quod aliquando *Augustinus* Manichaeorum calumniis respondit, hodie repetere licet:<sup>3)</sup> «Vestrum oculum malevolus error in solam paleam nostrae segetis ducit; nam et triticum ibi cito videretis, si et esse velletis»; et alibi:<sup>4)</sup> «Quam enim multos episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos et huiusmodi ministros divinatorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et maiore praedicatione dignior videtur, quo dif-

<sup>1)</sup> Cf. *Perrone* l. c. n. 262, nota 56.

<sup>2)</sup> L. c. n. 360, nota.

<sup>3)</sup> *Contr. Faustum* l. 6 n. 11.

<sup>4)</sup> *De morib. Eccl. cath.* c. 32 n. 69.

facilius est eam in multiplici hominum genere et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis, quam sanandis hominibus praesunt.»<sup>1)</sup>

3. Ecclesiae catholicae *intolerantia* et *crudelitas*, quae ex tota historia medii aevi, praesertim ex terrificis *inquisitionis* tribunalibus (*Auto da Fé*, *Sanbenito*), ex nocte s. *Bartholomaei*, ex tot haereticis rogo traditis se produnt, immensum quid a sanctitate et caritate Christi distant.

Resp. Adequata huius difficultatis solutio ad historiam ecclesiasticam pertinet, ex qua haec decerpisse sufficiat: a. Haeresis non solum gravissimum peccatum et rebellio contra Deum est, sed medio aevo communiter etiam ut crimen contra ordinem et leges civiles considerabatur, ideoque bonorum spoliatione, carcere, exilio vel etiam morte puniendum erat. Reapse haeretici passim tumultus excitabant, atque ad apertam etiam rebellionem prorumpebant; e. g. Cathari, Albigenses, Waldenses, Wiclifitae, Hussitae aliique haeretici. — b. Distinguenda est inquisitio mere *ecclesiastica*, et inquisitio *civilis* seu *mixta*. Munus inquisitionis ecclesiasticae triplex fuit; scilicet ut inquirerentur et examinarentur suspecti de haeresi, ut cum Ecclesia reconciliarentur, ut contumaces brachio saeculari traderentur,

---

<sup>1)</sup> Quoad religiosos liceat afferre verba Leibnizii, cuius testimonium nec Protestantes recusare possunt: «Fateor, inquit (*Systema theol.* pg. 86, Mainz 1820), mihi semper religiosos ordines, piasque confraternitates ac societates aliaque huiusmodi laudabilia instituta mire probata fuisse; sunt enim quasi caelestis quaedam militia in terris, si modo, remotis depravationibus et abusibus, secundum instituta fundatorum regantur, et a summo Pontifice in usum universalis Ecclesiae temperentur. Quid enim praeclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari, interdicare sibi varias illecebras atque ipsam iucunditatem colloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum ac divinae meditationi vacetur; dedicare sese educationi iuventutis ad spem doctrinae et virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae caritatis officio deterreri? Quicumque haec ignorant aut spernunt, hi nihil nisi plebeium et vulgare de virtute sapiunt, et hominum obligationem erga Deum solemniurn qualicumque obitione et frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur.»

iuxta axioma: Ecclesia abhorret a sanguine (Nicolaus I.). Tribunal inquisitionis ecclesiasticae, quae primo ab ipsis episcopis administrata fuerat, anno 1232 a Gregorio IX. ordini Praedicatorum traditum fuit. Ab hac inquisitione ecclesiastica distingui debet inquisitio civilis, quae anno 1481 in Hispania primo contra sic dictos Maranos et Moriscos tum Ecclesiae tum reipublicae periculosissimos instituta fuit. — c. Concedi debet, nonnullos inquisitores etiam ecclesiasticos se nimii rigoris reos fecisse, variosque abusus in tribunalibus praesertim inquisitionis civilis irrepsisse. At longe exaggeratae, immo calumniosae sunt accusationes, quae ab osoribus Ecclesiae catholicae ad nauseam usque recoquuntur. — d. Non solum apud Catholicos, sed etiam apud haereticos inquisitionis tribunalia eaque severissima fuerunt. Plures Catholicos sola regina Elisabetha dirissime interemit, quam quos inquisitio ecclesiastica toto, quo existit tempore, consumpsit. In Dania et Suecia usque ad ultimum saeculum Catholici morte multati sunt. — e. Quoad «noctem s. Bartholomaei» notandum est, istam stragem haereticorum ab Ecclesia nec imperatam nec approbatam, sed ex motivis mere politicis perpetrata perpetuisque Hugenottarum tumultibus adversus regni tranquillitatem provocatam fuisse.<sup>1)</sup>

C. *Contra catholicitatem* opponunt:

366

1. Ecclesia catholica appellatur *romana*; hoc praedictum autem excludit catholicitatem. — Resp. *Dist. antecedens*: appellatur *romana* sensu explicativo, *Conc.*; sensu restrictivo, *Neg.* Ecclesia catholica etenim non dicitur romana, quasi ad territorium romanum restringatur; sed quia Romae est centrum totius Ecclesiae. Sicut centrum non excludit peripheriam, sed illam postulat, ita *romana* cum *catholica* Ecclesia tamquam eius centrum necessario coniungitur (268, a).

<sup>1)</sup> De «inquisitione» cf. Card. Hergenröther, *Kath. Kirche und christ. Staat* S. 574 ff (Freiburg i. Br. 1872); *Kirchenlexikon* Bd 6 «Inquisition». — Lege etiam s. Thom. p. 2, 2 q. 11 a. 3 et August. Ep. 100 ad Donat. — De «nocte s. Bartholomaei» vide Buchberger, *Lexikon für Theologie und Kirche* II. Bd. «Bartholomäusnacht», Freiburg, Herder 1931.

2. In Ecclesia catholica innumeri sunt, praesertim ex classe hominum cultiorum, qui praeter nomen *catholici* nil amplius habent. Ad Ecclesiam autem non pertinent, nisi qui veram fidem habent. Catholicorum numerus ergo revera longissime minor est numero eorum, qui ex albis baptismalibus in tabellas statisticas redigi solent.

Resp. a. Concedendum est, proh dolor, innumeros esse praesertim in magnis urbibus, quorum fides plus minus infecta est. Inde tamen non sequitur, hos omnes ex Catholicorum numero subtrahendos esse. Plurimi enim eorum mere *materialiter* errant, et putant se adhuc Catholicos esse, licet non omnia credant, quae credere deberent. Alii pariter plurimi sunt, qui mala quidem fide dogmata catholica negant; sed nihilominus *publice se ut Catholicos* gerunt, neque ab Ecclesia se separarunt neque ab eadem excommunicati sunt. Atqui omnes isti, saltem ex communiore Theologorum sententia (288) adhuc membra Ecclesiae sunt, atque ideo ex Catholicorum albo deleri non debent. — b. Etiam si omnes istos deleremus, Ecclesia romana ideo catholica esse non desineret. Verum namque maneret, eam amplitudine *absolute magna et relative maiore* quavis alia secta per totum orbem diffusam esse; licet in hac ingente area non solum frumentum sed et zizania, in hac magna domo non solum vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia sint. Hoc quippe ad genuinam catholicitatis notionem sufficit (339).

367 D. *Contra apostolicitatem* obiciunt: Immensum exstat discrimen inter Ecclesiam apostolicam et hodiernam romanam. Illa simplex fuit paucisque contenta dogmatibus, haec nova semper dogmata cudit Apostolis plane ignota. Illa duo agnovit et administravit sacramenta, haec septem sacramenta innumeraque sacramentalia habet. Illa meritis Christi unice innitebatur, haec cultum Deiparae, Sanctorum, reliquiarum, imaginum aliaque superstitiosa invexit. Ecclesia denique apostolica paupertatem et humilitatem Christi sequebatur, Ecclesia romana fastum ingentem praesefert ac divitiis inhiat.

*Respondeo* breviter. Omnia dogmata, quae Ecclesia catholica successu temporis explicite declaravit, in revelatione

apostolica implicate iam continentur. De usu perpetuo septem sacramentorum ex traditione antiquissima non interrupta constat, quamvis variis de causis, maxime propter disciplinam arcani primis saeculis testimonia nec tam clara nec tam copiosa fuerint. Cultus Sanctorum ususque sacramentalium quoad rei substantiam pariter indubie ab Apostolis descendit. Haec omnia Dogmatica specialis demonstrat. Mirum denique non est, quod Ecclesiae nascentis conditio in medio mundo pagano pauper et ignobilis fuerit; at valde mirandum esset, si mundo ad religionem christianam converso fideles sponsam Christi communemque omnium matrem in paupertate et sordibus delitescere permisissent. Id quod adversarii tamquam fastum et avaritiam calumniantur, aliud non est, quam conditio connaturalis ac debita divinis Ecclesiae praerogativis.

### SECTIO III.

## De Ecclesia catholica romana vel de primatu, seu ubi sit vera Ecclesia.

Codex iuris canonici, can. 218—221. Bellarmin, De controversiis: De Romano Pontifice. De Roscovány, Romanus Pontifex, 20 Bd 1867—1890. Heinr. Kellner, Verfassung, Lehramt und Unfehlbarkeit der Kirche 2. Aufl., Kempten 1874. Palmieri, Tractatus de Romano Pontifice 3 Aufl. 1902. De San, De Ecclesia et Romano Pontifice 1906. Batiffol, L'église naissante et le catholicisme 5. Aufl., Paris 1911; ins. Deutsche übersetzt von Fz. Seppelt unter dem Titel: Urkirche u. Katholizismus, Kempten 1910. Esser, Irenaeus über den Primat in Katholik 1917, I 289—314, II 16—34. Marini, Il primato di San Pietro 1919. P. Dausch, Kirche und Papsttum, eine Stiftung Jesu 3. Aufl. 1920. H. Dieckmann, Die Verfassung der Urkirche, Berlin 1923. J. Uhlmann, Bonaventura und der Primat 1924. H. Dieckmann, De Ecclesia I., Friburgi 1925.

✱

Ex demonstratis sola catholica est vera Christi Ecclesia. 368  
At ea per totum orbem diffusa est multasque partes habet, quae certe non omnes necessariae sunt. Quaedam partes enim successu temporis accesserunt, aliae recesserunt, et nihilominus Ecclesia semper identica permanet. Quaeritur ergo, ubinam sit *centrum* et *fundamentum*, quod

nec amoveri nec concuti potest. Huic quaestioni in hac sectione respondemus: *ubi Petrus, ibi Ecclesia*. Quaestio, ut liquet, maxime fundamentalis est, cum de ipso fundamento Ecclesiae et de capite visibili corporis Christi agatur. Hoc etiam adversarii bene intelligunt; unde contra Sedem apostolicam «maiore in dies odio undique insurgunt» (conc. Vatic. Sess. IV Const. *Pastor Aeternus*).<sup>1)</sup>

Doctrina catholica de primatu ab eodem concilio tam clare proposita et tam copiose tractata ac veluti exhausta est, ut illud presso pede sequi optimum ducamus. Igitur cum eadem synodo in quinque capitibus agemus: **a.** de apostolici primatus in **b.** Petro institutione; **b.** de perpetuitate primatus **b.** Petri in **R.** Pontificibus; **c.** de vi et ratione primatus **R.** Pontificis; **d.** de **R.** Pontificis infallibili magisterio; **e.** de relatione **R.** Pontificis ad concilia, ad episcopos et potestatem saecularem.

## CAPUT I.

### De apostolici primatus in **b.** Petro institutione.

#### PRAENOTANDA.

- 369 1. *Primatus notio*. *Primatus* etymologice quandam *prae-eminentiam* significat, ideoque tot genera primatus sunt, quot genera bonorum, in quibus aliquis praeeminet; puta primatus virtutis, prudentiae, aetatis, honoris, auctoritatis etc. Hoc loco unice de primatu honoris atque auctoritatis agitur; sub quo respectu esse potest:  $\alpha$ ) Vel merus primatus *honoris* absque omni auctoritate, cum e. g. alicui primus accubitus in convivio assignatur.  $\beta$ ) Vel primatus *directionis*; ut in conferentiis aliquis eligitur, qui ordinem disputandi, votandi etc. dirigit. Vox *dirigere* «potius consilium sapit, quam exercitium verae auctoritatis». <sup>2)</sup>  $\gamma$ ) Vel primatus *inspectionis*, qui importat insuper ius invigilandi, ut a membris associatis ordo statutus servetur et decreta societatis executioni dentur. Huc referri potest primatus praesiden-

<sup>1)</sup> Denzinger 1821.

<sup>2)</sup> Ita merito observat Zinelli ep. Tarvisinus in rel. ad c. 3 const. de Eccl. (cf. Coll. Licens. pg. 360).

tis reipublicae, qui iam veram aliquam auctoritatem habet; quippe qui aliis intra limites constitutionis imperare possit. Auctoritatem tamen praesidens non exercet nisi in nomine populi et tamquam minister populi, in quo summa auctoritas residet. *δ*) Succedit denique primatus *iurisdictionis*, quem habet superior relate ad subditos, quos regit nomine et auctoritate propria, non auctoritate a subditis recepta. Hunc iurisdictionis primatum, qui in societate civili penes principem residet, in Ecclesia b. Petro, eiusque successoribus adserimus.

2. *Adversarii* ab ipso concilio (l. c. cap. 1)<sup>1)</sup> indigitantur. Sunt videlicet: *α*) Qui totam hierarchiam ecclesiasticam et consequenter primatum omnino negant, beatoque Petro ad summum quandam praecellentiam honoris concedunt, e. g. *Protestantes*. — *β*) Qui admittunt quidem primatum iurisdictionis in Ecclesia, eum tamen non soli Petro, sed toti collegio apostolico et corpori episcoporum collatum fuisse contendunt. — *γ*) Qui docent, primatum non immediate directeque ipsi b. Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.<sup>2)</sup> Ita *Richeriani, Gallicani, Febroniani, synodus Pistoriensis* aliique pseudocatholici. — Probabimus igitur a. *institutionem* primatus, b. *finem* huius institutionis indicabimus.

## ARTICULUS I.

### Primatus institutio probatur et vindicatur.

**Thesis 103.** *Ex indubiis Evangelii testimoniis (Matth. 370 16, 17 sqq et Ioan. 21, 15 sqq) Christus b. Petro primatum non tantum honoris, directionis et inspectionis, sed verae propriaeque iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam promisit et contulit; et quidem uni Petro directe et immediate.*

Sensus thesis ex antea dictis patet. Asserimus autem primatum *uni* Petro, non ad exclusionem successorum eius, ut per se patet, sed ad exclusionem aliorum Apostolorum. Praeterea dicimus primatum *in universam Dei Ecclesiam* et non *in universa Ecclesia*; quia primatum *in Ecclesia* etiam

<sup>1)</sup> Denzinger 1822.

<sup>2)</sup> Cf. Coll. Lacens. pg. 611.

episcopi vero aliquo sensu habent.<sup>1)</sup> — Valor dogmaticus thesis quoad singulas eius partes ex cap. 1 concilii Vatic.<sup>2)</sup> colligitur, quod ita habet:

«Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: *Tu vocaberis Cephas*,<sup>3)</sup> postquam ille suam edidit confessionem inquires: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalerunt adversus eam: et tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*.<sup>4)</sup> Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*.<sup>5)</sup> Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a

---

<sup>1)</sup> Cum aliqui Patres postulassent, ut potius poneretur «in universa Ecclesia», hoc postulatum reiectum est. Nam, ut exposuit relator (Lud. Pie, ep. Pictaviens.): «verum prorsus est id, quod allegatur, non semel alias, et quidem in conc. Tridentino, dictum fuisse *in universa Ecclesia*. Ab hoc autem dicendi modo nunc abstinendum duximus propter illam ipsam aequivocationem seu sinistram interpretationem, quam inde usurparunt Richeriani, Febroniani et alii ab Ecclesia merito damnati. Etenim omnes episcopi, qui pascunt greges particulares, principatum habere *in Ecclesia* aliquo certissimo sensu dici possunt et debent, quatenus scilicet principem ordinis gradum tenent, et ad greges pascendos in Ecclesia ordinantur. At vero nullatenus dici possunt primatum habere iurisdictionis *in universam Ecclesiam*, quod soli Petro et successoribus eius divinitus datum est» (Cf. Coll. Lacens. pg. 292).

<sup>2)</sup> Denzinger 1822 sq.

<sup>3)</sup> Ioan. 1, 42.

<sup>4)</sup> Matth. 16, 16—19.

<sup>5)</sup> Ioan. 21, 15—17.

Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae ceteris Apostolis, sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse. *Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse: anathema sit.*»

Iuxta doctrinam concilii igitur institutio primatus evidenter probatur ex s. Scriptura, et quidem tam in se seu mere exegetice, quam secundum traditionem catholicam. In hac et sequente thesi de argumento exegetico, in tertia de traditione loquemur. Vis porro argumenti exegetici a duobus pendet: α) ut ostendatur, in praefatis textibus Matthaei et Ioannis de vero primatu *iurisdictionis in universam Ecclesiam* agi; ρ) hunc primatum soli Petro *directe et immediate* promitti et conferri.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Hic textus (Matth. 16, 18 sq), qui divinitatem Christi et constitutionem Ecclesiae monarchicam tam aperte testatur, est crux criticorum protestantium. Quare tempore iam diu quidem elapso sensum pericopae pervertere conabantur dicentes, non ipsum Petrum, sed fidem, quae in eius confessione contineatur, tamquam fundamentum Ecclesiae proclamatum esse; vel nomine petrae Christum, non vero apostolum Petrum intelligendum esse; vel verba Salvatoris dirigi ad totum collegium apostolorum, non exclusive ad Petrum. Cum vero haec tergiversatio nemini satisfaceret, nostris temporibus critici protestantes affirmant, textum vel totum vel saltem ex parte saeculo secundo interpolatum esse, vel Matthaeum hoc commentum dogmaticae primitivae (Gemeindetheologie) bona fide Christo affinxisse. — De hac ultima theoria, qua primis annis post Christi mortem per processum quendam evolutionis vel idealisationis doctrina Christi essentialiter mutata et dogmata in religionem christianam inducta esse dicuntur, non est, cur loquamur (cf. n. 119 coroll. 2). Paucis tamen demonstretur textum totum non esse interpolatum evangelio iam absoluto. Et quidem Matth. 16, 17—19 iam continetur in codicibus manuscriptis graecis, in versionibus antiquissimis latina et syriaca, in opere Tatiani (circa a. 150 ad fidem conversi), cui inscri-

371      *A. In praefatis textibus de vero primatu iurisdictionis in universam Ecclesiam agitur.*

Prob. 1. Ex metaphora *fundamenti*. a. Petrus enim id debet esse et praestare Ecclesiae, quod *fundamentum* est et

bitur *Diatessaron*, denique in evangelio extracanonico, quod secundum Hebraeos nuncupari solet et circa a. 100 in lucem prodiit. Sed neque tempore quodam priore interpolatio possibilis fuit. Si enim per fraudem textus saeculo secundo insertus esset, multi codices illo tempore iam in toto terrarum orbe dispersi immutari debuissent, quod fieri non potuit, quin pastores Ecclesiae vel fideles reclamarent; sin autem textus spurius casu fortuito in omnes codices irrepisset, non eadem lectio in codicibus tam dispersis oriri potuisset. Adde, quod versus finem saeculi secundi textui aramaico Matthaei iam diu versio graeca substituta erat. Iamvero vocabula pericopae omnibus confitentibus produnt originem aramaicam (e. g. Bar lona, kepha, caro et sanguis, portae inferi, regnum caelorum etc.). Qui color aramaicus apte explicari nequit, nisi pericopa orta sit in Palaestina et ab ipso Matthaeo in evangelium suum inserta. Certe fraudator in textum graecum Matthaei nunquam inseruisset pericopam, quae a genio linguae graecae tam mire abhorrebat. — His rationibus motus vel ipse Harnack concedit, totum textum genuinum esse praeter unum incisum: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, quod tempore Hadriani imperatoris circa a. 120 interpolatum sit; loco huius propositionis in textu originali probabiliter lectum esse: *Portae Hadis te non vincent*. At quaeso, cur haec „falsatio“ textus ad praetensiones Romanorum Pontificum fundamento biblico firmandas destinata iam facta sit illo tempore, quo iuxta modernos criticos episcopi monarchici romani nondum omnino exstiterunt. Insuper in hac theoria, qua Christum nunquam de Ecclesia fundanda cogitasse arbitrarie supponitur, cohaerentia verborum Iesu dirumpitur et promissio salvatoris apto sensu evacuatur. Nam haec promissio rationem reddit, cur Simon nomen novum accipiat. Res liquet, si Simon constituitur fundamentum *saxeum*, super quod Ecclesia fundabitur; in hypothesisi autem incisi interpolati non intelligitur, cur Simon appelletur Kepha seu petra. Porro si Simon fundamentum Ecclesiae designatur, ultro consequitur, eum accipere potestatem clavium, ligandi et solvendi praecise in *Ecclesia* et hanc potestatem nonnisi causas ecclesiasticas respicere. Deleto autem inciso, plane non cernitur, quid sit potestas clavium, ligandi et solvendi et quousque haec potestas extendatur. Denique sensus verborum: *Portae inferi non praevalébunt adversus eam*, clarus est in nostro contextu, at verba apto sensu destituuntur, si incisum de aedificanda Ecclesia expungitur. Harnack quidem putat, in textu originali lectum esse: *Portae Hadis te non vincent* atque haec verba sensum fundere: *Non peccabis vel non morieris*. Sed neque Christus promissionem tam incredibilem dedisset neque fraudator assertionem tam falsam post

praestat aedificio. Fundamentum autem aedificio, et quidem toti aedificio, praestat *unitatem* et *firmitatem*; quia eatenus domus una et firma est, quatenus unicum et firmum fundamentum habet. Ergo Petrus Ecclesiae unitatem et firmitatem praestat. — Hoc etiam ex sequentibus confirmatur: *portae inferi non praevallebunt adversus eam*, i. e. adversus Ecclesiam super Petrum aedificatam. Atqui Ecclesiae unitas et firmitas effici nequit absque auctoritate seu iurisdictione in eandem Ecclesiam; in omni quippe societate auctoritas socialis est vinculum unitatis ac causa firmitatis eiusdem. Ergo sub metaphora fundamenti b. Petro promissa est suprema auctoritas seu iurisdictio in Ecclesiam Christi, et quia universa Ecclesia ad Christum pertinet, in *universam* Ecclesiam. — b. Confirmatur. Si b. Petrus ob aliam causam dicitur petra Ecclesiae, edisserant adversarii hanc causam. An propter sanctitatem, aut propter scientiam vel fidem vel propter aliam qualitatem aut praecellentiam personalem? Atqui nulla qualitas personalis est fundamentum alicuius societatis; neque per sanctitatem vel fidem fundatorum schismata subsequenda impediuntur. Certe s. Ioanni ac reliquis Apostolis istae qualitates eximiae non defuerunt; et tamen ecclesiae, quibus ipsi praefuerunt, perierunt, romana vero, in qua Petri successores sedent, stat inconcussa.<sup>1)</sup> Ceterum, quid significet *petra*, illustratur etiam:

---

trinam negationem et mortem Petri enuntiasset. Omnibus perpensis patet conclusio, textum neque totum interpolatum neque ex parte corruptum esse. (Cf. Lercher, Instit. theol. dogm. I (Oeniponte 1927) pag. 304—7 et Dieckmann, De Ecclesia I (Friburgi 1925) pag. 287—300. Vide insuper declarationem Commissionis biblicae d. 19. Junii 1911 apud Denzinger 2154.

<sup>1)</sup> Audi novum inventum sublimioris exegesis protestanticae: «Πέτρος, lapis, qui proiici vel provolvi vel quacunque ratione e loco in locum moveri potest. Ex hoc nomine appellativo Simon, Iona filius, sortitus est cognomen proprium, quia, ut Erasmus Schmidius ait, officio suo futurus erat lapis in omnes mundi partes proiiciendus, in quas eius confessio una cum ipsius obiecto, nempe Christo Iesu, Salvatore mundi divulganda erat.» Ita Christianus Stock, Clavis linguae sanctae, ad verb. Πέτρος (cf. Christ. Pesch, Instit. propaed. pg. 167). Ergo ingens Ecclesiae mundialis moles exstructa esset super lapidem volitantem! Quam desperata causa est, quae talibus argumentis defenditur!

2. Ex metaphora *clavium*. Sane a. ex usu vulgari *claviger* domus simpliciter et per se est paterfamilias seu caput familiae; alii nonnisi dependenter ab illo. Ergo Petrus est paterfamilias et caput universae Ecclesiae; hoc autem absque iurisdictione concipi nequit. — b. Claves apud veteres erant symbolum potestatis; sic claves urbis loco urbis tradebantur. — c. In usu biblico claves sunt insigne potestatis regiae; ut patet ex Is. 22, 22; Apoc. 3, 7.

3. Ex metaphora *ligandi* atque *solvendi*, quae pariter in usu biblico significat potestatem *legiferam* (cf. Matth. 5, 17; 23, 4; Rom. 7, 2; Is. 22, 22; Apoc. 3, 7).<sup>1)</sup>

4. Ex metaphora *pastoris*. a. Munus namque pastoris non solum importat, ut ovibus alimenta praebeat, sed ut easdem etiam cum imperio regat. Cum ergo Christus totum suum gregem, agnos et oves,<sup>2)</sup> b. Petro pascendas commiserit, eo ipso evidenter iurisdictionem in universam Ecclesiam ei contulit. — b. Quod natura metaphorae exprimit, confirmat tum usus profanus tum biblicus. Veteres enim suos reges et duces appellabant *ποιμένας λαῶν*.<sup>3)</sup> In Scripturis vero vox *ποιμαίνειν* passim significat actum *regendi*, principibus et ducibus proprium.<sup>4)</sup>

---

<sup>1)</sup> Ab aliis haec metaphora ut continuatio metaphorae clavium sumitur: «Non enim, inquit relator conc. Vatic. Barthol. d' Avanzo, ep. Calvens. (in c. 1 const. 1 de Eccl., Coll. Lacens. pg. 324), haec est tertia metaphora, ut vulgo dicitur etiam apud graves commentatores, non est haec tertia metaphora, qua usus est (Christus), quia locum non habuisset; est eadem metaphora, quae prosequitur. Nam apud Hebraeos, ut bene norunt antiquitatis hebraicae periti, claves non clauderant vel aperiebant seras portarum immittendo vel emitendo transversam ferri laminam, ut apud nos; sed vel in nodum voluebant vel enodabant aliquem funiculum, qui in parte interiori portarum in hunc finem et modum erat concinnatus. Unde solvere funiculum idem erat ac aperire, innodare funiculum idem erat ac claudere. Verba Christi ergo idem sonant ac illa Is. (22, 22): «*Dabo tibi claves David: aperies et nemo claudet, claudes et nemo aperiet.*»

<sup>2)</sup> Βόσκει τὰ ἀρνία μου . . . ποιμαίνει τὰ πρόβατά μου . . . βόσκει τὰ πρόβατά (al. προβάτι:ά oviculas) μου (Ioan. 21, 15 sqq).

<sup>3)</sup> Sic ποιμένες ab Homero appellantur: Agamemnon (Iliad. II, 243), Menelaus (V, 566), Achilles (XVI, 2), Hector (XIV, 423).

<sup>4)</sup> Cf. Ps. 2, 9; Matth. 2, 6 coll. Mich. 5, 2 sq; Is. 44, 28; II Reg. 5, 2; 7, 7; Ez. 37, 24.

**B. Christus primatum in universam Ecclesiam uni Petro directe et immediate contulit.** 372

Id patet 1. *positive*, eo quod omni fere possibili modo una persona Petri directe et immediate tamquam subiectum primatus a Christo designatur. In primo textu enim «illum appellat nomine nativitatis *Simon*; nomine paternitatis *Bar-Iona*, filium Ioannis; subiungit cognomen, quo ipse eum insigniverat, *tu es Petrus*; et assignat rationem eius, quod dicturus est, *Pater revelavit tibi*, et pollicetur se daturum ipsi Petro, *ego dabo tibi*». <sup>1)</sup> Idem patet ex secundo textu: *Simon Ioannis — diligis me plus his — pasce agnos, pasce oves*; quae omnia profecto uni Petro immediate et directe dicta sunt.

2. *Polemice* ex absurditate interpretationis adversariorum. Si enim dicatur, primatum non Petro, sed toti collegio Apostolorum et consequenter episcoporum, vel Ecclesiae et per Ecclesiam Petro collatum fuisse, sequeretur: **a.** Quod Ecclesia super seipsam aedificanda, et grex Christi a seipso pascendus esset. — **b.** Sequeretur haec insulsa, ironica, immo absurda sententia: Tu vocaris quidem petra, sed non es petra; te uti non possum. Ego tibi dabo claves, at eas ab Ecclesia recipere debes. Quodcunque ligaveris, erit ligatum, et quodcunque solveris, erit solutum; verumtamen cave tibi, Ecclesia enim te superior est, ac proinde ipsa te solvere et ligare potest. Pasce oves, pasce agnos meos; sed auctoritatem pascendi ab ovibus et agnis recipies. En, o Petre, praemium, quod tibi rependo pro confessione divinitatis meae. — Quid, quaeso, insulsius tali interpretatione? Et tamen haec ipsissima est, quam adversarii primatus nolentes volentes acceptare coguntur. <sup>2)</sup>

**Thesis 104.** α) *Munus confirmandi fratres Petro commissum*; β) *varia praecellentiae signa in Evangeliiis relata*; γ) *ipsaque agendi ratio Petri post ascensionem Domini: illustrent simul locos classicos de primatu Petri et illustrentur ab eis.* 373

<sup>1)</sup> Ita in relat. cit., Coll. Lacens. pg. 321.

<sup>2)</sup> Cf. ad hanc thesim Leo XIII., Encycl. De unit. Eccl. pg. 52 sqq (ed. Friburg.).

Etsi singula argumenta in hac thesi afferenda non omnia per se primatum efficaciter demonstrant; tamen  $\alpha$ ) plurimum conferunt ad illustranda testimonia classica (Matth. 16 et Ioan. 21) superius exposita;  $\beta$ ) immo in tota sua collectione considerata et simul cum textibus Matthaei et Ioannis comparata, nonnisi supposito primatu Petri, legitimum sensum fundunt.

**A. Munus confirmandi fratres.**

Dicit Christus ad Petrum (Luc. 22, 31 sq): *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Dupliciter ex hoc loco intentum evincitur: **a.** Propter evidentem eius parallelismum cum Matth. 16, 18. Illi enim, qui propter suam *firmitatem* petra Ecclesiae dicitur, consequenter traditur munus *confirmandi* (στήριξον) fratres. — **b.** Propter naturam huius muneris. Fides enim se habet ut anima Ecclesiae, quae est societas fidelium. Eatenus ergo Ecclesia consistere potest, quatenus in ea unitas et firmitas fidei conservatur. Hoc autem omnino exigit, ut definiantur dogmata, errores proscribantur, media ad fidei tutelam necessaria adhibeantur, contumaces puniantur etc. Atqui talis potestas est vera potestas iurisdictionis. Ergo Petro tradita est potestas iurisdictionis in *fratres*, seu in universam Ecclesiam, quae ex fratribus fidei componitur.<sup>1)</sup>

374 **B. Alia signa praecellentiae Petri prae reliquis Apostolis.**

1. *Mutatio nominis*: Intuitus autem eum Iesus, dixit: *Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Cephias* (Ioan. 1, 42; cf. Marc. 3, 16; Matth. 16, 18). Nomina autem a Deo imposita non sunt vana nomina, sed id efficiunt, quod significant; ut iam a priore praesumi debet et ex variis exemplis biblicis colligitur; puta ex nominibus a Deo impositis *Abram* (Gen. 17, 5); *Iacob* (32, 28); *Osee* (Num. 13, 17); praesertim ex nomine *Iesu* (Matth. 1, 21). Merito ergo praesumitur, nomen Simoni impositum connexum esse cum

<sup>1)</sup> Hoc argumentum postea, ubi de infallibilitate R. Pontificis agetur, magis enucleabitur et ex interpretatione Patrum confirmabitur.

munere, quod ei suo tempore conferendum erat. Haec praesumptio autem transit in certitudinem per explicationem ab ipso Christo huic nomini datam (Matth. 16, 18). Ad quae verba observat *Hieronymus*:<sup>1)</sup> «Quid est, quod ait: *Et ego dico tibi?* non sermone casso et nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est: *Quia tu es Petrus* etc. Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, ceteraque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita et Simoni, qui credebatur in petram Christum, *Petri* largitus est nomen.»

2. *Locus primus Petro constanter assignatus.* Sic: *Primus Simon, qui dicitur Petrus* (Matth. 10, 2); *Simon et qui cum illo erant* (Marc. 1, 36; cf. 5, 37; Luc. 6, 14; Ioan. 21, 2); et: *dicite discipulis eius et Petro* (Marc. 16, 7); rursus: *ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas* (1 Cor. 9, 5); iterum: *Petrus cum undecim* (Act. 2, 14) etc. Nulla autem alia sufficiens ratio huius ordinis assignari potest, quam primatus.<sup>2)</sup>

3. *Praecipuus honor Petro exhibitus:* Didrachma pro Christo et Petro solvitur (Matth. 17, 23 sqq); Christus ex Petri navi praedicat eumque piscatorem hominum futurum esse promittit (Luc. 5, 3 sqq); Petri pedes in ultima coena primo lavat (Ioan. 13, 6 sqq); resurrectio Christi Petro speciali mandato nuntiatur (Marc. 16, 7) etc.

### C. Agendi ratio Petri post ascensionem Domini.

375

Quamvis Ecclesia tunc non tam regenda quam fundanda esset, ac ceteri quoque Apostoli ad hunc finem plena potestate instructi essent, nihilominus plura prostant facta, quae satis clare, maxime si coniunctim spectantur, ostendunt, Petrum exercuisse primatum.

<sup>1)</sup> Comment. in h. 1.

<sup>2)</sup> Quatuor tantum loci excipiuntur, in quibus hic ordo mutatur: Ioan. 1, 44; 1 Cor. 1, 12; 3, 22; Gal. 2, 9. At mutationis ratio obvia est. In 1. textu enim Andreas et Petrus non ut Apostoli, sed ut incolae civitatis commemorantur; in 2. et 3. textu est ascensus a minore ad maiorem; in 4. prius nominatur Iacobus (ut observat Estius in h. loc.) «ad honorem Domini, cuius erat frater, et quia Ierosolymorum episcopus erat, ubi haec gerebantur; idemque maximi nominis apud Iudaeos ob sanctitatis opinionem».

Sane: **a.** Ipse primus Iudaeis, et postea gentibus annuntiavit Evangelium (Act. 2, 14; 3, 12; 4, 8; 10, 1 sqq). — **b.** Primus Petrus Evangelium miraculo comprobavit, ac prae ceteris Apostolis miraculorum charismate excelluit (Act. 3, 1 sqq; 5, 14 sq; 10, 44 sqq). — **c.** Ipse in coenaculo electionem novi Apostoli in locum Iudae proditoris proponit, eligendi dotes definit totumque hunc actum eminenter hierarchicum dirigit (Act. 1, 15 sqq). — **d.** Ipse iudicat, eiusque iudicium Deus sanctione tremenda confirmat (Act. 5, 1 sqq). — **e.** Ipse denique in concilio Hierosolymitano primus sententiam dicit (Act. 15, 7). Pulchre *Chrysostomus*<sup>1)</sup> sollicitudinem Petri in gubernatione Ecclesiae describit: «Vide illum ubique circumcursantem et primum inventum, ubi eligendus erat Apostolus; hic primus fuit, quum dicendum erat Iudaeis, non esse ebrios Apostolos, quum claudus sanandus fuit, quando erat concionandum; hic ante alios erat, quando agendum cum praefectis, quando cum Anania, et quum ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum eminet, hic adest, et ubi quaedam dispensanda sunt. Ubi vero tranquillae res sunt, in communi omnes; hic maiorem non appetit honorem. Rursum quum miracula edere oportebat, ille prosiliebat.»

Merito ergo a Pio X. damnatus est error (Decr. «Lamentabili» error 55): «Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est, sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.»<sup>2)</sup>

376 **Thesis 105.** *Eadem veritas ex traditione probatur.*

**1.** Patres **a.** textus laudatos Matthaei et Ioannis expresse de primatu **b.** Petri intelligunt. *Cyprianus* e. g. scribit:<sup>3)</sup> «Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam.» *Origenes*:<sup>4)</sup> «Vide magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modicae, inquit, fidei, quare dubitasti?» *Hilarius*:<sup>5)</sup> «O in

<sup>1)</sup> In Act. Ap. hom. 21 n. 2.

<sup>2)</sup> Denzinger 2055.

<sup>3)</sup> Ep. 71.

<sup>4)</sup> In Ex. hom. 5 n. 4.

<sup>5)</sup> In Matth. 16 n. 7.

nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret.» *Chrysostomus*:<sup>1)</sup> «Dicit autem (Christus): si amas me, fratrum praefecturam (προστασίαν) suscipe.» *Hieronymus*<sup>2)</sup> appellat Petrum «principem Apostolorum, super quem fundatur Ecclesia, qui propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio». *Augustinus*:<sup>3)</sup> «In Scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum excellenti ratione praeeminet», et paulo post: «Quis nescit, illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum?» — **b. Tituli** et encomia, quibus Petrum extollunt Patres, eius primatum demonstrant. A *Chrysostomo*, ut unum alterumve afferam, appellatur Petrus «basis Ecclesiae,<sup>4)</sup> fundamentum fidei,<sup>5)</sup> chori illius coryphaeus, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum Ecclesiae»<sup>6)</sup> etc. Ab *Ambrosio*<sup>7)</sup> Petrus vocatur «firmamentum Ecclesiae»; a *Cyrillo Hier.*<sup>8)</sup> vocatur ὁ κορυφαίωτατος καὶ πρωιοστάτης τῶν ἀποστόλων; a conc. *Ephesino* (Act. III) «caput totius fidei, quin etiam Apostolorum». Similia apud Patres occurrunt passim.<sup>9)</sup>

2. Idem testantur concilia. Ita *Lugdunense* II. dicit: «S. Rom. Ecclesia summum et plenum principatum et primatum supra universam Ecclesiam obtinet; quem se ab ipso Domino in b. Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius R. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter et humiliter recognoscit». *Florentinum* definivit: «S. apostolicam Sedem et Rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem R.

<sup>1)</sup> In Ioan. hom. 88.

<sup>2)</sup> Adv. Iovin. l. 1 (ed. Ven. t. 2 pg. 279).

<sup>3)</sup> De baptismo l. 2 n. 2; cf. Enarrat. 1 in Ps. 108; Tertull., De praescr. 22 Ambros. in huc. l. 10 ad c. 24.

<sup>4)</sup> In illud, Vidi Dom. hom. 4 n. 3.

<sup>5)</sup> Contr. Iud. et theat. n. 1.

<sup>6)</sup> In illud, Hoc scitote etc. n. 4.

<sup>7)</sup> De virgin. c. 16 n. 105.

<sup>8)</sup> Catech. II n. 19.

<sup>9)</sup> Cf. Orig. et Aug. ll. cc.; Greg. Nyss., Or. 2 de s. Steph.; Epiph., Adv. haer. n. 2; Ephraem, Serm. 4 in hebdom. sanct. n. 1.

successorem esse b. Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quaemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.» Idem iam legitur in celebri formula dogmatica *Hormisdæ* atque in aliis documentis fidei, nec non in s. liturgia et institutionibus catecheticis.<sup>1)</sup>

3. Accedunt omnia illa testimonia Patrum et decreta conciliorum, quibus in sequentibus primatus R. Pontificis probabitur. Hic siquidem totus quantus in primatu Petri fundatur.

4. Confirmatur: a. ex antiquissimis *monumentis* artis, ex picturis, sculpturis, inscriptionibus etc., quae sub variis typis et attributis supremam potestatem Petri exhibent. Sic in variis sarcophagis et musivis s. Petrus conspicitur cum *clavibus* vel cum *virga*; haud raro repraesentatur sub imagine *Mosis*; aliquando conspicitur Christus Petro de caelo volumen porrigens, inscriptione apposita: *Lex*. Sicut nimirum in A. T. lex per Moysen data est, ita per Petrum lex evangelica datur. «Petrus, ... inquit s. *Augustinus*,<sup>2)</sup> factus est pastor Ecclesiae, sicut Moyses ... factus est rector illius synagogae.» — b. Confirmatur ex *encomiis et titulis*, quibus b. Petrus etiam in libris liturgicis schismaticorum condecoratur. Passim enim appellatur *petra Ecclesiae*, *basis Ecclesiae*, *basis fidei*, *coryphaeus* vel *summus coryphaeus* et *primus princeps Apostolorum*, *praepositus Ecclesiae* etc.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Denzinger 171. 466. 694.

<sup>2)</sup> Contr. Faust. l. 22. c. 70. Cf. Garrucci, Vetri ed. 2 tav. X (Roma 1864); De Rossi, Bull. di archeol. christ. a. 1868 et 1887; Wilpert, Malereien der Katakomben (Freiburg i. Br. 1903) § 19 et 79; Kraus, Real-Encyclop. ad verbum *Moses*.

<sup>3)</sup> Πέτρα τῆς Ἐκκλησίας, κορυφὴ τῆς πίστεως, κορυφαῖος et κορυφαῖότητος et προεξάρχων τῶν Ἀποστόλων, προστάτης Ἐκκλησίας καὶ πρόεδρος, ὁ πρωτόθρονος. Cf. Tondini de Quarenghi, The primacy of s. Peter; Azarian, Ecclesiae armenae traditio de Rom. Pontif. primatu (Romae 1870); cf. Groot, Sum. Apologet. q. 14 a. 2; Hurter n. 347; Palmieri, De Rom. Pontif. thesi 1.

## ARTICULUS II.

**De fine, ob quem institutus est primatus. Difficultates contra institutionem primatus.**

Hunc finem ita declarat conc. *Vaticanum* (Prooem. 377 const. de Eccl.)<sup>1)</sup>: «Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, (Christus) b. Petrum ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit *perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum*, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret.» Et postea subdit, quod in primatu «totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit». Finis primatus ergo ex doctrina concilii est *unitas tum episcoporum tum fidelium*, quae per primum *efficitur et sustentatur*. — Primo igitur hunc finem demonstrabimus, et deinde praecipuas difficultates contra primum Petri solvemus.

**Thesis 106.** *Christus in b. Petro primum instituit tamquam perpetuum unitatis principium ac visibile fundamentum.*

*Declaratio.* Dicimus **a.** *principium* et *fundamentum*, quae duo non sunt identica. Principium enim magis active, fundamentum passive sumitur; Petrus dicitur principium unitatis, quatenus eam *efficit*, dicitur fundamentum unitatis, quatenus omnes fideles ei *adhaerent*.<sup>2)</sup> — **b.** Dicimus *fundamentum visibile* ad distinctionem ab invisibili fundamento, quod Christus est. Liquet etiam, Petrum nonnisi principium *secundarium* et participatum esse; primum quippe et im-participatum est Christus. — Probatur:

<sup>1)</sup> Denzinger 1821.

<sup>2)</sup> «Petri auctoritas, inquit Ludov. Pie, ep. Pictav. in relatione ad hoc schema (Coll. Lacens. pg. 292), non est tantum Ecclesiae passivum, sed fundamentum vivum, activum, et ut aiunt, dynamicum, cuius vi et energia omnes partes stant et coalescunt.» Consule etiam relationem sequentem Patritii Leahy, ep. Casseliens. (Coll. Lacens. pg. 306 sqq): ubi haec uberius exponuntur et ratio redditur, cur Patres primum potius principium et fundamentum, quam *centrum* unitatis dicere maluerint.

1. Ex iisdem locis s. Scripturae, quibus primatus institutionem demonstravimus. Curnam enim ponitur *petra* fundamentalis, nisi ut omnes lapides superpositi *unum* aedificium constituent? Quodnam est munus pastoris, nisi ut oves congreget et pascat, nec gregem dispergi permittat? Munus quoque *confirmatoris in fide* profecto aliud non est, quam ut unitatem fidei conservet ac haereses arceat. Haec omnia confirmantur ex biblicis analogiis Ecclesiae cum *ovili, domo, corpore, regno* etc., quae quidem symbola omnia societatem adumbrant, cuius unitas per caput aliquod visibile efficitur et conservatur.

2. Ex Patribus. *Cyprianus*<sup>1)</sup> allegatis verbis Matth. 16 et Ioan. 21 concludit: «Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab *unitate* proficiscitur, et *primatus* Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur.» *Hieronymus* hanc veritatem passim docet. Sic inter alia scribit:<sup>2)</sup> «Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus emmens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.» *Optatus*<sup>3)</sup> ita Parmenianum Donatistam alloquitur: «Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra *unitas* ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.»

3. Ex ratione. Ecclesia enim una esse debet unitate perfectissima: quae quidem postulatur tum ab immensa eius extensione, tum ex necessaria duratione usque ad finem mundi, tum maxime propter unionem cordium in eodem sensu et in eadem sententia (1 Cor. 1, 10). Atqui talis unitas sine primatu vel nullo modo vel certe non tam convenienter obtineri potest; quia «unitatis congruentior causa

---

<sup>1)</sup> De unit. Eccl. n. 3.

<sup>2)</sup> Dial. adv. Luciferian. n. 9; cf. Adv. Iovin. l. 1 n. 26.

<sup>3)</sup> De schism. Donat. l. 2 n. 2.

est unus quam multi», ut scite observat s. *Thomas*.<sup>1)</sup> Quo magis enim unitatis principium in se unum est, eo facilius illud etiam aliis unitatem impertire potest. Unde videmus etiam, quod Deus tam in ordine naturae quam in ordine gratiae hanc formam regiminis elegit (familia, synagoga).<sup>2)</sup> Homines etiam, natura duce, communiter formam monarchicam adoptarunt, vel saltem tempore periculi in unum dictatorem omnem potestatem transtulerunt, e. g. Romani.

Concludimus ergo: Licet absolute loquendo Deus etiam alia forma regiminis unitatem Ecclesiae conservare potuisset, nihilominus primatus residens in una persona physica certe et per se convenientior est, et supposita divina eius institutione, tam necessarius, ut quicunque eum reiiciunt, eo ipso ab unitate deficient.

**Thesis 107.** *Contra primum Petri nihil desumi potest:* 378

α) *Ex Patribus, qui nomine „petra“ (Matth. 16, 18) Christum vel fidem in Christum vel professionem huius fidei vel omnes Apostolos intelligunt; β) neque ex iis locis Scripturae, in quibus potestas eadem idemque munus Petri ac re-*

---

<sup>1)</sup> Contr. gent. l. 4 c. 76: α) «Manifestum est autem, quod, quamvis populi distinguantur per diversas dioeceses et civitates, tamen, sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Sicut igitur in uno speciali populo unius Ecclesiae requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiae caput.» — β) «Item, ad unitatem Ecclesiae requiritur, quod omnes fideles in fide convenient. Circa ea vero, quae fidei sunt, contingit quaestiones moveri; per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiae conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiae praesit.» Cf. Schrader, De Unitate Romana l. 1 n. 200 sqq (Friburgi Br. 1862).

<sup>2)</sup> Pulchre s. Hieronym. (Epist. ad Rusticum l. 1 n. 15): «Etiam muta animalia et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues unam sequuntur ordine litterato: Imperator unus, iudex unus provinciae. Roma, ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebecca utero Esau et Iacob bella gesserunt (Gen. 25, 22). Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quamvis grandi exercitu unum signum exspectatur.»

*liquorum Apostolorum esse dicitur; γ) neque ex iis testimoniis, in quibus Apostoli et praesertim Paulus Petro aequales fuisse dicuntur.*

Praecipuae difficultates, quibus primatus Petri impugnatur, ad classes in thesi recensitas revocantur, quas breviter proponere et solvere oportet.

**A. Prima classis.** Verba: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, nequeunt referri ad Petrum, quasi ipse sit fundamentum Ecclesiae. Nomine *petra* enim intelligi debet: **a.** Ipse *Christus*, iuxta illud (I Cor. 10, 4): *Petra autem erat Christus*, et (3, 11): *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*. Idcirco *Augustinus*<sup>1)</sup> alique Patres verba: *super hanc petram* expresse ad Christum referunt. Supponi igitur potest cum nonnullis exegetis protestantibus, Christum seipsum digito monstrasse, cum diceret: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. — **b.** Vel nomine *petra* intelligi potest et a multis Patribus reapse intelligitur *fides* et *confessio* fidei edita a Petro. — **c.** Vel denique praefata verba ad omnes Apostolos referri possunt, eo quod Petrus omnium Apostolorum nomine divinitatem Christi confessus sit, atque ideo responsio quoque omnes respiciat.

Resp. 1. Nego, quod verba *super hanc petram* sumpta in sensu *proprio* et *litterali* referri non debeant ad ipsam solamque *personam* Petri. In textu namque et contextu, ut probavimus, omni possibili modo una persona Petri designatur; neque *Christus*, neque *fides* Petri, neque reliqui Apostoli *petra* vocantur. Sane pronomen demonstrativum *hoc*

<sup>1)</sup> L. 1 retract. c. 21: «Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: 'Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit'. Sed scio me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est, tu es Petrus . . . , ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: 'Tu es Christus Filius Dei vivi'; ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni caelorum. Non enim dictum est illi: 'Tu es petra, sed: Tu es Petrus'. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut cum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem sententiarum quae sit probabilior, eligat lector.»

ad proxime antecedens refertur, praesertim si idem nomen cum pronomine iteratur. Atqui in nostro textu revera idem nomen repetitur. *Petrus* namque et *petra* evidenter idem omnino significant; ut praesertim apparet ex lingua syro-chaldaica, qua usus est Christus, et in qua unum idemque vocabulum adhibetur pro *petra* et *Petro*. Textus scilicet sonat: Tu es Cepha et super hoc Cepha, seu tu es saxum et super hoc saxum aedificabo Ecclesiam meam. Quod vero nonnulli Protestantes contendunt, Christum dicentem: *super hanc petram*, seipsum digito monstrasse; hoc, ut merito observat cl. Palmieri,<sup>1)</sup> non est interpretari sed hariolari. Ostendant Protestantes, qui nihil admittunt nisi quod scriptum est, ubi hoc scriptum sit.<sup>2)</sup> — Neque obstat, quod Christus solus sit et dicatur *petra angularis et fundamentum* Ecclesiae (I Cor. 10, 4; 3, 11); hoc enim de fundamento primario et independente valet, quo non excluduntur fundamenta secundaria et dependentia. Revera Christus etiam alias praerogativas ac titulos sibi proprios Apostolis communicavit (cf. e. g. Ioan. 8, 12, et Matth. 5, 14). «Cum ego sim, inquit *Leo M.*,<sup>3)</sup> inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum; praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.»

2. Concedo, quod verba *super hanc petram*, licet literaliter et directe solam personam Petri significant, indirecte tamen etiam fidem Petri, divinitatem Christi ac reliquos Apostolos totamque Ecclesiam *adsignificant*. Fides quippe Petri *ocasio* fuit et causa *meritoria* promissi primatus, simulque *qualitas* fundamentalis, qua Petrus muneri suo aptus efficeretur; Christus eiusque divinitas est *petra angularis et invisibilis*; Apostoli simul cum Petro, qui ta-

<sup>1)</sup> De Rom. Pontif. thes. 1 pg. 306.

<sup>2)</sup> Provocant ad parallelismum cum Ioan. 2, 19; at isti loci paralleli non sunt. Ibi enim Evangelista monet, Christum non de templo materiali, sed de templo corporis sui locutum esse. Matthaeus autem non monet, nomine *petra* non intelligi Petrum, sed Christum. Argumentum ergo potius retorqueri potest.

<sup>3)</sup> Serm. 3 in annivers. assumpt. suae c. 2.

men eorum caput est, fundamenta sunt Ecclesiae;<sup>1)</sup> ipsa denique Ecclesia est *finis*, in cuius bonum institutus est primatus.<sup>2)</sup> Sic et non aliter intelligi debent Patres, qui ab interpretatione laudatorum verborum recesserunt. Non enim reiecerunt interpretationem litteralem et communem de persona Petri, sed hac supposita per quandam accommodationem, qua in exponenda Scriptura saepe utebantur, sensum magis explanare profundioreque reddere studebant.<sup>3)</sup>

**B.** Secunda classis. *Eadem potestas idemque munus, quod Petro, collatum est et reliquis Apostolis.* Nam in ep. ad Eph. 2, 20 omnes appellantur *fundamentum*; apud Matth. 18, 18 accipiunt potestatem *ligandi* atque *solvendi*; Eph. 4, 11 recensentur *pastores* et *doctores*; Act. 18, 23 Paulus dicitur *confirmans omnes discipulos*.

379 Resp. 1. Nego assumptum; nullus enim ex objectis locis illud probat. Solus Petrus enim dicitur simpliciter *petra*, super quam aedificanda sit Ecclesia. Reliqui Apostoli autem dicuntur *fundamentum una cum prophetis*; hi autem fundamentum vocantur propter *fidem*. Ergo reliqui Apostoli non simpliciter, sed cum duplici restrictione sunt fundamentum; scilicet non singuli sed collective, et ratione fidei non ratione iurisdictionis, sicut nec prophetae iurisdictionem habebant. — Sed dices: Ergone Apostoli carebant iurisdictione? Non carebant; sed hoc aliunde probari debet, non ex eo, quod unacum prophetis appellantur fundamentum. Petrus autem solus et sine ulla limitatione appellatur *petra* Eccle-

---

<sup>1)</sup> Hoc sensu Patres quandoque dicunt, Petrum locutum fuisse tamquam «supremum Ecclesiae praeconem» et tamquam «os Apostolorum» (cf. Cyrill. Hier., Catech. 11 de Fil. Dei n. 3; Chrysost., Hom. in illud: in faciem ei restiti).

<sup>2)</sup> Huc pertinet Tertulliani (Scorpiac. c. 10) dictum: «Memento, claves eius hic Dominum Petro, et *per Petrum* Ecclesiae reliquisse.»

<sup>3)</sup> Ipse Augustinus, qui loco superius citato Retract. l. 1. c. 21 ex ignorantia linguae syriacae appellationem *petra* ad Christum non ad Petrum refert, simul tamen fatetur, quod hic (posterior) «sensus etiam cantatur ore multorum». Cf. Schrader, De Unit. Rom. l. 1 n. 180 nota 6 (Friburgi 1862); et praesertim Palmieri, De Rom. Pont. thes. 1 V, ubi singula Patrum testimonia ad trutinam revocantur.

siae. Ergo etiam auctoritatem seu iurisdictionem, sine qua nulla societas una et firma esse potest, possidere debet.

2. Quamvis ex dictis difficultas proposita simpliciter negari possit, ad plenioram tamen solutionem eam distinguimus: Videlicet Christus contulit Petro ac reliquis Apostolis *easdem* potestates, *Conc.*; *eodem modo*, *Nego*. Petrus namque eas recepit *personaliter*, reliqui *collective*; Petrus *independentem*, reliqui *dependentem* ab eo; Petrus *ordinarie*, reliqui *extraordinarie*. In textu Matthaei enim opponuntur petra ac Ecclesia supraedificanda. Cum igitur solus Petrus sit et dicatur petra, consequenter reliqui Apostoli spectant ad aedificium supraedificandum. In textu Ioannis opponuntur pastor et universus grex. Cum ergo solus Petrus instituitur ut pastor universi gregis, eo ipso etiam Apostoli ad gregem a Petro pascendum pertinent. Idem dic de textu Lucae, ubi Petrus sine omni restrictione fratres confirmare iubetur. Evidens ergo est, in omnibus textibus reliquos Apostolos Petro subordinari; supposita enim coordinatione Petrus praemio sibi promisso omnino fraudaretur. Exinde manifesto sequitur, quod potestas ligandi, solvendi ac pascendi, quatenus est communis omnibus Apostolis, concipienda sit ut subordinata et dependens a Petro; alioquin manifesta pugna inter diversos locos Scripturae induceretur, dum, supposita subordinatione, amice ad invicem conciliantur. «Quodsi, inquit *Innocentius III.*, omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, *non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis* attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut *quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset* ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis.»<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Ep. ad patriarch. Constantinop. (Migne, Patrol. lat. t. 214 pg. 760). Videsis relationem Bartholomaei d'Avanzo ad c. 1 const. de Eccl. (Coll. Lacens. pg. 320 sq), ubi difficultas proposita acute expenditur et solvitur. Cf. etiam Bonavent., Quaest. disput. de perfectione Evang. q. 4 a. 3 (Quaracchi t. 5 pg. 196) «de obedientia summo Pontifici debita», qui est articulus lectu dignissimus. Cf. etiam P. Thomas O. Cap., «Sanct Bonaventura und das Papsttum» (Bregenz 1902), ubi eruditus auctor integrum systema de R. Pontificis primatu ad tramites concilii Vaticani ex operibus Doctoris Seraphici concinnatum exhibet.

380 **C. Tertia classis** difficultatum plura testimonia corradit, quae primatui Petri contradicere videntur. Petrus enim: **a.** cum Ioanne ab Apostolis in Samariam mittitur (Act. 8, 14); rationem reddit sui modi agendi (11, 4); quin etiam a Paulo reprehenditur (Gal. 2, 11). Atqui rationem reddere, mitti et reprehendi ab alio, non decent superiorem. — **b.** Praeterea Paulus (Eph. 4, 11) inter gradus hierarchicos primo ponit apostolatum, non primatum; Patres quoque passim omnes Apostolos aequales fuisse dicunt. — **c.** Nominatim vero Paulus, qui Apostolus per eminentiam vocatur, seipsum Petro aequiparat (Gal. 2, 4—12), immo ab ipsis Pontificibus eidem parificatur; quippe qui decreta sua «auctoritate bb. Apostolorum Petri et Pauli» edere soleant, et in sigillis diplomatum imagines utriusque Apostoli insculptas habeant.

Resp. 1. Difficultas ex Act. 8, 14 et 11, 4 nulla est, cum etiam superior ad negotia magni momenti, non quidem auctoritative sed exhortatorie mitti, et ex prudente oeconomia rationem sui modi agendi reddere possit. Quoad reprehensionem a Paulo factam, Clemens Alex. putavit, nomine *Cepha* ibi non intelligi Petrum sed alium, qui ita vocaretur; Origenes, Chrysostomus et Hieronymus existimabant, reprehensionem fuisse simulatam et quasi ex conducto; alii Patres tamen veram reprehensionem admittunt; et Petri humilitatem extollunt, qui «se etiam minori fratri consensum dedit, . . . quatenus, qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate». <sup>1)</sup> Argumentum ergo retorqueri potest.

2. Argumentum ex Eph. 4, 11 petitum imprimis mere negativum est. Praeterea intentio Pauli non fuit recensere gradus hierarchicos, sed varia charismata in utilitatem Ecclesiae concessa; alioquin non recenseret gratiam curationum, opitulationes, genera linguarum etc.

3. Apostoli aequales fuerunt quoad apostolatum, scilicet quoad immediatam missionem Christi, quoad infallibili-

<sup>1)</sup> Gregor. M., Epist. 1. 9 ep. 39; cf. Aug., De bapt. 1. 2 n. 2; Cyr., Ep. 71 ad Quintum, ubi observat s. martyr, Petrum non dixisse, «se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere».

tatem in docendo, quoad plenam iurisdictionem et potestatem ubique fundandi et administrandi ecclesias etc. At aequales non fuerunt Petro simpliciter et in omnibus, cum ipsi ex dictis potestas *primatialis* collata sit, non reliquis Apostolis. Haec est etiam doctrina Patrum, qui, licet quandoque Apostolos omnes aequales fuisse affirmant, simul tamen passim Petrum *primum, principem, coryphaeum, caput* Apostolorum nominant (376).

4. Paulus utique Apostolus per eminentiam vocatur; at non ratione potestatis, sed «quia pluribus epistolis est notior et plus omnibus illis laboravit». <sup>1)</sup> Nec Paulus ipse (Gal. 2, 7) quoad potestatem se Petro aequiparat, sed quoad missionem. Cum enim nonnulli Paulo dignitatem apostolatus negarent, quasi ab hominibus non a Christo vocatus fuisset, ostendit Paulus, se a nullo alio Apostolo, sed immediate a Christo potestatem et apostolatam ad gentes accepisse, sicut Petrus missus fuerat praecipue ad Iudaeos. Igitur, ut iam *Hieronymus* <sup>2)</sup> observat, partiti sunt non potestatem, sed opera. — Si denique Petrus et Paulus in documentis et monumentis publicis individuo nexu copulari solent, hic honor b. Paulo non propter consortium primatus, sed propter eximios labores, praesertim in fundanda Ecclesia Romana, quam simul cum Petro proprio sanguine irrigavit, ei delatus est. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> August. ad Bonif. l. 3 c. 3 n. 4.

<sup>2)</sup> Cf. Hieronym. in Gal. c. 2.

<sup>3)</sup> Canit Venant. Fortunatus (l. 9 carm. 2): «Princeps *clave* Petrus, primus quoque dogmate Paulus.» Si in imaginibus quandoque Paulus dexteram tenet, hoc neminem movere debet, cum dextera non semper et ubique ut honoratior habita fuerit. Sic aliquando b. Agnes dexteram, b. V. Maria sinistram tenet. (Cf. Petr. Dam., Op. 35; Thom. in Gal. c. 1 lect. 1; Bellarm., De R. Pontif. l. 1 c. 27). — Audiatur etiam Lud. Pie, ep. Pictav. in relat. ad schem. const. Eccl. (Coll. Lacens. pg. 300): «Immo, ut observaverunt antiqui scriptores, dum Paulus, cuius apostolatus erat temporarius ac extraordinarius, capite amputato, hac vita decessit; Petrus, Ecclesiae Dei vivi per cuncta decurrentia saecula praefuturus, corpore suo moriens detruncatus non est. Et hic, Rmi Patres, placeat audire pulcherrima verba alterius Pontificis magno Leonis nomine insigniti, Leonis IX., quem et Gallia simul et Germania cathedrae Romanae datum gloriantur. Hoc utique, inquit, devotissimus ille Petrus (scribit ad Michaellem

381 **Corollarium 1.** Merito ergo *Ioannes XXII.* (a. 1327) damnavit Marsilii propositionem: «Quod b. Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem fecit vicarium suum.»<sup>1)</sup> Merito quoque *Innocentius X.* (a. 1647) hanc propositionem ut haeticam damnavit: «S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt, vel: sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti, vel: sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel: sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae.»<sup>2)</sup>

**Corollarium 2.** Petrus Christi *vicarius* dicitur, non *successor*. Non succeditur enim nisi ei, qui auctoritatem deposuit. Christus autem auctoritatem non deposuit, sed cum visibilem suam praesentiam mundo subduceret, aliud visibile caput loco sui Ecclesiae providit, quod tamen in omnibus ab ipso invisibili capite dependeret.

## CAPUT II.

### De perpetuitate primatus b. Petri in Romanis Pontificibus.

382 Facile Petro adversarii concesserint primatum, dummodo non transierit ad successores. Enimvero nil magis Constantinopolitanum) non solum vivens, sed et moriens demonstravit, quando congrua significatione se crucifigi deorsum verso capite petivit: profecto divina inspiratione praefigurans sese primum et quadrum lapidem in fundamento, quod est Christus Iesus, compaginatam, cohaerentem atque connexum; qui utpote suppositus (Lege *superpositus*, Hard. C. C. VI, 930; Labbe XI, 1323) angulari lapidi, totum pondus Ecclesiae fabricae incorruptibili soliditate sufferret, ac proprii capitis suppositione omnia membra corporis Christi, per aptas et naturales compages, usque ad consummationem saeculi, quasi usque ad pedes crescentia inflexibili collo ad caelos sustolleret.»

<sup>1)</sup> Cf. Denzinger 496.

<sup>2)</sup> Ibid. 1091. Cf. Bonavent. (Quaracchi) t. 4 pg. 196.

ipsis exosum primatu R. Pontificis, quem ut e medio tollant, omnem lapidem movent; at irritum conatu, ut in hoc capite ostendemus. In hunc finem sequentes quaestiones examinabimus:  $\alpha$ ) *Utrum primatus ex institutione Christi in Ecclesia perennis esse debeat.*  $\beta$ ) *Utrum R. Pontifex sit legitimus successor Petri in primatu.*  $\gamma$ ) *Quo iure R. Pontifices primatum teneant.* In primo articulo duas priores quaestiones solvemus, in secundo ius huius successionis examinabimus.

## ARTICULUS I.

### De successione R. Pontificum in primatu Petri.

Protestantes perpetuitatem *primatus generatim*, schismatici graeci vero speciatim *primatum Romani Pontificis* negant ac contendunt, cum imperio civili etiam *primatum Ecclesiae* ab urbe Roma transmigrasse Constantinopolim.<sup>1)</sup> Utrumque haereticum est, ut constat inter alia ex definitione conc. *Vaticani* (can. 2):<sup>2)</sup> «Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut b. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut R. Pontificem non esse b. Petri in eodem primatu successorem, anathema sit.» — Esto itaque:

**Thesis 108.** *Ex institutione Christi b. Petrus in primatu successores habere debuit.* 383

Prob. 1. ex locis Scripturae superius relatis, ubi Petrus constituitur Ecclesiae *fundamentum*, *claviger* regni caelestis, supremus *hierarcha* potestate illimitata solvendi ac ligandi instructus, *pastor* universi gregis Christi et *confirmator fratrum*. Nam omnia ista munera non sunt personalia et extraordinaria, aut pro fundanda dumtaxat Ecclesia necessaria, sed *ordinaria* atque etiam pro conservanda Ecclesia requisita. Ergo primatus ex institutione Christi non personalis esse, sed in successores transire debuit.

2. Confirmatur. Finis institutionis primatus ex probatis est conservatio unitatis Ecclesiae. Atqui hic finis tamdiu manet, quamdiu Ecclesia. Ergo etiam medium ad finem,

<sup>1)</sup> Cf. Hergenröther, Photius (Regensburg 1867 ff) Bd 1 S. 657; Bd 3 S. 336.

<sup>2)</sup> Denzinger 1825.

scilicet primatus tamdiu perseverare debet, quamdiu Ecclesia perseverabit. Quin immo posterioribus temporibus absque primatu difficilior unitas conservari potuit, quam in exordio Ecclesiae tum propter maiorem eius diffusionem super universum orbem, tum etiam propter cessationem singularium donorum, quibus Apostoli et primitiva Ecclesia floruerant.

3. Traditionis argumentum. Patres conc. *Ephesini* profitentur (Act. III): «Qui (Petrus) ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet.» In conc. *Chalcedonensi* (Act. II) audita epistola Leonis Patres clamant: «Petrus per Leonem locutus est.» *Petrus Chysol.* scribit:<sup>1)</sup> «In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam b. Petrus, qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.» *Leo M.* ait:<sup>2)</sup> «Manet ergo dispositio veritatis, et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.» — Huc referri insuper debent omnia testimonia, quibus primatum R. Pontificis in specie demonstrabimus.

4. Ratio theologica:  $\alpha$ ) cum s. *Thoma*<sup>3)</sup> ex convenientia regiminis monarchici; et  $\beta$ ) ex immutabilitate Ecclesiae petitur. Forma regiminis etenim ad essentiam societatis pertinet. Si ergo in Ecclesia ab initio forma monarchica fuit, eadem etiam postea manere debuit.

**Obiectio.** Apostolatus ad bonum Ecclesiae necessarius fuit, et tamen cessavit. Ergo a pari primatus. — Resp. Distinguo antecedens: Apostolatus necessarius fuit ad Ecclesiam fundandam, *Conc.*; ad conservandam, *Subdist.*: in quantum apostolatus includit potestatem ordinariam episcopatus, *Conc.*; in quantum includit infallibilitatem, plenam potestatem aliaque charismata Ecclesiae fundandae necessaria, *Nego*. Ergo nego paritatem et consequentiam. Re-

---

<sup>1)</sup> Ad Eutychn. n. 2.

<sup>2)</sup> Serm. 3 al. 2 c. 3.

<sup>3)</sup> Supplem. q. 40 a. 6; cf. Contr. gent. l. 4 c. 76 (quem locum allegavimus n. 377, 3).

sponsionis veritas ex collatione apostolatus et primatus quoad naturam et finem vindicatur.

**Thesis 109.** *Solus R. Pontifex est successor legitimus* 384  
*b. Petri in primatu.*

Thesis est de fide ex pluribus conciliis; praesertim ex *Lugdunensi* II. et *Florentino*, quorum verba allegavimus (376, 2); nec non ex conc. *Vaticano* modo (382) citato. — Liquet, hoc dogma cardinem esse totius demonstrationis catholicae, quod propterea multiplici argumento probabimus: scilicet exclusivo, genetico, theoretico, practico et philosophico.

**A. Argumentum exclusivum** ita proponitur: Aut nullus est Petri in primatu successor, aut hic est R. Pontifex. Dilemma propositum certe adaequatum est. Quis enim alius praeter R. Pontificem primatum Petri praetendere audeat? An patriarcha constantinopolitanus? At quamvis aliquando Photius asseruerit, primatum ab urbe Roma unacum imperio civili Byzantium translatum esse, hodie tamen nullus patriarcha schismaticus primatum in universam Ecclesiam praetendit, et si praetenderet, ab omnibus irrideretur. Idcirco negatio primatus R. Pontificis reipsa negationi primatus simpliciter aequivalet. In thesi priore ergo implicite etiam huius thesisi demonstratio praecontinetur.

**B. Argumentum geneticum** petitur ex origine primatus 385 R. Pontificis, atque ita institui potest. Ille, qui b. Petro in episcopatu, quem usque ad mortem tenuit, succedit, est etiam eius successor in primatu. Atqui Rom. episcopus Petro succedit in episcopatu: ergo etiam in primatu. Propositio maior enuntiat *ius*, minor *factum*. Utrumque facile probatur.

1. *Ius* omnino clarum est. In Petro enim episcopatus et primatus idem fuit. Nam, ut merito observat *Bellarminus*:<sup>1)</sup> «Petrus Pontifex totius Ecclesiae a Christo institutus non adiunxit sibi episcopatum urbis Romae, quo modo episcopus alicuius loci adiungit sibi alium episcopatum vel canonicatum aut abbatiam; sed Romae urbis episcopatum evexit ad summum orbis terrae pontificatum, quemadmodum

<sup>1)</sup> De R. Pont. I. 2 c. 12.

cum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum vel patriarchatum. Non enim archiepiscopus vel patriarcha est bis aut ter episcopus, sed semel tantum. Et in huius rei signum non datur summo Pontifici nisi unum pallium, etiamsi episcopus, archiepiscopus, patriarcha et summus Pontifex sit; haec enim omnia sunt unum actu, et tantum in potentia multa. Ex quo sequitur, ut, qui eligitur R. episcopus, eo ipso sit Pontifex summus Ecclesiae totius.»<sup>1)</sup> Ius igitur est omnino evidens. Eo ipso enim, quod in Petro episcopatus et primatus coincidunt, successio in unum iam importat successionem in alterum. Quocirca non est maior difficultas in determinando successore R. Pontificis, quam aliorum episcoporum. Tota igitur quaestio est de facto, an Petrus Romae sedem episcopalem fixerit et ad mortem usque tenuerit.

2. Hoc *factum*, quantumvis hodie ab osoribus primatus R. Pontificis acriter impugnetur, nihilominus tam certum est tantaque evidentia fulget, quanta vix aliud factum historicum. Illud a. imprimis satis clare innuitur in ipsa I. epistola Petri (5, 13), ubi scribit: *Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coëlecta*. Babylonis nomine enim manifesto Roma significatur et a tota antiquitate intellecta fuit; cum Babylon iuxta Euphratem tunc temporis omnino deserta fuerit, Babylon aegyptiaca exiguum oppidulum esset, ac ceteroquin haec significatio symbolica urbi Romae optime quadraret (cf. Apoc. 17, 5).

b. Certissime vero hoc factum demonstratur ex tradi-

---

<sup>1)</sup> Iterum eandem rem ita declarat (l. c.): «Potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinque annis; et tunc moriente Petro, non episcopus romanus neque antiochenus successisset, sed is, quem Ecclesia sibi elegisset. Potuisset quoque semper manere Antiochiae, et tunc antiochenus sine dubio successisset; quia vero Romae sedem fixit et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut R. Pontifex ei succedat.» Sane «Petri successores, inquit Bossuet (Defens. declarat. cleri gallic. l. 10 c. 5), cum ordinandi fuerint, e caelo lapsuri non sunt, neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari commoverique oportebat. Necesse est ergo, aliqua ut sit Ecclesiae catholicae pars, ex qua existant alique aliis subrogentur».

tionem antiquissima. Testatur *Clemens Rom.*<sup>1)</sup> quod Petrus et Paulus «apud nos» (ἐν ἡμῖν) cum magna electorum multitudine martyrium passi sunt. Scribit *Ignatius M.*<sup>2)</sup> ad Romanos: «Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio. Illi Apostoli, ego condemnatus» etc. Testantur *Papias*<sup>3)</sup> et *Clemens Alex.*<sup>4)</sup> priorem epistolam Petri Romae scriptam esse. Testatur *Irenaeus*<sup>5)</sup> quod «fundantes et instruens b. Apostoli (Petrus et Paulus) ecclesiam, Lino episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt». Narrat *Caius*<sup>6)</sup> presbyter (circa a. 200), suo tempore tropaea Petri et Pauli, fundatorum Ecclesiae romanae, in Vaticano et ad viam ostiensem ostensa fuisse. Testante *Cypriano*<sup>7)</sup> «factus est Cornelius episcopus... quum Fabiani locus, id est quum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret». Denique *Hieronymus* narrat:<sup>8)</sup> «Simon Petrus post episcopatum antiochen-sis ecclesiae et praedicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia secundo Claudii Imperatoris anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum annum Neronis.» — His addi possunt testimonia *Tertulliani*, *Hippolyti*, *Origenis*, *Eusebii*, *Commodiani*, *Lactantii* aliaque plurima. Addi possunt *catalogi* Pontificum, quos texuerunt Hegesippus, Irenaeus, Optatus Milevitanus alique. Addi possunt *monumenta* antiquissima: sepulcrum, cathedra, coemeterium ostrianum, basilicae, picturae etc. Tandem addi possunt *testimonia haereticorum et schismaticorum orientalium*, immo et praecipuorum Protestantium.<sup>9)</sup>

<sup>1)</sup> Ep. 1 ad Cor. nn. 5. 6.

<sup>2)</sup> Ep. ad. Rom. c. 4.

<sup>3)</sup> Ap. Euseb., Hist. eccl. II, 15.

<sup>4)</sup> Ib. VI, 14.

<sup>5)</sup> Adv. haer. I. 3 c. 3.

<sup>6)</sup> Ap. Euseb. II, 28.

<sup>7)</sup> Ep. 52.

<sup>8)</sup> De viris illust. c. 1.

<sup>9)</sup> Cf. Iungmann, Dissertat. selectae in hist. eccl., dissert. 1; Hundhausen, Das erste Pontifikalschreiben des Apostelfürsten Petrus; et praesertim Grisar, Geschichte Roms und der Päpste Bd 1 (Freiburg i. Br. 1901) n. 183 ff: Das Grab des hl. Petrus, ubi allatis plurimis auctoribus heterodoxis concludit verbis protestantici

386

C. *Argumentum theoreticum* petitur:

1. Ex *Patribus*, quorum praecipua dumtaxat testimonia afferam. Ecclesia Rom. ab *Ignatio M.* appellatur «caritatis coetui praesidens» (προκαθήμενη τῆς ἀγάπης).<sup>1)</sup> Iuxta *Irenaeum*<sup>2)</sup> «ad hanc (Romanam) ecclesiam propter potentio- rem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper (ab his, qui sunt undique) conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio». Haec principalitas autem non consistit in prae- eminentia politica urbis Romae (ut recentiores Antiquo- catholici hoc testimonium detorquent), sed consistit in pri- matu (πρωτεῖον), quem Roma habet propter Sedem apostoli- cam. Irenaeus enim non provocat ad praeeminentiam politi- cam, sed ad Apostolos Petrum et Paulum, et solam enu- merationem R. Pontificum dicit esse «plenissimam osten- sionem» verae fidei. Haec iuxta s. martyrem causa est, propter quam omnes, qui sunt undique fideles, cum ec- clesia Rom. consentire debent. — *Cyprianus* ecclesiam R. appellat «Ecclesiae catholicae radicem et matricem»; Pe- tri cathedram atque Ecclesiam «principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est».<sup>3)</sup> *Tertullianus*<sup>4)</sup> scribit: «Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium; Pontifex scilicet Maximus, quod est *Episcopus Episcoporum*, edicit: ego et moechiae et fornicationis delicta poeni- tentia functis dimitto.» Haec verba, licet ironice dicta, ta-

---

critici Adolphi *Harnack* (Chronologie der altchristlichen Literatur, 1897): «Der Märtyrertod des Petrus in Rom. ist einst aus tendenz- protestantischen, dann aus tendenz-kritischen Vorurteilen bestritten worden. In beiden Fällen hat der Irrtum der Erkenntnis wichtiger geschichtlicher Wahrheiten Vorschub geleistet, also seine Dienste getan. Daß es aber ein Irrtum war, liegt heute für jeden Forscher, der sich nicht verblendet, am Tage. Der ganze kritische Apparat, mit dem *Baur* die alte Tradition bestritten hat, gilt heute mit Recht für wertlos» (S. 234).

<sup>1)</sup> Ep. ad Rom.; cf. Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Li- teratur I, 136 f. (Freiburg 1913).

<sup>2)</sup> Adv. haer. I. 3 c. 3. De interpretatione huius loci cele- berrimi cf. Ottiger, Theol. fundam. t. 2 pg. 630—52.

<sup>3)</sup> Ep. 48 ad Cornel. n. 3, et ep. 59 n. 14; cf. Ottiger I. c. pg. 653 sqq.

<sup>4)</sup> De pudic. c. 1; cf. De praescript. c. 36 et Scorpiac. c. 10.

men manifestum fidei tunc vigentis testimonium continent. — Iuxta *Ambrosium* «cum episcopis catholicis hoc est cum romana Ecclesia convenire»;<sup>1)</sup> quare: «Ubi Petrus (i. e. R. Pontifex), ibi Ecclesia.»<sup>2)</sup> — *Hieronymus*<sup>3)</sup> ad Damasum scribit: «A pastore praesidium ovis flagito . . . cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior, super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.» Denique Augustino «tenere fidem catholicam» idem est, ac «sequi fidem romanam»;<sup>4)</sup> et inter multa, quibus s. Doctor se in Ecclesiae catholicae gremio teneri fatebatur, fuit etiam «ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum».<sup>5)</sup>

2. *Ex antiquis conciliis.* In *Ephesino* (Act. III) Philippus legatus, nullo reclamante, dixit: «Nulli dubium est, immo saeculis omnibus notum, quod s. Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet.» Patres conc. *Chalcedonensis*, ubi circiter sexcenti episcopi orientales aderant, Leonem M. alloquuntur: «Quibus (patribus chalcedonensibus) sicut membris caput praeeras»; deinde Dioscorum vituperant, qui suam insaniam extendit contra ipsum, «cui vineae custodia a Domino commissa est»; conclamant: «Petrus per Leonem locutus est»; ac denique decretorum confirmationem postulant: «Rogamus te, tuis decretis et nostrum ho-

<sup>1)</sup> De excessu frat. Satyr. I. 1 n. 47.

<sup>2)</sup> Enarr. in Ps. 40 n. 30; cf. De poenit. I. 1 c. 7 n. 33.

<sup>3)</sup> Ep. 15.

<sup>4)</sup> Serm. 30.

<sup>5)</sup> Contr. ep. fundam. c. 4; cf. Ep. 232 al. 42 n. 3. Lege pulcherrimam apostrophem s. Bernardi ad Papam Eugenium (De consider. I. 2 c. 8).

nora iudicium, et sicut nos capiti in bonis coniecimus consonantiam, sic et summitas tua, filiis quod decet, impleat.» — Patres conc. *Constantinop.* III. (Act. XVIII) profitentur: «Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps; illius enim imitatore et Sedis successorem, habuimus fautorem; charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur» etc.

387 D. *Argumentum practicum* petitur ex factis innumeris, quibus ostenditur, R. Pontifices primatum in universam Ecclesiam reapse semper exercuisse. Praecipuae classes talium factorum hae sunt:<sup>1)</sup>

1. *Consultationes de negotiis ecclesiasticis ad Sedem apostolicam missae*, et quidem consultationes *universales* ex toto orbe, ab Oriente et Occidente; *constantes* i. e. quovis tempore factae; *variissimae* de quovis genere; *officiales*, i. e. non propter qualitates singulares quorundam Pontificum sed propter eorundem munus ordinarium; denique *publicae* i. e. non solum a privatis, sed a regibus, episcopis, synodis aliisque comitiis factae. De his consultationibus testatur *Hieronimus*:<sup>2)</sup> «Cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum, Romae urbis episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem» etc.

2. *Causae maiores ad Sedem apostolicam delatae*. Testis est *Innocentius I.*:<sup>3)</sup> «Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem apostolicam, sicut synodus statuit et *beata consuetudo exigit*, post iudicium episcopale referantur.»

<sup>1)</sup> Cf. Hurter, thesi 77; Schanz, Apologie des Christentums 3. Teil 2. Aufl. (Freiburg i. Br. 1898) § 13; Grisar, Geschichte Roms und der Päpste, n. 194 ff: Vorrang der Kirche Roms in den ersten Jahrhunderten.

<sup>2)</sup> Ep. 123 ad Aggerruchiam n. 10. — En aliqua exempla: Polycarpus recurrit ad Anicetum in controversia de celebratione Paschatis; causa Corinthiorum inquiritur et deceditur a s. Clemente Pontifice Romano, licet Ioannes Apostolus adhuc viveret; Dionysius ep. alex. consulit Xistum II. de baptismo, Ioannes ep hieros. Anastasium I., episcopi illyrici Coelestinum; martyres lugdunenses currunt ad Eleutherium (a. 177), Cyprianus ad Stephanum, Basilius ad Damasum, Augustinus ad Innocentium.

<sup>3)</sup> Ep. 2 ad Victric. n. 6. Similia habet Leo M., Ep. 5 n. 6 ad metropolitanos Illyrici.

3. *Speciatim appellationes episcoporum ex toto orbe directae ad R. Pontifices: qui eorum causas examinant, ipsos iudices ad suum tribunal citant, et innocentium patrociniū suscipiunt.*<sup>1)</sup>

4. *Approbatio vel reprobatio electionis episcoporum a s. Sede facta; iudicia de episcopis instituta, ac sententiae in reos latae poenaeque iisdem irrogatae.*<sup>2)</sup>

5. *Causae fidei ad Petri cathedram delatae, ubi se purgare debebant ii, quorum doctrina suspecta erat.*<sup>3)</sup>

6. *Damnatio haeresium a R. Pontificibus facta.* Sic Victor damnat Quartodecimanos, Stephanus Rebaptizantes, Zephyrinus Montanistas, Zosimus Pelagianos, Damasus Apollinaristas, Siricius Iovinianum, Coelestinus Nestorianos, Leo M. Eutychianos, Agatho Monotheletas etc.

7. *Conciliorum generalium convocatio, praesidium, approbatio vel cassatio eorundem.* Etiam concilia *provincialia romana*, ut bene observat Grisar,<sup>4)</sup> evidentia exhibent signa primatus Rom. Pontificis; cum ab iis haud raro non solum res italicae, sed etiam causae universalis Ecclesiae atque etiam quaestiones dogmaticae tractarentur ac deciderentur.

8. *Potestas legifera in Ecclesiam universam exercita.* Sic Victor definit modum celebrandi Pascha; Zephyrinus «peremptorium edictum» de disciplina poenitentiae emittit;

<sup>1)</sup> Exempla praeclara habes in appellatione ss. Athanasii et Petri alex., qui «quasi ad tutissimum communionis suae portum Romam confugerant» (Hieron., Ep. 127 n. 5); item in appellatione Chrysostomi ad Innocentium I., Theodoretum et Flaviani a Dioscoro depositorum ad Leonem etc.

<sup>2)</sup> Sic Damasus reprobatur electionem Maximi cynici in episcopum constantinopolitanum; Theodosius imperator petit confirmationem Nectarii et Anatolii; Zosimus papa iudicat de Urso et Tuentio illicite ordinatis, itemque de Herote et Lazaro. Leo M. sententiam fert in Dioscorum alexandrinum, Coelestinus in Nestorium, Felix II. in Acacium.

<sup>3)</sup> Ita Origenes fidei suae rationem reddit apud Fabianum; Dionysius alex. apud Dionysium Pontif. accusatur, seseque defendit. Apud Iulium se purgare nisi sunt Valens et Ursatius; Rufinus aquileiensis apud Anastasium; imo fere omnes haeretici, Montanistae, Ariani, Pelagiani, Priscillianistae, Nestoriani solliciti fuerunt retinendae vel recuperandae communionis cum Sede apostolica.

<sup>4)</sup> L. c. pg. 271.

Stephanus<sup>1)</sup> definit modum procedendi quoad baptismum haereticorum etc.<sup>1)</sup>

388 E. *Argumentum philosophicum* colligitur ex sequentibus reflexionibus.

1. Ecclesia catholica ex probatis est *vera* Ecclesia Christi. Atqui *primatus R. Pontificis* est elementum constitutivum *huius* Ecclesiae, ita ut stante vel labente primatu stet vel labatur Ecclesia catholica. Ergo primatus, aequae ac Ecclesia catholica, divinae institutionis esse debet. Confirmatur, quia ex dictis omnes notae verae Ecclesiae in primatu suum centrum habent (363).

2. Primatus consideratus in sua *natura* est institutio Ecclesiae conservationi sin minus necessaria, certe utilissima; in sua *duratione* et *amplitudine* superat omnia regna mundi, cum nullum tanto tempore duraverit ac tam ample diffusum fuerit, quam principatus R. Pontificum; in suis *fructibus* est sanctissimus, cum ipse paganismum devicerit, haereses detexerit et profligaverit, barbaros subegerit et ubique culturam morum, vitae sanctimoniam veramque generis humani felicitatem promoverit. Consideretur insuper *character Pontificum*, quorum plurimi omnis virtutis splendore, martyrio, scientia eximia aliisque dotibus praeclaris refulserunt; consideretur *character inimicorum* primatus, qui odio plerumque infernali mediisque nefandis illum impugnarunt; consideretur denique *invicta stabilitas* primatus, qui inter tot procellas, ex tanto discrimine rerum semper citius tardius triumphans exivit. Haec qui attente et sine praeiudiciis perpenderit, facile perspiciet, R. Pontificis

---

<sup>1)</sup> Huc referri etiam debet testimonium ex tractatu de aleatoribus, libro nuper reperto, ubi Pontifex (Victor vel Melchiades) scribit: «Magna nobis ob universam fraternitatem cura est . . . et quoniam in nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini sedem caelesti ordinatione ordinavit et originem authentici apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, in superiore nostro portamus, accepta simul potestate solvendi ac ligandi et cum ratione peccata dimittendi: salutari doctrina admonemur, ne, dum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur.» Cf. Hilgenfeld, Libellus de aleatoribus etc. (Friburgi Br. 1889).

primatum non esse opus humanum sed divinum, faterique cogetur: *digitus Dei est hic*.

3. Confirmatur res a contrario. Quodsi enim primatus non est opus divinum, est *usurpatio diabolica*. Annon blasphemum et diabolicum esset, se fundamentum Ecclesiae, clavigerum caeli et vicarium Christi iactare, potestates essentialiter supernaturales et divinas sibi arrogare, toti episcopatui contra ius fasque dominari universamque Ecclesiam ausu intolerabili sibi subiugare? Et hoc fecissent R. Pontifices per 19 saecula, fecissent viri sanctissimi, successu inaudito ipsoque divino numine evidenter et saepe mirabiliter adiuvante. Atqui talis hypothesis perabsurda est. Ergo primatum R. Pontificis opus divinum esse, ipsa sana ratio concludat oportet.

## ARTICULUS II.

### Quo iure Romani Pontifices primatum teneant. Difficultates contra primatum Romanorum Pontificum.

**Thesis 110.** *Romani Pontifices primatum ex Christi institutione ideoque iure divino tenent.* 389

Propositio non quidem explicite definita, utique vero cum dogmate ita connexa est, ut *factum dogmaticum* enuntiet.

1. De fide enim est, ex institutione Christi primatum Petri perennem esse atque in eius successores transire debere. Atqui R. Pontifices sunt successores legitimi b. Petri. Ergo R. Pontifices primatum ex institutione Christi seu ex iure divino tenent. — Hoc argumentum, uti vides, praescindit a quaestione, utrum Petrus ex voluntate divina, an ex electione propria Romae sedem suam fixerit. In utraque hypothesi enim verum est, R. Pontifices esse legitimos successores Petri, atque adeo verum quoque est, eos ex iure divino primatum tenere. Hoc tantum intercedit discrimen, quod in prima hypothesi ius R. Pontificis ad primatum est divinum *absolute* et *antecedenter* ad factum Petri; in secunda hypothesi hoc ius pariter divinum est, sed *consequens* factum Petri.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Bellarm. l. 2 c. 22.

2. Illustratur duobus exemplis: **a.** Ex divina institutione fit, ut panis per consecrationem convertatur in corpus Christi; a sacerdotis tamen arbitrio pendet, ut hic potius panis quam ille consecratur. At semel facta consecratione vere dicimus, ex institutione Christi seu iure divino panem illum factum esse corpus Christi. A pari, qui semel legitime electus est in successorem Petri, iam primatum iure divino tenet; quia ex iure divino primatus in successores Petri transire debet. — **b.** Omnino ad rem est etiam hoc *Palmierii* exemplum:<sup>1)</sup> «Fac fieri legem, quod qui in studiis magis profecerit, munere quodam donetur. Titius antecellit munusque obtinet. Quo iure? Iure legis. At lex Titium non respicit, sed in genere digniorem. Profecto; sed posita conditione, quae in solo Titio reperitur, illud ius, quod lege digniori concedebatur, totum penes Titium eumque solum existit. Iam vero lata est lex divina: Petro in primatu succedere quis semper debet, sive aliquis semper primatum collatum primo b. Petro gerere debet; quis vero ex tot, qui possent, actu succedat, determinatum est facto originali Petri; conditioni proinde satisfacit solus R. episcopus: illud ergo divinum ius successionis in R. episcopo eoque solo reperitur.»

390 **Thesis 111.** *Ipsa connexio primatus cum sede romana*  
*α) absolute insolubilis est; β) sive ea ex iure stricte divino,*  
*sive ex iure divino-ecclesiastico derivetur.*

Pro meliore intelligentia probationi propositionis varias in hac re sententias praemittere iuvat. — **a.** Prima tenet, Petrum ex ordinatione divina iunxisse primatum sedi romanae, ideoque Rom. episcopum *iure divino* Petro succedere, ita ut primatus nulla potestate a sede romana separari queat. Hanc tenent *Melchior Canus*,<sup>2)</sup> *Gregorius de Valentia*,<sup>3)</sup> *Mazzella*,<sup>4)</sup> *Palmieri*.<sup>5)</sup> — **b.** Secunda sententia tenet, primatum adnexum esse sedi romanae *iure ecclesiastico* ideoque iustis de causis alio transferri posse a

1) De Rom. Pont. pg. 334; cf. Mazzella n. 909.

2) De locis theol. l. 6 c. 8. ad 10.

3) Analys. fid. l. 7 c. 12.

4) De Eccl. n. 941 sqq.

5) De Rom. Pontif. pg. 343 sqq.

summo Pontifice, qui eadem, qua Petrus, uniendi vel segregandi gaudet potestate. Ita *Soto*, *Bannez* alique. — c. Tertia sententia docet, unionem primatus cum sede romana esse ex *iure mixto*, seu *divino-ecclesiastico*. Petrus quidem, inquiunt, proprio arbitrio Romam pro sede permanente elegit; at posito hoc facto primatus cum episcopatu romano ita unitus et quasi identificatus est, ut nemo amplius illos separare valeat, ac proinde successio in episcopatu necessario importet successionem in primatu. Ita *Perrone*.<sup>1)</sup> — d. His addi potest quarta sententia *Febronii*, quae docet, auctoritate alicuius concilii independenter a Papa primatum in aliam sedem transferri posse. — Quaeritur iam, quaenam ex praefatis sententiis vera sit.

*Respondeo*: Omittimus imprimis ultimam, quae non solum falsa, sed haeretica est, quippe quae supponat, primatum non immediate Petro eiusque successoribus, sed Ecclesiae et per hanc R. episcopo traditum esse. Haec sententia iterum damnata fuit in «Syllabo» (prop. 35): «Nihil vetat, alicuius concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum pontificatum ab Rom. episcopo atque urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri.»<sup>2)</sup> Omittimus etiam secundam sententiam, quae a Gregorio de Valentia (l. c.) *singularis* et *minus tuta* declaratur; licet nunquam damnata fuerit.

Dicimus ergo, unionem primatus cum sede romana absolute insolubilem esse; sive haec insolubilitas iuxta primam sententiam ex iure stricte *divino*, sive ea iuxta tertiam opinionem ex iure *mixto* derivetur. Itaque:

**A. Connexio primatus cum sede romana absolute indissolubilis est.**<sup>3)</sup> Probatur:

1. Iam *Lugdunense* II. et *Florentinum* (allegata 376) definierunt, «Ecclesiam romanam primatum super universam Ecclesiam obtinere»; et «Pontificem Romanum suc-

<sup>1)</sup> De Rom. Pontif. prop. 3.

<sup>2)</sup> Denzinger 1735.

<sup>3)</sup> Cf. Hollweck, Der apostolische Stuhl und Rom (Mainz 1895). Auctor hanc quaestionem historice, critice et theologicè tractat, eamque docte ac solide solvit. Cf. etiam meum articulum in «Priester-Konferenzblatt» (Brixen) 1896 S. 10 ff 45 ff 75 ff.

cessorem esse b. Petri principis Apostolorum». Iuxta conc. *Vaticanum* (Const. de Eccl. cap. 2) Petrus «ad hoc usque tempus *et semper* in suis successoribus *episcopis s. romanae sedis ab ipso fundatae*.... vivit et praesidet et iudicium exercet. *Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit*, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet». Et can. 2: «Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi institutione seu iure divino, ut b. Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem primatu successorem: anathema sit.»<sup>1)</sup> — Quo posito, ita arguo: Ex praefatis definitionibus *credi* debet, Romanum Pontificem esse successorem b. Petri in primatu totius Ecclesiae. Posita autem translatione sedis primatialis in aliam urbem hoc *credi* amplius nec deberet nec posset, falsaque evaderet definitio conciliorum.<sup>2)</sup> Ergo primatus Romae insolubiliter affixus est.

<sup>1)</sup> Denzinger 1824. 1825.

<sup>2)</sup> Dices: Concilia *factum* tantum, non vero *necessitatem* primatus romani definiunt («*obtinere*», non *obtinere debet*; «*est successor*», non *esse debet*). Definitio ergo non est absoluta, sed *conditionata*, tamdiu videlicet Romanus Pontifex erit Petri successor in primatu, donec eum legitima auctoritas in alium locum transtulerit. — Resp. α) Concilia non tantum de facto praeterito aut praesente; sed de facto semper valituro loquuntur: «ad hoc usque tempus *et semper*» (conc. Vatic.). β) Directe quidem de facto successionis loquuntur, sed indirecte *ius* seu *necessitatem* huius successionis adsignificant. Quaestio enim non erat de facto, sed de iure, non quis fuerit, sed quis esse debeat primas Ecclesiae; agebatur nimirum de norma aliqua obvia et semper valitura, qua vera Ecclesia eiusque caput facile cognosci valeret. γ) Falsum est, concilia *conditionate* loqui, cum ne vestigium quidem conditionis in eorum definitionibus appareat; sed absolute omnes pronuntientur. — Quaeres: Num ergo dogma est, primatum iure divino affixum esse sedi romanae? Respondeo cum *Franzelin* (De Eccles. pg. 209 sq) et *Palmieri* (De Rom. Pontif. p. 1 l. 2 thes. 8), hanc veritatem non quidem expresse a conciliis ut dogma definitam, utique vero tamquam sententiam theologicę *certam* in iisdem contentam esse. Id colligitur etiam ex actis concilii (cf. Coll. Lacens. pg. 366). Patres enim, ne theologos aliter sentientes damnare viderentur, ex schemate canonis: «Si quis dixerit, R. Pontificem non esse iure divino Petri in eodem primatu successorem», expunxerunt verba «iure divino». Simul tamen canonem talem formam dederunt, ut mens concilii de inseparabilitate pri-

2. Etiam Patres simpliciter et absolute primatum Romani Pontificis exhibent ut centrum unitatis, ut regulam fidei notamque verae Ecclesiae, quin vel levissimum dubium de translatione primatus in aliam sedem aliquando futura vel saltem possibili insinuent (363. 386).

3. Pontifices non solum primatum numquam in aliam sedem, gravissimis licet urgentibus causis, transferre tentarunt: sed expresse eius insolubilitatem proclamaverunt eamque ex «*divinis praeordinationibus*» derivarunt, ut *Leo M.*<sup>1)</sup> loquitur. Iuxta *Gelasium*<sup>2)</sup> Christus Petrum «dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, . . . ita sanguinis gloriosa effusione decoratus *aeterno hospitio* conquiescit praestans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus». Teste *Agathone*<sup>3)</sup> sedes romana est «verae fidei regula . . . quae ab exordio fidei *illibata fine tenus* permanet secundum ipsius Domini salvatoris divinam pollicitationem». *Nicolaus I.* scribit:<sup>4)</sup> «*Privilegia istius sedis vel ecclesiae (romanae) perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt.*» In decretalibus<sup>5)</sup> saepius recurrit, quod «Romana ecclesia est omnium ecclesiarum *disponente Domino* mater et magistra». *Bonifat. VIII.* dicit:<sup>6)</sup> «Sacrosanctae romanae Ecclesiae, quam inperscrutabilis divinae providentiae altitudo universis *dispositione incommutabili* praetulit ecclesiis» etc. Similia *Nicolaus III.*, *Gregorius XII.*, *Iulius II.* aliique Pontifices usque ad *Leonem XIII.* protestati sunt.<sup>7)</sup>

matus a sede romana clare appareret: «Sufficienter, inquit relator, provisum est etiam huic sententiae piae sic, et in quantum fieri poterat, tum in canone correspondente» l. c. Cf. Granderath, Constit. dogmat. ss. conc. Vatic. (Friburgi Br. 1892) pg. 137 sqq.

<sup>1)</sup> Ep. 209.

<sup>2)</sup> Ep. 14.

<sup>3)</sup> Ep. 1 ad Constantinum.

<sup>4)</sup> Ep. 86.

<sup>5)</sup> Cap. 1, X, 1, 3 (Alexand. III.); cap. 23, X, 4, 1 (Innoc. III.).

<sup>6)</sup> Bulla «Unam sanctam».

<sup>7)</sup> Apud Hollweck pg. 146—173. — *Leo XIII.*, Ep. ad Card. Rampolla 15. Iun. 1887 (Acta, Brugis 1887, vol. 2 pg. 282): «Non senza speciale disposizione a quella metropoli del mondo pagano,

4. Accedunt rationes theologicae minime spernendae.  $\alpha$ ) Primatus enim institutus est propter unitatem Ecclesiae. At hic finis certe melius obtinetur, si primatus determinatae sedi immobiliter affixus sit, quam si ab una in aliam transferatur; quo in casu facile schismatibus aditus praeberetur.<sup>1)</sup> —  $\beta$ ) Si primatus in aliam urbem, puta Neapolim, Parisios transferretur, catholica Ecclesia iam non esset *romana-catholica*, sed *neapolitana*- vel *parisiensis-catholica*. Atqui hoc auribus catholicis prorsus intolerabile est. Quis non videt, perplexitates et perturbationes prope infinitas in orbe catholico ex translatione primatus necessario orituras fore? —  $\gamma$ ) Ex facto non interrupto 19 saeculorum. «Mansit Romae, inquit *Bellarminus*,<sup>2)</sup> sedes apostolica non obstantibus infinitis persecutionibus et occasionibus recedendi.» Tales occasiones fuerunt imprimis persecutiones imperatorum, irruptiones barbarorum, translatio imperii in urbem Constantinopolim, seditiones intestinae saeculo 9. et 10., residentia per 70 annos Avenione continuata etc. Ex hoc facto *duo* elucent: Primo providentia divina certe singularis, sine qua hoc factum vix ac ne vix quidem explicari potest. Secundo persuasio universalis de immobilitate sedis romanae, cum alioquin certe vel ipsi Pontifices, vel imperatores vel generatim hostes urbis Romae primatum in aliam urbem transtulissent vel transferre tentassent.

**B.** *Connexio absolute indissolubilis primatus cum episcopatu romano nonnisi ex iure divino derivari potest.*

Propositio liquet. Qua potestate enim aliquid ligatur, eadem etiam solvi potest. Si ergo potestas aliqua humana primatum colligavit cum sede romana, eadem quoque potestas hunc nexum solvere ac primatum in alium locum

---

rivolse i passi il Principe degli Apostoli s. Pietro, per divenire il Pastore e trasmetterle *in perpetuo* l'autorità del supremo Apostolato. Per tal guisa le sorti di Roma furono legate *di una maniera sacra ed indissolubile* a quelle del Vicario di Gesù Christo.»

<sup>1)</sup> S. Thomas etiam rationem assignat, cur Roma electa fuerit: «Ut suam potestatem (Christus) magis ostenderet, in ipsa Roma, quae caput mundi erat, etiam caput Ecclesiae suae statuit in signum perfectae victoriae, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum.» Sum. p. 3 q. 35 a. 7 ad 3; cf. De regim. princ. l. 1 c. 14.

<sup>2)</sup> De R. Pontif. l. 4 c. 4.

transferre poterit. Atqui nexus praedictus ex demonstratis est absolute indissolubilis. Ergo nonnisi ex iure divino oriri potuit. — Sed qua ratione hoc factum est? Resp.

1. Probabile est, Petrum *ex positiva et expressa ordinatione Christi* sedem primatiale Romae fixisse. Ita *Palmieri, Mazzella, Hollweck* etc. Id deducunt ex testimoniis iam allatis, quae factum Petri non eius voluntati, sed «praeordinationibus divinis, supernae dispositioni» etc. tribuunt.<sup>1)</sup> Vel putant, absolutam inseparabilitatem primatus ab episcopatu romano absque positivo mandato divino explicari et salvari non posse.<sup>2)</sup> — Dico tamen:

2. *Etiam si positiva ordinatio Christi probari non posset, sola definitiva electio urbis Romae a Petro facta sufficiens fuit ad fundandum ius immutabile huius urbis in primatum Ecclesiae.*

Ita *Benedictus XIV.*,<sup>3)</sup> *Gerdil, Zacharia, Perrone.*<sup>4)</sup> Profecto, a) nemo primas Ecclesiae esse potest, nisi legitimus successor b. Petri, cui Dominus primatum contulit. Postquam autem Petrus sedem episcopalem definitive Romae fixit ibique mortuus est, iam nemo alius est vel esse potest legitimus successor Petri, quam episcopus romanus. Merito ergo dicit Perrone, successorem Petri in episcopatu romano eidem „*iure naturali successionis*“ necessario

<sup>1)</sup> Provocant etiam ad Is. 26, 5 sqq; Deut. 17, 8 sqq; Act. 15, 7; II Ioan. ad Electam Dominam; nec non ad apparitionem Christi factam Petro fugienti (Domine quo vadis?), apud s. Ambrosium contr. Auxent. n. 13.

<sup>2)</sup> Hoc modo Hollweck positivam ordinationem divinam *indirecte* probat, directa argumentatione reiecta (pg. 122 sqq).

<sup>3)</sup> De synodo dioec. l. 11 c. 1: «Cum Petrus suam sedem Romae fixerit, per annos 25 retinuerit et in ea martyrio coronatus gloriose obierit, sive id evenerit ex divino praecepto seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex sola voluntate Petri, licet divinitus inspirata: inde factum est, ut supremi pontificatus praerogativa ita insita remanserit romanae sedi, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Ecclesiae primatu, Petro eiusque legitimis successoribus a Christo collato . . . posito, quod Petrus suam sedem stabiliter Romae collocaverit et romanam regens ecclesiam obierit, nullus, qui episcopus romanus non sit, potest dici verus Petri successor.»

<sup>4)</sup> Praelect. theol., de locis theol. n. 571.

etiam in primatu totius Ecclesiae succedere debere. Quemadmodum ergo in arbitrio quidem sacerdotis positum est, hanc vel illam hostiam consecrare, at consecratione facta, talis hostia iure divino corpus Christi continet, neque ab ullo sacerdote consecratio auferri potest: ita primatus Ecclesiae, licet Petrus eum in hac vel illa urbe figere potuisset, postquam tamen semel definitive Romam elegerat, a nullo homine inde auferri potest, sed primatus iure divino et indissolubili ibi permanere debet. —  $\beta$ ) Duplex in Apostolis fuit potestas: ordinaria seu episcopalis regendi Ecclesiam, et extraordinaria seu fundandi Ecclesiam. Illa in successores transiit, haec minime. Similiter etiam b. Petrus praeter potestatem primatiam regendi totam Ecclesiam ut caput supremum, quae, cum sit ordinaria, in successores transire debuit, etiam extraordinariam potestatem habuit, fundandi Ecclesiam et quidem modo ipsi omnino singulari, scilicet ut esset petra et lapis angularis (utique dependenter a Christo). Vi huius potestatis *extraordinariae* Romae sedem primatiam *definitive* fixit; nec proinde in potestate successorum eius positum est, ut lapidem fundamentalem Ecclesiae amoveant.

**Obiectio.** Aliud est primatus Ecclesiae, aliud episcopatus romanus. Sicut ergo ex eo, quod defunctus archiepiscopus mediolanensis simul abbas fuit, non sequitur, eius successorem in episcopatu etiam in abbazia succedere debere: ita etiam non sequitur, successorem Petri in episcopatu romano eidem in primatu Ecclesiae succedere.

*Resp.* Nego paritatem. Episcopatus enim et abbazia sunt diversae rationis, episcopatus vero et primatus sunt eiusdem rationis; quia uterque est potestas episcopalis, cum hoc solum discrimine, quod primatus potestatem habet supremam et universalem Ecclesiae, reliqui episcopatus vero partialem et dependentem. Manifestum autem est, quod potestas in uno subiecto circa idem obiectum non potest simul esse dependens et independens seu suprema. Quare Petrus etiam *qua episcopus romanus* habuit potestatem supremam seu primatiam, ideoque eius successor in sede episcopali romana necessario simul est successor in primatu. Abbazia vero non involvit potestatem episcopalem, ideoque

successor abbatis, qui fuit episcopus, non debet et ipse esse episcopus; nec successor episcopi, qui abbas fuit, abbas esse debet.<sup>1)</sup>

**Thesis 112.** *Irrito conatu adversarii primum Romani Pontificis negare vel saltem extenuare, ac causis naturalibus explicare contendunt.* 391

**A.** Primum negare vel saltem extenuare conantur eius oses ob has potissimum rationes: 1. Quia Patres saepe potestatem episcopalem aequiparant potestati R. Pontificis. 2. Quia Cyprianus, Firmilianus alique saepe de R. Pontificum tyrannide conqueruntur eosque praesumptionis accusant, eo quod alios episcopos iudicare audeant. 3. Quia initio Ecclesiae vix vestigium primatus deprehenditur. 4. Quia saepe non solum imperatores, sed etiam episcopi et integri populi dominationi R. Pontificum sese opposuerunt. — At hae rationes nullae sunt.

Nam ad 1. Patres utique dicunt, episcopos et R. Pontificem habere aequalem potestatem *ordinis et iurisdictionis quoad substantiam*, sed non quoad gradum et extensionem. Unanimis potius est Patrum doctrina, episcopos singulos *singulas* regere ecclesias et *dependenter* a R. Pontifice; hunc vero totius Ecclesiae ipsorumque episcoporum esse pastorem. Si quandoque etiam episcopis totius Ecclesiae curam attribuunt, id intelligunt vel de cura ex *caritate* suscepta, vel loquuntur de episcopatu *collective* in unione cum R. Pontifice sumpto.

Ad 2. Querelae de R. Pontificum praesumptione  $\alpha$ ) non tam frequentes sunt, ut adversarii fingunt.  $\beta$ ) Nec semper ex pacato, sed ex irato quandoque animo prodierunt; quemadmodum Augustinus de nonnullis verbis contumeliosis Cypriani contra Stephanum papam dicit, quod ea «irritatus

<sup>1)</sup> Notatu digna est etiam observatio Card. Franzelin (Theses de Eccl. Chr. pg. 212, cf. pg. 205), quod Petrus quidem ipse primum sedi R. adiunxerit, sed tali supernaturali assistentia et directione ductus, ut eum ne ipse quidem a sede romana solvere potuerit, «non quidem ex defectu potestatis per se et absolute spectatae, sed ex privilegio indefectibilitatis apostolicae in sequenda divina directione, praesertim quoad huiusmodi magnas totam Ecclesiam eiusque ipsum visibile fundamentum concernentes institutiones, quantumvis supponantur non immediate divini sed apostolici dumtaxat iuris».

effudit»,<sup>1)</sup> ea tamen falce martyrii purgavit. γ) Illae non tam contra primatum ipsum, quam contra *exercitium potestatis* primatialis diriguntur. Cyprianus nominatim primatum R. Pontificis saepe agnoscit et expresse adserit (386).<sup>2)</sup>

Ad 3. Hoc ex natura rei et ex temporum adiunctis facile explicatur ac plus minus in reliquis etiam dogmatibus contingit. Irrideretur profecto, qui assereret, reges antiquorum populorum regia caruisse auctoritate, eo quod antiquitas de huius potestatis exercitio persaepe sileat. Sane quid mirum, si non adeo multa et splendida testimonia de primatu R. Pontificis ex prima illa aera christiana proferri possunt, ubi Ecclesia adhuc vitam quasi absconditam agere debuit? Ceterum sufficientia testimonia etiam ex primis saeculis prostant (386).<sup>3)</sup>

Ad 4. Ex oppositione contra aliquam institutionem nondum concludere licet, talem institutionem legitimam non esse. Nonne in regnis etiam civilibus contingit, ut populi quandoque regibus resistant vel etiam in apertam rebellionem prorumpant? A pari nec ex oppositione in Ecclesia contra primatum R. Pontificis nonnunquam excitata quidquam contra divinam eius institutionem concludere licet.

392 B. *Frustra etiam primatus ex adiunctis externis, vel iure mere ecclesiastico, vel ex decretalibus pseudo-isidorianis repetitur.*

Dicunt videlicet: 1. Ecclesiae rom. praeeminentia satis explicatur ex adiunctis externis; scilicet ex celebritate urbis, ex origine apostolica, ex fidelium multitudine et caritate eximia, ex puritate eius fidei, ex decretis imperatorum et ex versutia et ambitione Pontificum.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> De bapt. l. 5 c. 25.

<sup>2)</sup> Cf. Grisar l. c. n. 269. — De quaestione hoc tempore multum agitata, quae sit vera doctrina Cypriani de primatu, vide Ernst, Cyprian und das Papsttum (Mainz 1912).

<sup>3)</sup> Cf. Grisar l. c. n. 211.

<sup>4)</sup> Simili modo hisce diebus etiam Schnitzer (l. c.) et Hugo Koch (Cyprian und der röm. Primat, Leipzig 1910) originem primatus Rom. Pontificis explicare conantur. — Cf. Decr. «Lamentabili» error 56: Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium ecclesiarum effecta est (Denzinger 2056).

Resp. **a.** Imprimis non quaeritur, per quas causas primatus explicari *possit*, sed quaenam eius causa revera *sit*. Probavimus autem ex Scriptura, primatum a Christo institutum fuisse. Probavimus insuper, in Ecclesia divinam primatus institutionem semper agnitam et creditam fuisse. Ergo, etiamsi causae allatae *factum* primatus explicarent, non explicarent *dogma* seu fidem universalem Ecclesiae in hoc dogma.

**b.** Sed neque *factum* explicant. Plura enim ex adiunctis ab adversariis allatis etiam in aliis urbibus, puta Hierosolymis, Antiochiae etc. verificabantur, e. g. origo apostolica, multitudo fidelium etc. Praesertim nova Roma (Constantinopolis) antiquam, translato imperio civili, splendore longe antecellebat. Imperatores primatum romanum non extollere, sed paucis exceptis eum deprimere conabantur. Iniuste quoque Pontifices, quorum plurimi viri sanctissimi et martyres fuerunt, astutiae et dominandi libidinis accusantur. E contra notum est, quanta ambitione et versutia patriarchae constantinopolitani sua iura amplificare conabantur.

Dicunt **2.** Primatus R. Pontificis ex privilegiis conciliorum, praesertim *Chalcedonensis* repetendus est. Hoc enim expresse statuit, eadem privilegia patriarchae novae Romae tribuenda esse, quae 150 patres concilii Constantinop. I. throno episcopali antiquae Romae tribuerant.<sup>1)</sup> Similia iam in conciliis *Nicaeno* I. (can. 6) et in *Sardicensi* reperiuntur.

Resp. **α)** Canon concilii *Chalced.* non fuit approbatus a Leone M., immo expresse reprobatus; unde non habet auctoritatem concilii oecumenici. Sed **β)** data etiam, licet non

---

<sup>1)</sup> In can. 28 ita legitur (ap. Harduin. t. 2 pg. 612): «Sanctorum patrum decreta ubique sequentes et canonem, qui nuper lectus, centum et quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum agnoscetes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis sanctissimae ecclesiae Constantinopolis novae Romae. Etenim antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, iure patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes urbem, quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus ac illam extolli et magnificari, secundam post illam existentem.»

concessa hac auctoritate, eius sensus non tam clarus est, ut negatio. primatus R. Pontificis certe ex eo deducatur; praesertim cum patres Chalcedonenses ipso facto tam diserte primatum Leonis M. agnoverint (386). Canon chalcedonensis igitur non de primatu in universam Ecclesiam, sed de iuribus patriarchalibus agit ac similia iura novae Romae i. e. Constantinopoli *tribuit*, quae antiqua Roma iam habuit, non ex decretis conciliorum, sed ex primatu divinitus concessio.<sup>1)</sup> «Privilegia, scribit Nicolaus I. ad Michaellem imperatorem,<sup>2)</sup> huic s. ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata sed iam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit; licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per b. Petrum et in b. Petro simus adepti.»

3. Dicunt, primatum pontificium seu systema papale (ut aiunt) ex collectione decretalium pseudo-isidoriana ortum habuisse.

Respondeo, hoc omnino falsum esse. Sane collectio canonum sub nomine *Isidori Mercatoris* prodiit saec. 9. De loco originis et auctore usque ad hodiernum diem inter doctos non constat. Falsitatis arguuntur praecipue decretales a Clemente usque ad Melchiam (in 1. parte collectionis), et quaedam aliae (in 3. parte), in quibus affirmatur, R. Pontificem esse episcopum Ecclesiae universalis, causas maiores ad Sedem apostolicam referendas esse, concilia ab eo convocanda esse etc. — Atqui a. collectio isidoriana ante omnia confecta non est in Italia aut iussu Pontificum, neque ex intentione iisdem adulandi, sed, ut auctor in praefatione dicit, «quatenus ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta et sancti praesules paternis instituantur regulis et obediens Ecclesiae ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis, et non malorum hominum pravitatibus decipiantur» etc. — b. Verum equidem est, plures in hac collectione partes apocryphas reperiri. At illae

<sup>1)</sup> Cf. Groot, Summa apologet. q. 15 a. 4 obi. 3 (ed. 3); Hollweck l. c. pg. 5 sq.

<sup>2)</sup> Harduin t. 5 pg. 162. Similia leguntur in conc. Rom. a. 496 sub Gelasio I. ap. Hard. t. 2 pg. 938. Cf. Franzelin, De Eccl. Chr. pg. 199.

non sunt purae fictiones, neque doctrinam falsam continent, sed circa tempus dumtaxat, auctorem aut formam errant. Ex decretis enim, quae in hac collectione continentur, nonnulla sunt vera decreta Pontificum aut conciliorum, sed ex temporibus posterioribus, quam Pseudo-Isidorus assignat; alia quoad formam quidem conficta, quoad materiam vero ex scriptis Patrum aliisque fontibus puris desumpta sunt. — c. Disciplina ecclesiastica per hanc collectionem nec mutata fuit nec mutari potuit. Quis enim sibi persuadebit, quod iura illa monarchica R. Pontificum in illa collectione adserta, statim nemine reclamante ab universa Ecclesia acceptata fuissent, si illa iura non iam prius viguissent, sed de novo homo ignotus ea confinxisset? Talis hypothesis repugnat ipsi principio rationis sufficientis.<sup>1)</sup>

**Scholion.** Titulus *Papa* (πάππας, πατήρ) primis saeculis aerae christianae communis fuit omnibus episcopis. Apud *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Augustinum* hoc nomen episcopis passim tribuitur; saeculo tamen 6. illud R. Pontifici ad designandum eius munus reservari coepit. Imperator *Constantinus Pogonatus* R. Pontificem appellavit *papam universalem* (οἰκουμενικὸς πάππας). Synodus *papiensis* (a. 989) coercuit audaciam archiepiscopi mediolanensis, nomen *papa* sibi arrogantis. In synodo *rhemensi* (a. 1049) Pontifici titulus apostolicus tribuitur et reservatur.<sup>2)</sup> 393

### CAPUT III.

#### De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

Hanc primatus vim et rationem accuratissime exponit et definit conc. *Vaticanum* (cap. 3)<sup>3)</sup>. Innovata enim definitione conc. *Florentini*, qua R. Pontifici «in b. Petro pas- cendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse»<sup>4)</sup> docetur, s. sy- 394

<sup>1)</sup> Cf. Sägmüller, Lehrbuch des Kirchenrechts, 3. Aufl. I (Freiburg i. Br. 1914) § 39; Aichner, Compend. iur. eccl. § 14, 3; Palmieri, De Rom. Pontif. th. 20.

<sup>2)</sup> Cf. Schanz l. c. S. 465 f; Hefele, Conciliengeschichte Bd 3, S. 250, Bd 4 S. 653.

<sup>3)</sup> Denzinger 1826—1831.

<sup>4)</sup> Ibid. 694.

nodus hanc generalem *plenitudinem potestatis* enucleat eiusque naturam, extensionem, obiectum ac relationem ad episcopos, principes, concilia omnesque fideles exponit et definit. Ut vero sensus definitionis vaticanae probe intelligatur, cognoscere oportet errores, quos concilium damnare intendit. Sunt nimirum illi errores, qui inde a magno schismate occidentali serpere coeperunt, quique communi nomine *systematis episcopalis* veniunt, atque a *Richerianis, Ianse-  
nistis, Gallicanis, Febronianis, Regalistis* aliisque *Pseudo-  
catholicis*, sub diversis licet formis, ad nostra usque tempora defenduntur. Systematis episcopalis summa haec est:

a. Suprema potestas ecclesiastica eiusque plenitudo residet in *episcopatu*, cuius unusquisque episcopus portionem habet. Etiam R. Pontifex non habet episcopatum universalem, sed dumtaxat eius partem, scilicet episcopatum ecclesiae romanae. — b. Sed habet insuper *primatum* in universam Ecclesiam, qui quoad suam naturam non est potestas iurisdictionis, sed merum officium *inspectionis et directionis* ad instar muneris *metropolitani*. Quemadmodum enim metropolitae in dioecesibus suffraganeorum non habent iurisdictionem episcopalem, ibique nec sacerdotes ordinare vel approbare, nec fideles pascere possunt, sed tantummodo negligentiam suffraganeorum supplere vel non recte ab iis acta corrigere valent et debent: ita et non amplius Papa quoad universam Ecclesiam. — c. Hinc eius potestas nec immediata nec ordinaria, sed *mediata* tantum, *delegata* atque *extraordinaria*<sup>1)</sup> est. Sicut enim metropolita nonnisi in casibus extraordinariis a iure determinatis et mediantibus episcopis, quos ad rite fungendum munere suo movet, ecclesiarum suffraganeorum curam habet: ita etiam potestas primatus R. Pontificis quoad totam Ecclesiam concipienda est. — d. Quapropter Papa habet quidem sollicitudinem et inspectionem universae Ecclesiae, eius potestas aliquo modo

---

<sup>1)</sup> Nonnulli dicunt, primatum immediate Ecclesiae, et per Ecclesiam Papae collatum fuisse, unde potestas Pontificis iuxta ipsos est mere *delegata*. Alii concedunt quidem, primatum immediate Pontifici collatum fuisse et hoc sensu eius potestatem *ordinariam* i. e. ex eius munere promanantem concipiunt; ast sub alio respectu eam *extraordinariam* dicunt, quia nonnisi pro casibus extraordinariis valet.

est suprema, ideoque Papa caput Ecclesiae dici potest, eo quod singulis episcopis superior est. At *plenitudinem potestatis supremae* scilicet episcopalis non possidet, sed haec est in episcopatu collective sumpto seu in legitimo eius repraesentante, nimirum in concilio universali. — e. Exinde ulterius deducunt, concilium esse supra Papam semperque a iudicio Papae ad concilium appellari posse; praeterea fideles non teneri ad *obedientiam* erga Pontificem, quippe qui non habeat iurisdictionem immediatam in ipsos; proinde unionem cum Papa ad solam fidem seu ad unionem *dogmaticam*, ut aiunt, restringi. — f. Denique cum systemate episcopali etiam alius error perniciosus circa naturam potestatis ecclesiasticae et circa regimen Ecclesiae coniunctus esse solet. Ecclesiae potestatem enim unice restringunt ad res fidei et morum, eamque a scientia naturali et a potestate civili dependere contendunt.<sup>1)</sup>

Omnes hos perniciosissimos errores concilium singillatim proscribit<sup>2)</sup> doctrinamque catholicam de vi et ratione

<sup>1)</sup> Theoria perniciosissima systematis episcopalis eiusque relatio ad doctrinam conc. Vaticani de vi et ratione primatus luculenter apparet tum ex adnotationibus commiss. theol. consult. in 1. schem. const. de Eccl. (coll. Lacens. pg. 614—622), tum ex relationibus de emendat. c. 3. Friderici Zinelli ep. Tarvisini (ib. pg. 346—371).

<sup>2)</sup> En verba: «Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. — Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus

primatus concludit hoc canone: „*Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles: anathema sit.*“ — Doctrinam enuntiatam iam: α) probamus, β) vindicamus.

## ARTICULUS I.

### Plenitudo potestatis Romani Pontificis demonstratur.

395 **Thesis 113.** *Primatus Romani Pontificis α) quoad naturam non tantum consistit in officio inspectionis vel directionis, sed in potestate iurisdictionis; β) quoad qualitatem est potestas episcopalis, ordinaria et immediata; γ) quoad*

sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII ep. XXX). — Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendat, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur. — Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium (Pii P. VI. Breve, „Super soliditate“ d. 28. Nov. 1786), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri (Concil. oecum. Lugdun. II.); Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio (Ep. Nicolai I. ad Michaellem imperatorem). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. — Si quis itaque dixerit etc.» (Denzinger 1827—31).

*intensitatem totam plenitudinem supremae potestatis ecclesiasticae, non tantum potiores partes complectitur; δ) quoad obiectum non solum ad fidem et mores, sed etiam ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinet; ε) quoad extensionem denique pastores et fideles, tam seorsum singulos quam simul omnes, ad hierarchicam subordinationem veramque obedientiam obstringit. ζ) Papa ergo est supra concilium, neque a Papa ad concilium appellare licet.*

A. Probatur ex iisdem locis classicis Scripturae, quibus institutionem primatus demonstravimus (371). Et quidem:

1. *Ad hominem.* Adversarii enim ideo supremam potestatem adscribunt Ecclesiae et non Papae, quia fingunt, Christum claves immediate Ecclesiae dedisse non Petro. Ex demonstratis autem Christus directe Petro, non vero Ecclesiae claves contulit. Ergo etiam suprema potestas in capite, et non in corpore residet. — Item: Patroni systematis episcopalis toti episcopatus supremam potestatem vindicant eo, quod episcopatus collegio Apostolorum succedat. At quod Apostolorum collegium a Christo accepit, id omne Petrus solus accepit, et amplius. Ipse solus enim constituitur fundamentum, claviger et pastor universae Ecclesiae. Eadem ergo est relatio Pontificis ad episcopatum, sicut Petri ad Apostolos.

2. *Positive et singillatim.* Potestas Papae: a. *est iurisdictionis*, non merae inspectionis ex alibi probatis (371).

b. *Est potestas episcopalis.* Episcopi enim debent *pascere* et *regere* gregem sibi commissum.<sup>1)</sup> Sed Petrus accepit munus pascendi et regendi universam Ecclesiam. Ergo habet episcopatum super universam Ecclesiam. — *Est potestas ordinaria*, quia profluit ex ipso munere pastoris totius gregis Christi. Hoc munus autem Pontifex non ab Ecclesia, sed in Petro a Christo accipit, nec in casibus tantum extraordinariis, sed semper exercere debet; pastor enim semper oves pascere tenetur. Ergo etiam potestas ordinaria sit oportet. — *Est potestas immediata*, non quasi Pontifex per se

<sup>1)</sup> Act. 20, 28: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere* (ποιμαίνειν) *Ecclesiam Dei.* Ipse Christus appellatur *pastor et episcopus animarum nostrarum* (1 Petr. 2, 25; 5, 2; Hebr. 13, 20).

omnia facere debeat; sed quia eius potestas omnes fideles immediate tangit, eamque Pontifex mediis a se libere electis exercet.

c. Est potestas *suprema* non tantum in sensu adversariorum, sicut potestas metropolitana; sed quia plenitudinem iurisdictionis complectitur. Sequitur ex probatis (305. 371. 384) et iam a concilio *Lugdunensi* II. expresse docetur: «Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et *plenum primatum* et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Rom. Pontifex est successor, cum *potestatis plenitudine* recepissem veraciter et humiliter recognoscit.»<sup>1)</sup>

d. Est potestas, ad cuius obiectum non solum res *fidei et morum* pertinent, sed etiam *disciplina* et *regimen Ecclesiae*. Primatus etenim institutus est in bonum Ecclesiae et nominatim ad conservandam unitatem. At bonum Ecclesiae postulat etiam unitatem et sanctitatem disciplinae universalis, postulat commune et firmum regimen efficacemque defensionem ab innumeris hostibus et periculis. Ergo potestas primatus etiam ad disciplinam et regimen Ecclesiae se extendere debet.

e. Est potestas *universalis*, simplices fideles et pastores singillatim et collective sumptos obligans. *Fundamentum* enim totam domum et singulas eius partes, tam magnas quam parvas, sustentat; *pastor*, cui omnes oves et agni Christi concrediti sunt, totum gregem aequae ac singulas oves pascere potest et debet, eique omnes subesse et obedire tenentur.<sup>2)</sup>

f. Ex hac denique potestatis plenitudine ultro consequitur, Pontificem esse supra concilium; illicitum esse ab eius iudiciis ad concilium tamquam ad potestatem superiorem appellare; iniustum quoque esse, communicationem Pontificis cum pastoribus et gregibus impedire vel eius decreta potestatis saecularis placito subiicere. Sed de hoc puncto in sequente capite paulo fusius.

396 **B. Ex traditione.** 1. Imprimis omnia antiquitatis docu-

<sup>1)</sup> Denzinger 466.

<sup>2)</sup> Cf. Leo XIII. Encycl. de unit. Eccl. pg. 76 sq (ed. Friburg.).

menta, quibus primatus existentiam in apostolica Sede demonstravimus (386 sq), etiam eiusdem primatus vim et rationem patefaciunt. Ex dictis enim Pontifices causas maiores ad suum tribunal revocarunt easque definierunt; decreta circa disciplinam et negotia ecclesiastica omnis generis ediderunt; episcopos ordinarunt, approbarunt vel reprobarunt ac deposuerunt; poenas in contumaces irrogarunt atque ab Ecclesiae communione non solum simplices fideles, sed etiam episcopos quandoque primarum sedium, reges, imperatores integrasque provincias absciderunt. Hos porro aliosque actus potestatis *eminenter episcopalis* et *supremae* in *tota* Ecclesia *quovis tempore* pro diversitate adiunctorum et necessitatis exercuerunt. Neque ad id faciendum licentiam vel delegationem ab episcopis aut conciliis petierunt, sed vi sui muneris in b. Petro ipsis collati, ac proinde ex potestate *ordinaria* et *immediata* per litteras vel legatos a se missos ista omnia exequabantur. Hoc modo ipsi R. Pontifices suum primatum intellexerunt et exercuerunt; Ecclesia vero ex parte sua theoretice et practice eum acceptavit, ac semper subordinationem hierarchicam veramque obedientiam praestitit. — Atqui talis non est primatus metropolitanus in sensu «systematis episcopalis», sed est primatus vere episcopalis in sensu definitionis vaticanae.

2. Speciatim vero nonnulla testimonia proferre iuvat, quibus plenitudo potestatis, episcopatus universalis ac superioritas pontificatus super concilium, in quibus cardo quaestionis vertitur, expresse pronuntiantur. Itaque α) iam audivimus *Tertullianum*,<sup>1)</sup> qui Zephyrinum appellat «episcopum episcoporum». Plurimi *episcopi africani* Theodorum († 649) appellant «patrem patrum et summum omnium praesulum Pontificem».<sup>2)</sup> In epistola synodica conc. *Constantinop. III.* ad Agathonem legitur: «Itaque tibi ut primae sedis antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit, relinquimus.» A *Constantino Pogonato* Pontifex appellatur *οἰκουμενικὸς πάππας*.<sup>3)</sup> Merito ergo scribit *Pius VI.*:<sup>4)</sup> «Pa-

1) De pudicit. c. 1.

2) Apud Hurter, n. 575.

3) Cf. Hefele, Conc.-Gesch. Bd 3 S. 250.

4) In respons. ad episc. German. Cf. Denzinger 1500.

tres et concilia tam ante quam post Gregorium M., inito veluti inter se foedere, R. Pontificem certatim appellaverunt sacerdotem sacerdotum, patrem patrum, pastorem pastorum, episcopum episcoporum et episcopum universalem.... Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum attributa, sicut auctoritatem praesefert in omnes fideles *ordinariam* atque *immediatam*, ita eandem praesefert auctoritatem ordinariam atque immediatam in omnes pastores, qui quacumque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii, si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur.»<sup>1)</sup> — β) *Superioritas Pontificis super concilium* iam a Leone X. (Pastor aeternus) in conc. *Lateranensi V.* expresse definita est: «Solum R. Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex s. Scripturae testimonio, dictis ss. Patrum ac aliorum R. Pontificum etiam, praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat.»<sup>2)</sup> — γ) *Appellatio ab iudicio Papae ad concilium* damnata est a Pio II. (Bulla «Execrabilis», innovata a Sixto IV. et Iulio II.): «Execrabilis et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a R. Pontifice, Iesu Christi vicario . . . . nonnulli spiritu rebellionis imbuti . . . . ad futurum concilium provocare praesumant. . . . Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere . . . . huiusmodi provocationes damnamus et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus.» His praeiverat Nicolaus I. (Ep. ad Michael. imper. a. 865) scribens: «Sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.»<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. de potestate episcopali, immediata et ordinaria relationem Frid. Zinelli ep. Tarvisini in c. 3 const. de Eccl. (coll. Lacens. pg. 351 sq).

<sup>2)</sup> Denzinger 740.

<sup>3)</sup> Ibid. 333.

## ARTICULUS II.

**Plenitudo potestatis pontificiae contra obiectiones  
vindicatur.**

**Obiectio 1.** Immerito pro plenitudine potestatis pontifi- 397  
ciae ad concilium *Florentinum* provocatur. Licet enim patres  
Florentini definierint, R. Pontifici «regendi universalem  
Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam fuisse»; haec tamen plenitudo restringitur per clausulam definitioni  
additam. Haec etenim non legenda est secundum vitiatam  
versionem latinam: «quemadmodum etiam in gestis oecume-  
nicorum conciliorum et in s. canonibus continetur»; sed se-  
cundum originale graecum: καὶ ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς  
πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι  
διαλαμβάνεται. Sensus ergo non est historicus, sed restricti-  
vus, id est: R. Pontifex habet plenitudinem potestatis, «qua-  
tenus seu secundum eum modum et mensuram, quae in ge-  
stis oecumenicorum conciliorum et s. canonibus continetur».

Resp. Haec interpretatio neque *exegetice* neque *hi-  
storice* admitti potest. **a.** Non *exegetice*; quia Florentinum  
nec potuit nec voluit plenitudinem, quam R. Pontifex eo-  
dem concilio fatente a Christo acceperat, per *canones* re-  
stringere. Licet ergo verba καὶ ὃν τρόπον mere grammaticè  
spectata restrictive sumi possint, ex contextu tamen id om-  
nino vetatur. Revera versio armena, quae a textu graeco  
derivata est, huic interpretationi minime favet. — **b.** Ea ne-  
que *historice* admitti potest. Textus latinus enim non est  
tantum versio textus graeci, ut adversarii supponunt: sed  
uterque textus a patribus tam latinis quam graecis subscrip-  
tus est, ideoque uterque originalis et authenticus est. Hoc  
probant autographa in archivis florentinis deposita.<sup>1)</sup>

**Obiectio 2.** Pontifex non habet episcopatum universa- 398  
lem. Nam **a.** Ecclesia semper ut veram tenuit celeberrimam  
*Cypriani* sententiam: «Episcopatus unus est, cuius a singulis  
in solidum pars tenetur.»<sup>2)</sup> Si autem singuli episcopi par-

<sup>1)</sup> Cf. Cecconi, Conc. Vatic. pg. 1480 sq et epistolam eiusdem  
relatam in coll. Lacens. pg. 1480; cf. ib. pg. 369; Civiltà catt. quad.  
478 ser. 7 vol. 9.

<sup>2)</sup> De unit. Eccl. n. 5.

tem habent, Pontifex non habet plenitudinem. — **b.** Immo ipse Gregorius respuit nomen «episcopi universalis», tamquam «blasphemiae nomen», ac dicit, nullum antecessorum suorum «tam profano vocabulo»<sup>1)</sup> usum fuisse. — **c.** Praeterea, si Pontifex esset episcopus universalis, quaevis dioecesis duos haberet episcopos et pastores immediatos. Vel sequeretur, omnes episcopos esse tantum officiales Pontificis.

*Resp.* Nego antecedens. Ad **a.** Distinguo sensum testimonii Cypriani; scilicet episcopatus unus est originaliter, specificè et collective, *Conc.*; episcopatus ita unus est, ut ab omnibus episcopis portio aequalis possideatur, *Nego.* Sane omnes episcopi unum collegium Petro-apostolicum efficiunt, ac singuli partem potestatis episcopalis, quae in omnibus specificè eadem ab ipso Christo instituta est, possident. At eam nec extensive nec intensive aequaliter possident. Hoc Cyprianus non dixit, immo Ecclesiam romanam tamquam «principalem», tamquam «radicem et matricem» Ecclesiae catholicae profitetur, aliisque signis indubiiis R. Pontifici regimen totius Ecclesiae adscribit.<sup>2)</sup>

Ad **b.** Gregorius M. utique *nomen* «episcopi universalis» respuit, sed quo sensu? Primo quia hoc nomen sensu sinistro accipi potuit, scilicet «si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur».<sup>3)</sup> Deinde, ut humilitatis exemplo superbiam Ioannis patriarchae Constantinop. retunderet, qui sibi titulum «episcopi oecumenici» arrogaverat. Quamvis enim Gregorius aliunde optime sciret et aperte profiteretur, omnes episcopos, non excepto patriarcha Constantinop., ipsi subiectos esse,<sup>4)</sup> maluit tamen se *servum servorum Dei*, quam episcopum universalem nominare.<sup>5)</sup> Similiter etiam Pontifices posteriores usque ad Leonem XIII. et noverunt et docuerunt, sibi potestatem

<sup>1)</sup> Ep. 32 et 36.

<sup>2)</sup> Ep. 45 al. 48; 55 n. 14; 52 n. 1. Vide quae scripsimus n. 386.

<sup>3)</sup> Ep. 36.

<sup>4)</sup> Ep. 12 scribit: «De constantinopolitana ecclesia quis dubitet, eam Sedi apostolicae subiectam esse?» et Ep. 59: «Nescio, quis ei (Sedi apost.), episcopus subiectus non sit.»

<sup>5)</sup> Ad Constant. Aug. ep. 21.

pascendi et regendi universam Ecclesiam Dei competere, et tamen titulum *episcopi universalis* vel *regis Ecclesiae* nunquam gesserunt.

Ad c. Repugnat quidem, ut una eademque dioecesis habeat duos episcopos et pastores coordinatos et independentes; at nihil absurdi est, ut habeat duos pastores, quorum unus sit superior, alter subditus; sicut etiam episcopus eiusque parochi sunt omnes veri pastores eiusdem gregis.<sup>1)</sup> — Neque ex episcopatu universali Pontificis sequitur, reliquos episcopos tantum eius *officiales* esse. Officialis quippe dicitur, cui potestas delegatur ad certum officium explendum. Episcopi autem in propria dioecesi immediatam et ordinariam iurisdictionem, licet a Pontifice dependentem, habent. Exinde sequitur etiam, episcopis plenitudine pontificiae potestatis nihil dignitatis subtrahi. Immo episcopatus per papatum roboratur et defenditur, ut ipsa historia testatur. Innumera proferri possent exempla episcoporum, qui contra aggressionem principum praepotentium aut plebium rebellium ad portum apostolicae Sedis confugerunt ab eaque defensi sunt. Sicut parochi ab episcopis, ita episcopi a R. Pontifice roborantur ac muniuntur. Merito ergo dicit conc. *Vaticanum*: «Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii M.: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.»<sup>2)</sup>

**Obiectio 3.** Saltem concilium est supra Papam. Nam 399

<sup>1)</sup> Ad rem. s. Thom. (in l. 4. sent. dist. 17 q. 7): «Inconveniens est, quod duo aequaliter super eundem gregem constituentur. Sed quod duo, quorum unus principalior alio, super eandem plebem constituentur, non est inconveniens; et secundum hoc super eandem immediate sunt et parochus et episcopus et Papa.»

<sup>2)</sup> Denzinger 1828.

**a.** ita definivit conc. *Constantiense* (Sess. V): «Ipsa (synodus) . . . . potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuscunque status vel dignitatis *etiam si papalis* existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem<sup>1)</sup> et extirpationem dicti schismatis et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris.» — **b.** Quin ipsi Pontifices fassi sunt, se subiici s. canonibus conciliorum generalium. — **c.** Declararunt insuper, nonnullas causas non a se, sed a conciliis terminari posse et debere.

*Resp.* ad **a.** Decreta, quae ex conc. *Constantiensi* opponuntur, nec conciliariter facta, nec a *Martino V.* approbata fuerunt; insuper de Pontifice dubio tantum agunt. Haec historici probant.<sup>2)</sup>

Ad **b.** Imprimis concilium considerari potest sine suo capite, R. Pontifice; et tunc omnino falsum est, Pontificem canonibus conciliorum subiectum esse; concilium acephalum enim vel nullam vel saltem non eandem auctoritatem habet ac Pontifex. Sed neque canones disciplinares concilii cum capite per se ligare possunt Pontifices subsequentes, quia isti non habent auctoritatem minorem suis antecessoribus. Conveniens tamen est, ut etiam Pontifices s. canones observent. Quos si negligenter seseque exleges gererent, non peccarent quidem contra obedientiam Ecclesiae debitam, utique vero contra suum munus, vi cuius bonum Ecclesiae procurare suaque potestate ad aedificationem, non ad scandalum fidelium uti tenentur. Hinc dici solet, quod canones vim habent *directivam* in R. Pontificem, non vero *coactivam*. Porro Pontifices fassi sunt, se subiici canonibus conciliorum oecumenicorum quoad vim *directivam*, non quoad *coactivam*.<sup>3)</sup> — Ex his sequitur etiam, minime timendum esse, ne Pontifex, potestatis plenitudine instructus, ius canonicum mutare atque omnia susdeque vertere possit. Papa enim suam potestatem in aedificationem non in destructionem habet, neque ad libitum ea uti potest; et si tam perversus papa unquam exurgeret, qui in Ecclesiae perniciem sua potestate

<sup>1)</sup> *Analecta iur. pontif.* 1867 legunt «ad finem».

<sup>2)</sup> Lectu dignissima sunt, quae de hac materia scripsit Card. Franzelin, *Theses de Eccl. Chr. th.* 13 scholion, pg. 230 sqq.

<sup>3)</sup> Cf. Mazzella n. 997.

abuteretur, Christus, qui promisit portas inferi adversus eam non praevalituras, hoc certe quo demum cumque modo impediret.

Ad c. Si quando Pontifices declararunt, causam aliquam nonnisi a concilio terminari posse, id non fecerunt, quasi in conciliis maiorem agnoscerent auctoritatem *intrinsecam*, sed propter maiorem auctoritatem *extrinsecam* ob multitudinem episcoporum aliaque adiuncta, quae synodis universalibus merito magnam venerationem conciliant (cf. 418, 1). — Hoc sensu etiam Patres quandoque post Pontificum decreta adhuc ad concilia provocant, vel provocare licitum esse dicunt.

## CAPUT IV.

### De Romani Pontificis infallibili magisterio.

1. Ex demonstratis Pontifex habet plenitudinem potestatis supremae in Ecclesia. Sed in Ecclesia praeprius est potestas docendi seu *magisterium*, iuxta illud: *Euntes docete omnes gentes*. Pontifex ergo *supremum magisterium* habet. Ecclesia hoc semper theoretice et practice agnovit ipsaque oecumenica concilia praesertim *Constantinop. IV.*, *Lugdun. II.* et *Florent.* id explicite declararunt. «Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, *supremam* quoque magisterii potestatem comprehendere, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobatur, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat, declaraverunt» (conc. Vatic. cap. 4).<sup>1)</sup>

2. Hoc porro magisterium R. Pontificis necessario *infallibile* est. Cum enim Ecclesia in docendo infallibilis sit, liquido sequitur, quod etiam Papa, in quo omnis potestas ecclesiastica, ac proinde etiam potestas docendi suprema et plena est, praerogativa infallibilitatis eminenter gaudere debet. Infallibilitas ergo est dos necessaria primatus.

3. Hinc mirari non debemus, quod fides infallibilitatis

<sup>1)</sup> Denzinger 1832.

R. Pontificis tam antiqua est, quam fides infallibilitatis Ecclesiae ipsiusque primatus.<sup>1)</sup> Continetur enim nostrum dogma *implicite* in verbis institutionis, ideoque implicite saltem semper et ab omnibus credebatur. Porro primis iam saeculis non solum in ordinario magisterio Ecclesiae, sed etiam in conciliis infallibilitas Pontificis formulis *aequipollentibus* declarabatur. Attamen tempore magni schismatis occidentalis de plenitudine potestatis papalis generatim, ac de infallibilitate magisterii speciatim dubia in quibusdam partibus Ecclesiae oriri coeperunt, quae nostris temporibus semper periculosius increverunt. Hinc solemnis et accurata definitio huius dogmatis non solum superflua non fuit, sed testante ipso concilio, plane necessaria evasit: «Atvero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrecent; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastoralis officio coniungere dignatus est, solemniter asserere. Itaque Nos traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicae exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: *Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere jungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit,*

---

<sup>1)</sup> Scite Card. Manning (Religio viatoris pg. 78) historiam dogmatis in tres periodos dividit. Prima est periodus simplicis et practicae fidei; secunda periodus analysis scientificae et controversiae; tertia periodus explicitae definitionis. Cf. etiam observationes patrum in schem. de R. Pontif. (Coll. Lacens. pg. 284).

anathema sit.»<sup>1)</sup> — Itaque hoc dogma:  $\alpha$ ) *declarabimus*,  $\beta$ ) *demonstrabimus*,  $\gamma$ ) *defendemus*.<sup>2)</sup>

## ARTICULUS I.

### Dogmatis declaratio.

In canone vaticano plures notae ac veluti lineamenta 401  
secerni possunt:  $\alpha$ ) ipsa praerogativa, de qua agitur, scilicet *infallibilitas*;  $\beta$ ) eius *subiectum*,  $\gamma$ ) *conditiones*,  $\delta$ ) *obiectum*,  $\epsilon$ ) *effectus* et  $\zeta$ ) *consectaria*.

**A. Praerogativa**, de qua agitur, est infallibilitas R. Pontificis non in agendo, sed in *docendo*. Stulte ergo osores Ecclesiae conc. Vaticanum calumniati sunt, quasi *impeccabilitatem* Pontificis definierit. Haec calumnia ex ipsa inscriptione huius capitis<sup>3)</sup> refellitur. Infallibilitas in agendo et docendo tam parum cohaerent, ut Balaam simul peccator et propheta fuerit (Num. c. 22), Caiphas vero, cum Christi mortem postularet, prophetasse legatur (Ioan. 11, 51). Definit insuper concilium, infallibilitatem R. Pontificis eandem esse, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Idcirco, quae de infallibilitate Ecclesiae scripsimus (324), huc transferri debent.

**B. Subiectum** est persona Pontificis pro tempore exi- 402  
stentis: «definimus, R. Pontificem... ea infallibilitate pol-  
lere» etc. His verbis excluditur error Gallicanorum, qui di-

<sup>1)</sup> Denzinger 1838 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. Egger, Das neu erklärte Dogma von der Unfehlbarkeit des Papstes (Brixen 1870).

<sup>3)</sup> In relatione de emendationibus super c. 4 propositis dicit ep. Gasser (Coll. Lacens. pg. 406): «Emendatio 5.a vult, ut titulus inscribatur: *De Romanorum Pontificum infallibili magisterio*. Hanc emendationem Deputatio admittit et quidem iuxta modum, ut non dicatur *de R. Pontificum*, sed in singulari *de R. Pontificis infallibili magisterio*. Causa admissionis haec est, quod inscriptio *de R. Pontificis infallibilitate* versa in alias linguas nonnunquam sensum non genuinum exhiberet: sic v. g. in lingua germanica facile haec vox posset confundi cum *impeccabilitate*. Ut ergo statim primo intuitu appareat, quod hic non agitur de *impeccabilitate* R. Pontificis in agendo, sed de *infallibilitate* in docendo, inscribatur caput *de R. Pontificis infallibili magisterio*.»

stinguentes inter *sedem* et *sedentem*, *Romanam Ecclesiam* et *Romanum Pontificem*, concedunt infallibilem esse Ecclesiam Romanam et Sedem apostolicam, at non ipsum R. Pontificem. Fides singulorum Pontificum, inquiunt, nutare potest ac deficere; ast hunc defectum mox vel ipse vel eius successor corriget, ita ut error ipsam Sedem apostolicam et Ecclesiam Rom. inficere non valeat: «ne error inoleascit», ut aiunt.<sup>1)</sup> Liquet, in hac sententia infallibilitatem R. Pontificis plane illusoriam et irrisoriam fore, cum singulis fidei definitionibus actualis Pontificis opponi posset, eas fors a successore vel a concilio correctum iri. Quare provide concilium hoc effugium iam per inscriptionem capitis exclusit.

- 403 C. Non semper in omnibus suis actibus infallibilis est R. Pontifex, sed «cum ex cathedra loquitur». *Cathedra* generatim est metonymia in Scriptura usitatissima pro dignitate, munere publico, et speciatim pro magisterio.<sup>2)</sup> *Cathedra Petri*, quae iam apud Patres passim occurrit,<sup>3)</sup> pariter duplicem hanc significationem habet, dignitatis et praesertim magisterii. Unde in scholis catholicis iam diu definitiones fidei R. Pontificum haud inepte *definitiones ex cathedra* appellari consueverunt. Sensus huius formulae ab ipso concilio Vaticano accurate declaratur: «cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit». Videlicet:

1. Pontifex infallibilis non est qua homo vel doctor

<sup>1)</sup> Cf. Bossuet in defens. cleri gallic. l. 10 c. 4 sq. Provocant ad celebre dictum Leonis M. (Ep. 106 c. 3 ad Anat.): «*Aliud enim sunt sedes, aliud praesidentes*»; et (Ep. 119 c. 3 ad Maxim.): «Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita praesulum, iura tamen permanent sedium.» Sed immerito; Leo M. enim id unum dicit, iura sedium non pendere a meritis sedentium; minime vero dicit, *ius* aliquod competere sedi, quin competat legitimo sedenti. Nominatim sibi ipsi in b. Petro vindicat ius, definitivam sententiam in rebus fidei edendi ipsique concilio oecumenico praescribendi. Consule Franzelin l. c. thes. 13, ubi de distinctione inter *sedem* et *sedentem* egregie disserit ac ostendit, quo sensu admittenda, quo respuenda sit. Cf. etiam Palmieri, De Rom. Pont. thes. 30.

<sup>2)</sup> Cf. Eccli. 7, 4; Matth. 21, 12; Ps. 1, 1; Luc. 20, 46.

<sup>3)</sup> Cf. Cypr., Ep. 43, 52; Hieron., Ep. 15 ad Damas.

privatus vel episcopus Rom. aut metropolita; sed quatenus est pastor et doctor omnium Christianorum seu *qua Pontifex*.

2. Immo neque ut Pontifex simpliciter infallibilis est; saltem concilium hoc non definivit. Plures graves Theologi concedunt, Pontificem in haeresim incidere posse atque in tali casu vel ipso facto papatu excidere vel ab Ecclesia deponendum esse. Nos cum Bellarmino et Suaresio *magis piam et probabiliorem* censemus sententiam, Christum nunquam permissurum esse, ut Pontifex publice in haeresim incidat eique scienter et volenter inhaereat.<sup>1)</sup> Falsum quoque putamus, Pontificem unquam ab Ecclesia deponi posse, eo quod superiorem non habet. Concilium, hac quaestione omissa, infallibilitatem Papae restringit ad illos *actus*, «quibus doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit».<sup>2)</sup>

3. Proinde necessaria quoque est sententia *definitiva*, qua, ut s. Thomas ait,<sup>3)</sup> „finaliter determinantur ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur“. Non requiritur quidem, ut Pontifex omnes fideles alloquatur vel certa forma utatur. Formam legis enim ipse legislator determinat. Sufficit ergo ad locutionem ex cathedra, ut Pontifex clare et indubie significet, *se omnes obligare velle*. Sic celebris formula *Hormisdæ* certe locutio ex cathedra fuit, licet ad solos Orientales immediate directa esset. Ri-

---

<sup>1)</sup> Cf. varias Theologorum sententias apud Mazzella n. 1045 sqq.

<sup>2)</sup> Ad rem ep. Gasser in rel. sup. c. 4 (Coll. Lacens. pg. 399): «Neque etiam dicendus est Pontifex infallibilis simpliciter ex auctoritate papatus, sed ut subest divinae assistentiae dirigenti in hoc certe et indubie. Nam auctoritate papatus Pontifex est semper supremus iudex in rebus fidei et morum et omnium Christianorum pater et doctor; sed assistentia divina ipsi promissa, qua fit, ut errare non possit, solummodo tunc gaudet, quum munere supremi iudicis in controversiis fidei et universalis Ecclesiae doctoris, *reipsa et actu* fungitur. Hinc sententia: Rom. Pontifex est infallibilis, non quidem ut falsa debet traduci, cum Christus personae Petri et personae successoris eius illam promiserit; sed est solummodo incompleta, cum Papa solummodo sit infallibilis, quando solemni iudicio pro universa Ecclesia res fidei et morum definit.»

<sup>3)</sup> P. 2, 2 q. 1 a. 10.

diculi autem sunt adversarii, dum dicunt necessariam esse novam definitionem, ut sciatur, quandonam sit locutio ex cathedra, eo quod de nonnullis definitionibus dubitatur, utrum ex cathedra sint nec ne. Vaticanum enim satis declaravit, quid sit loqui ex cathedra. Nonne etiam circa plures definitiones conciliorum dubia mota sunt?<sup>1)</sup>

- 404 D. *Causa efficiens* infallibilitatis R. Pontificis est «*assistentia divina ipsi in b. Petro promissa*». Quid haec assistentia sit, et quomodo tum ab industria mere humana tum ab inspiratione differat, exposuimus (324, 4—6). Naturam huius assistentiae uberius describit concilium his verbis: «R. Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent.»<sup>2)</sup> Pontifices ergo, ut ad definitionem ex cathedra tuto procedere possint, mediis ad cognoscendam divinam traditionem uti tenentur iisque revera semper uti sunt. Hoc tamen non ita intelligere licet, ut ad valorem definitionis prius *adhibitio mediorum tamquam conditio sine qua non* probari debeat. Sic enim definitio ex cathedra non esset ex se irreformabilis, contra ac concilium definivit.

- 405 E. *Obiectum* infallibilitatis in canone dupliciter determinatur. Primo per verba: R. Pontificem infallibilem esse, dum «*doctrinam de fide vel moribus* ab universa Ecclesia tenendam definit». Secundo dum additur, R. Pontificem «ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit». Ex his duobus incisis simul collatis duo sequuntur:

<sup>1)</sup> Cf. Hettinger, Fundam.-Theol. II § 38, III.

<sup>2)</sup> Denzinger 1836.

1. Infallibilitas R. Pontificis non solum ad ea se extendit, quae per se revelata sunt ac depositum fidei constituent; sed etiam ad ea, quae cum revelatione necessario connexa sunt atque ad custodiam depositi fidei pertinent, puta facta dogmatica, disciplina ecclesiastica aliaque plura, quae supra (329 sqq) exposuimus. Ad haec omnia enim, ut ibi demonstravimus, infallibilitas Ecclesiae se extendit.

2. At non omnia, quae a Pontifice ex cathedra definiuntur, eundem valorem dogmaticum habent. Cum enim eadem sit Pontificis et Ecclesiae infallibilitas, consequenter etiam definitiones Pontificis eundem gradum certitudinis habent ac definitiones Ecclesiae. Atqui de fide quidem est, Ecclesiam infallibilem esse in definiendis dogmatibus revelatis; de fide autem non est, licet theologice certissima, Ecclesiae infallibilitas in veritatibus cum dogmate connexis. Idem ergo de infallibilitate Pontificis dicendum. Proinde omnes quidem definitiones Pontificis ex cathedra loquentis certae sunt; at non omnes de fide sunt, sicut nec in conciliis oecumenicis omnia de fide sunt.<sup>1)</sup> *Syllabus* Pii IX. e. g. defi-

---

<sup>1)</sup> «Hinc, inquit ep. Brixinen. in relat. de emend. c. 4 (Coll. Lacens. pg. 416), praesens definitio de obiecto infallibilitatis duas continet partes inter se intime nexas. Pars prior obiectum infallibilitatis solum generice enuntiat, illud nempe esse doctrinam de fide et moribus; pars vero altera hoc obiectum non quidem per singula distincte declarat, sed illud circumscribit ac determinat per comparisonem cum infallibilitate in definitionibus Ecclesiae, adeo ut omnino idem profitendum sit de obiecto infallibilitatis in definitionibus editis a Pontifice, quod profitendum est de obiecto infallibilitatis in definitionibus Ecclesiae. Hae duae partes semper debent inter se coniungi, si sensus nostrae definitionis verus velit haberi. Ergo non solummodo dicendum est, Papam esse infallibilem in rebus fidei et morum, quando definit doctrinas de fide et moribus, sed hanc infallibilitatem esse eam infallibilitatem, qua gaudet Ecclesia; proinde etiam nunquam sibi omnino sensum definitionis nostrae quis assequeretur, si simpliciter enuntiaret, Romanum Pontificem esse infallibilem, quando aliquid definit de fide vel moribus; sicut etiam ille sensum nostrae formulae non assequeretur, qui simpliciter diceret, Romanum Pontificem esse infallibilem, quando aliquid definit ab Ecclesia simpliciter tenendum; sed hae duae res semper sunt inter se connectendae, ut sensus nostrae formulae sanus et verus habeatur.» Cf. etiam eiusdem ep. Gasser relationem die 11. Iulii habitam (Coll. Lacens. pg. 475; Granderath-Kirch, Geschichte des Vatikan.

nitio ex cathedra esse videtur.<sup>1)</sup> Nihilominus qui unum alterumve errorem inibi damnatum teneret, temerarius quidem, sed non statim haereticus esset, quia non omnes sunt errores circa veritatem revelatam, sed circa veritates cum revelatione plus minus connexas.

406 **F. Effectus** denique infallibilitatis is est, «ut eiusmodi R. Pontificis definitiones *ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles sint*». Haec clausula contra «declarationem cleri *gallicani*» dirigitur (art. 4): «In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes... nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit». Iste articulus post definitionem vaticanam haereticus est. Adverte tamen, aliud esse *conditionem*, aliud *effectum*. Negamus quidem, consensum Ecclesiae esse conditionem infallibilitatis R. Pontificis; concedimus vero, eum esse necessarium effectum. «Cum enim credimus, Papam per assistentiam divinam esse infallibilem, eo ipso etiam credimus, iis definitionibus assensum Ecclesiae non esse defuturum; cum fieri non possit, quod corpus episcoporum separetur a suo capite, et cum Ecclesia deficere non possit» (Gasser l. c.).

407 **G. Consectaria.** Ex dictis intelligitur, an et quo sensu infallibilitas R. Pontificis sit separata, personalis et absoluta. *α) Est separata*, quatenus R. Pontifex tamquam centrum unitatis in definitionibus suis gaudet assistentia Spiritus sancti speciali, qua non gaudent reliqui episcopi et fideles. *Non est separata* eo sensu, quod definitio infallibilis Papae a consensu infallibilis Ecclesiae unquam seiuncta esse possit. *β) Est personalis*, quatenus infallibilitas collata est singulis *personis* Pontificum, non tantum toti seriei; *non est personalis*, quia Papa hac praerogativa non gaudet qua persona privata, sed ea gaudet ut persona publica, scil. «ut pater et doctor omnium Christianorum». *γ) Est absoluta*,

---

Konzils Bd 3 S. 455 ff, Freiburg i. Br. 1906), et totam historiam huius decreti ll. cc. et apud Granderath, Constit. dogmat. oecum. conc. Vatic. (comment. IV pg. 190 sqq).

<sup>1)</sup> Cf. Mazzella n. 1052, nota; Straub, De Ecclesia Christi (Oeniponte 1912) vol. 2 n. 999 sqq.

quatenus non dependet a consensu Ecclesiae; at *non est absoluta* simpliciter et in se, sed multipliciter restricta. Restrigitur enim haec infallibilitas «ratione *subiecti*, quando Papa loquitur tamquam doctor universalis et iudex supremus in cathedra Petri, id est in centro constitutus; restricta est ratione *obiecti*, quando definit, quid sit credendum vel reiiciendum ab omnibus Christi fidelibus» (Gasser l. c.).

## ARTICULUS II.

### Dogmatis demonstratio.

**Thesis 114.** *Iisdem s. Scripturae locis probatur infallibile Romani Pontificis magisterium, quibus primatus demonstratur.* 408

Loci classici habentur apud Matth. 16, 18 sqq; Luc. 22, 32; Ioan. 21, 15 sqq. In his textibus Petro eiusque successoribus committitur munus fundamenti et capitis Ecclesiae, clavigeri caeli, confirmatoris fratrum in fide, pastoris gregis Christi (371 sqq 383 sq). Atqui istis muneribus necessario adnectitur charisma infallibilis magisterii. Percurramus singula.

1. *Fundamentum* aedificii propter duo ponitur, scilicet propter *firmitatem* et *unitatem*. Ergo Christus tamquam sapiens architectus (cf. Matth. 7, 24) Petro eiusque successoribus id praestare debuit, ut firmitatem et unitatem Ecclesiae efficiant. Et revera iuxta Christi promissionem portae inferi nunquam praevalerunt adversus Ecclesiam super Petrum aedificatam. Atqui sine infallibili magisterio id fieri non potuisset. Ecclesiam enim, utpote societatem credentium nihil adeo concutit et scindit, quam haeresis. Si autem Pontifex in ipsis definitionibus fidei, quas universae Ecclesiae tenendas praecipit, errare posset, profecto ipse omnium maxime Ecclesiam subverteret. Quis enim tam efficaciter haeresim promoveret, quam Pontifex haeresim nedum docens, sed omnibus pro suprema sua potestate praescribens? Ergo fundamentum *fallibile* Ecclesiae *infallibilis* est contradictio in adiecto. — Confirmatur: Petrus praecise ratione *fidei* fundamentum Ecclesiae constitutus est; ut Pa-

trēs dicunt: «Fides (Petri) est Ecclesiae fundamentum.»<sup>1)</sup> Ante omnia ergo Papa fidei firmitatem et unitatem inconcussam servare debet.

2. Illimitata potestas ligandi atque solvendi *supremam potestatem ecclesiasticam* importat. Sed pars praecipua potestatis ecclesiasticae est potestas authentici magisterii, cui omnes sub poena damnationis se subicere tenentur (Matth. 28, 19; Marc. 16, 15). In hypothese ergo Pontificis ex cathedra errorem definientis, duo sequerentur: primo Deus hunc errorem positive approbaret, cum dictum sit: *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelo*; secundo tota Ecclesia errorem amplecti teneretur. Atqui utrumque perabsurdum est.

3. Qui habet *claves* regni caelorum, ante omnia clavem *verae fidei* habeat oportet; fides enim est radix salutis et sperandarum substantia (ὑπόστασις) rerum (Hebr. 11, 1). Claviger caeli ergo semper veram fidem hominibus praedicare debet. Negato autem infallibili magisterio aliquando contrarium accidere posset.

4. Idem ex munere *pastoris* (Ioan. 21, 15) sequitur. Cum enim praecipuum pabulum spirituale hominis christiani sit vera fides, iustus enim ex fide vivit (Rom. 1, 17; Luc. 4, 4): concludere oportet, Pontificem semper parem esse debere, ut hoc pabulum Ecclesiae praebeat. Sine assistentia Dei autem errorem praecaventis hoc non posset. Ergo.

5. Specialem considerationem exigit locus apud Luc. 22, 31 sq: «*Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma* (στήριξον) *fratres tuos.*»<sup>2)</sup> Haec verba non solum personalem promissionem Petro factam, ut adversarii dicunt, sed revera *magisterium ordinarium et infallibile* in successores transmittendum exprimunt.

Sane a. agitur de *munere ordinario* in posteros transfundendo. Christus dicit Petro: *Confirma fratres tuos*. At

<sup>1)</sup> Ambros., De incarn. c. 5.

<sup>2)</sup> Cf. Corluy, Spicileg. dogm.-bibl. (Gandavi 1884) t. 1 pg. 51—56.

confirmatio in fide non tantum Apostolis ac primis Christianis, sed etiam episcopis, Apostolorum successoribus omnibusque Christianis necessaria fuit; et his magis. Apostoli enim ab ipso Christo et Spiritu s. immediate confirmati sunt, episcopi non item. Sicut ergo munera baptizandi, remittendi peccata, praedicandi etc. in posteros transire debuerunt, quia pro omnibus hominibus necessaria erant, ita ex paritate rationis etiam de munere confirmandi fratres dicendum erit. — Adde, quod munus *confirmandi* (στήριξον) Petro traditur cum manifesta allusione ad praerogativam *fundamenti* prius promissam.<sup>1)</sup> At omnes Pontifices sunt fundamentum Ecclesiae. Ergo omnibus oratione Christi obtenta fuit qualitas ad hoc necessaria, scilicet *firmitas fidei*, et officium respondens *confirmandi* fratres in fide. — Perpendatur denique, periculum omnibus Apostolis commune fuisse: ecce satanas expetivit vos. Et tamen Christus pro solo Petro se rogaturum promittit. Cur hoc? Utique, quia Petrus erat fundamentum et caput, ideoque in ipso et per ipsum etiam reliquis provisum erat.<sup>2)</sup>

b. Agitur de magisterio *infallibili*. Hoc ulteriore probatione non indiget. Si enim Pontifex pro suprema sua auctoritate doctrinam erroneam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definiret, tunc profecto non confirmaret, sed infirmaret fratres in fide. Frustra ergo fuisset oratio Christi; satanas non cribraret tantum, sed veluti paleam omnino dissiparet Christianos et contra Ecclesiam praevaleret. —

Concludimus igitur, doctrinam de infallibili magisterio R. Pontificis non esse *novum* dogma, ut adversarii calumniantur, sed eam ex ipsa s. Scriptura, solis etiam attentis obviis hermeneuticae regulis, facili negotio derivari. Ne-

<sup>1)</sup> Theophyl. in Luc. 22, 32: «Quia te (Petre) habeo ut principem discipulorum, postquam negato me fleveris, confirma ceteros; sic enim te decet, qui post me Ecclesiae petra es et fundamentum.»

<sup>2)</sup> Leo M., Serm. 4 al. 3 n. 3: «Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.»

que ista *interpretatio nova* est, sed in antiquissima traditione fundata, ut ex sequente thesi apparebit. Merito ergo ait conc. *Vaticanum*<sup>1)</sup>: «Quorum (R. Pontificum) apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere; secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, caelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.»

409 **Corollarium.** Ex praefatis textibus biblicis simul collatis haec ultro sequuntur: **a.** R. Pontifex infallibilis non est qua doctor privatus, sed qua *persona publica*. Tituli enim, ex quibus haec praerogativa deducitur, omnes relationem dicunt ad universam Ecclesiam. — **b.** R. Pontifex infallibilis est non solum collegialiter cum episcopis, sed etiam *personaliter qua caput episcoporum*. Infallibilitas namque Papae resultat ex eius titulis et officiis: *fundamentum, claviger, pastor* etc. Ista omnia autem ei personaliter competunt et non collegialiter.<sup>2)</sup> — **c.** Praefata munera per se col-

<sup>1)</sup> Denzinger 1836 sq.

<sup>2)</sup> Ad rem ep. Gasser in relat. sup. cit. c. 4 (Coll. Lacens. pg. 390): «Nemo dicat: utique, ut Romanus Pontifex officium suum possit implere, debet habere auctoritatem super omnes episcopos; sed necesse non est, ut haec auctoritas in se sit infallibilis; sufficit, ut sit infallibilis cum episcopis. At respondeo, centrum unitatis sicut in corporibus caelestibus, ita etiam in Ecclesia Christi sub caelo debet agere continuo et permanenter auctoritate irrefragabili. Proinde si auctoritas Papae non in se, sed solummodo cum episcopis esset irrefragabilis, Papae ex iure divino semper deberent assistere delegati totius episcopatus, illumque iure divino repraesentantes. Ast nihil eorum Christus instituit, sed Petrum Petrique successorem suae dedit firmamentum fidei immobile, haeredem fidei confirmatae et confirmatorem fratrum suorum et demum pastorem totius gregis domi-

lata non sunt *sedi Romanae*, sed Petro eiusque successoribus Romae *sedentibus*. Ergo etiam infallibilitas per se et immediate collata est Pontificibus, et nonnisi mediate sedi et Ecclesiae Romanae. — d. Infallibilitas R. Pontificis ex demonstratis necessario cum suprema potestate primatus connectitur. Si ergo vera esset Richerianorum sententia, hanc supremam potestatem immediate Ecclesiae et mediate Papae tamquam eius ministro collatam esse, vera quoque esset altera sententia, iudicia Pontificis nonnisi ex consensu Ecclesiae irreformabilia esse. At ex praemissa opposita sequitur etiam opposita conclusio; scilicet Pontifex supremam potestatem immediate a Christo accepit, ergo eius definitiva iudicia *ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabilia sunt*. — e. Cum infallibilitas Pontifici collata sit ad confirmandos fratres in fide, consequenter Pontifex infallibilis est non tantum *in decisis*, ut aiunt; sed etiam, et maxime, *in decidendis*. Iudex enim necessarius est pro decidendis, non pro decisis. Praeterea fides tunc nutare in cordibus incipit, cum dubia et controversiae oriuntur; deficeret autem omnino, si nullus iudex esset, qui controversias fidei infallibiliter terminare posset, ut historia protestantismi luculenter probat. Ergo Papa praeprimis in decidendis infallibilis esse debet. Nec dicas: Hoc iudicium stat penes concilium. Nam usque dum concilium convocatur, quot anxietates, turbae et scandala interim oriri et succrescere poterunt. Et si concilium convocatum est, et episcopi non consentiunt: quid tunc? Ergo controversia fidei indecisa manebit, et conclamatum erit de unitate et firmitate fidei Ecclesiae.<sup>1)</sup>

**Scholion.** Argumentum biblicum confirmatur ex analogia cum antiquo foedere. Summus Pontifex enim in «rationali» scriptum gerebat *urim et thummim* i. e. «*doctrina et veritas*», ut discerent filii Israel, a quo in dubiis legis certum et irreformabile responsum accepturi essent.<sup>2)</sup> Hinc merito

---

nici, regendo eum, ut nihil ei desit, et in loco pascuae illum collocando.»

<sup>1)</sup> Cf. rel. ep. Gasser (Coll. Lacens. pg. 405).

<sup>2)</sup> Ex 28, 30; Lev. 8, 8; Eccli. 45. 21; Deut. 17, 8.

infert s. *Bonaventura*:<sup>1)</sup> «Si tempore sacerdotii figurativi Pontificis sententiae adversari malum erat mortisque poena multandum: multo fortius in tempore veritatis et gratiae revelatae, quando Christi vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur, malum esse constat nullatenus tolerandum, in fide vel moribus eius definitionibus dogmatizare contrarium.»

410 **Thesis 115.** *Infallibile magisterium Romani Pontificis ex traditione invicte probatur.*<sup>2)</sup>

Traditionis argumentum petitur: 1. Ex conciliis, praesertim ex *Constantinop. IV.*, ex *Lugdunensi II.* et *Florentino*. Ad haec tria patres Vaticani expresse provocant, eo quod in iis «Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat». Sane conc. Constantinop. IV. docet, quod propter promissiones b. Petro (Matth. 16) datas «in Sede apostolica *immaculata* est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina», et exinde concludit, quod idem sit, *sequestrari a communione Ecclesiae et non consentire Sedi apostolicae*.<sup>3)</sup> En regula fidei in concilio oecumenico a patribus graecis et latinis subscripta! Et haec regula, quod valde notandum, non erat nova, sed de-

<sup>1)</sup> Apolog. pauper. 1, resp. ad 1; cf. Bellarm., De R. Pont. 1. 4 c. 3.

<sup>2)</sup> Materiam amplissimam succincte proponimus; testimonia et facta magis in extenso videre potes apud Dorsch, Instit. theol. fundament. II. pag. 364—371. (Oeniponte 1928.)

<sup>3)</sup> En verba concilii: «Prima salus est, rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini N. I. Chr. praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes... speramus, ut in una communione, quam Sedes apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas, promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae i. e. non consentientes Sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.» Tricae contra declarationes conc. VIII. et Lugd. II. in ipsa relatione concilii solutae sunt ab ep. Bri-xinensi (Coll. Lacens. pg. 394). Cf. Granderath, Const. dogm. pg. 166 sq; Granderath-Kirch, Geschichte des Vatikan. Konzils, Bd 3 S. 463 ff.

sumpta ex formula *Hormisdæ* Papæ, quæ subscribenda proposita fuit episcopis schismati acaciano involutis, et reapse subscripta est ab imperatore Iustiniano et ab episcopis bis mille et quingentis. — In conc. *Lugdunensi II.* Graeci cum Latinis professi sunt, quod «Ecclesia Romana sicut prae ceteris *tenetur fidei veritatem defendere*, sic et si quæ de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent *iudicio definiri*». Denique *Florentinum* definit, R. Pontificem «verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac *doctorem* existere». <sup>1)</sup> Quid, quaeso, clarius his definitionibus? Si iudicium definitivum, quo quaestio fidei terminatur, erroneum esse potest, nonne tota Ecclesia errabit? Et si Ecclesia infallibilis est, quod ipsi adversarii credunt, quomodo doctor universae Ecclesiae fallibilis esse poterit?

Tribus enumeratis conciliis annumerari potest *Ephesinum*, in quo a legato Philippo Pontifex *fidei columna* dicitur eiusque epistola ut regula fidei (*τύπος*) proponitur. «Sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum ... ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et praesidet et iudicium exercet.» <sup>2)</sup> Patres concilii *Chalcedonensis* vero Leonis M. epistolae dogmaticae unanimiter acclamant: «Petrus per Leonem locutus est.» <sup>3)</sup> Accedit Constantinop. III., ubi lecta *Agathonis* epistola omnes acclamant: «Per Agathonem Petrus loquebatur.» <sup>4)</sup> Similes professiones in omnibus oecumenicis conciliis occurrunt.

2. Ex Patribus, quorum testimonia pro primatu R. Pontificis fere omnia etiam pro infallibili eiusdem magisterio valent (386). a. Ex *occidentalibus* audivimus *Irenaeum* doctorem, fidem Ecclesiae R. esse *normam* credendi pro omnibus aliis ecclesiis, quia ad eam «propter potentiorē principalitatem» i. e. propter primatus dignitatem, omnes, «qui sunt undique fideles, necesse est convenire». Unde traditio

<sup>1)</sup> Denzinger 171 sq. 466. 694.

<sup>2)</sup> Cf. Harduin, Acta conc. t. 1 pg. 1348. 1471.

<sup>3)</sup> Ib. t. 2 pg. 306.

<sup>4)</sup> Ib. t. 3 pg. 1423.

Ecclesiae Rom. est «plenissima ostensio» fidei.<sup>1)</sup> — Audivimus *Cyprianum*, cui Ecclesia Rom. est «Ecclesiae catholicae radix et matrix», ad quam propter promissiones Petro factas «perfidia habere non potest accessum», unde qui cathedram Petri deserit, quomodo «in Ecclesia esse confidit»?<sup>2)</sup> Audivimus celebre dictum *Ambrosii*.<sup>3)</sup> «Ubi Petrus, ibi Ecclesia»; unde huic Patri perinde est «cum episcopis catholicis et cum Romana sede convenire». *Hieronymus* profitetur: «si quis cathedrae Petri iungitur, meus est», ac petit a Damaso, ut decernat, an tres vel una hypostasis in Deo dicendae sint.<sup>4)</sup> — *Augustinus*<sup>5)</sup> in quaestione pelagiana pronuntiat: «Iam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: *causa finita est*, utinam aliquando finiatur error.»<sup>6)</sup> — *Petrus Chysol.*<sup>7)</sup> ad Eutychem scribit, «quod b. Petrus, qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem».

b. Consonant Patres *orientales*. Iuxta *Gregor. Naz.* Roma «Occidentem totum devincit salutari doctrina, quemadmodum par est, ut quae universis praesidet».<sup>8)</sup> *Epipha-*

1) Adv. haer. l. 3 c. 3; cf. Tertull., De praescr. c. 36.

2) Ep. 45. 55. 73 etc.

3) Enarr. in Ps. 40 n. 30; cf. De obitu Satyri 1, 47.

4) Ep. ad Damas. 15 et 16: «Cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam.... Apud vos solos incorrupta Patrum servatur haereditas.... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae i. e. cathedrae Petri communionem consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio.... Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, antichristi est. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam.... ut mihi epistolis tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.... Ego interim clamito: Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est.»

5) Serm. 131; cf. Contr. ep. fundam. c. 4.

6) Cf. eundem Aug., Serm. 30 (Mai, Bibliot. nova Patr. t. 1 pg. 273): «O infelix haeresis (Ariana), nunquam persuadebis fidem te tenere cath. Ecclesiae, quae fidem non doces esse sequendam romanam.»

7) Ep. 25.

8) De vita sua vers. 562 sq: τὴν ἐσπέραν πᾶσαν δεύουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ, καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδραν τῶν ὅλων.

nio testante<sup>1)</sup> «omnibus modis in eo stabilita fides est, qui caeli clavem accepit, et in terra solvit et ligat in caelo. In eo siquidem subtiliores quaelibet fidei quaestiones reperiuntur». *Ephraemo Syro*<sup>2)</sup> Petrus est *candelabrum*, cui oleum verae fidei a Spiritu sancto subministratur. Teste s. *Maximo* confessore «omnes orbis terrarum fines... velut in solem sempiternae lucis in ss. Rom. Ecclesiam eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt». <sup>3)</sup> *Sergius* cyprius denique ita alloquitur Theodorum Papam: «Tu profanarum haeresium depositor existis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei.»<sup>4)</sup>

3. *Pontifices* ipsi infallibilitatem sibi adscribunt, in 412 primis *theoretice*. Sic *Leo M.* ait:<sup>5)</sup> «B. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.... Tanta divinitus soliditate munita est (sedes Petri), ut eam neque haeretica unquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia.» *Xystus III.* scribit:<sup>6)</sup> «B. Petrus Apostolus in successoribus suis quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius velit se separare doctrina, quam ipse inter Apostolos primam magister docuit?» Iuxta *Innocentium I.* haec est «antiquae regulae forma»; «quoties fidei ratio ventilatur... nonnisi ad Petrum i. e. summi nominis et honorem et auctorem referri debere, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse».<sup>7)</sup> *Zosimus* tam ex Patrum traditione, quam ex ipsa Christi promissione tantam apostolicae Sedi auctoritatem tributam esse dicit, «ut de eius iudicio disceptare nullus auderet».<sup>8)</sup> Iuxta *Gelasium*<sup>9)</sup> in rebus fidei «nonnisi apostolicae Sedi iuxta canones debetur summa iudicii totius». Testatur *Agatho*, quod «Petri annitente praesidio haec

<sup>1)</sup> Ancor. c. 9.

<sup>2)</sup> In Ios. c. 24.

<sup>3)</sup> Opp. t. 2. ed. Combef. pg. 72.

<sup>4)</sup> Ap. Mansi, Coll. conc. t. 10 n. 914.

<sup>5)</sup> Serm. 2 c. 3; cf. Serm. 5 c. 4.

<sup>6)</sup> Ad Ioan. Antioch. (Const. 1260).

<sup>7)</sup> Ep. 30 ad epis. cartag.; cf. Ep. 19 (Const. 885. 889).

<sup>8)</sup> Ep. 12 n. 1.

<sup>9)</sup> Ep. 10; cf. Ep. 12 (Thiel pg. 347. 353).

apostolica eius Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est». <sup>1)</sup> *Clemens VI.* ab ecclesia armena postulat, ut credat «solum R. Pontificem dubiis emergentibus circa fidem cath. posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, fidem imponere». *Sixtus IV.* damnat prop. 7 Petri oxomensis: «Ecclesia urbis Romae errare potest.» *Alexander VIII.* et *Innocentius XI.* damnant art. 4 declarationis gallicanae. <sup>2)</sup>

- 413 4. Pontifices etiam *practice* hanc persuasionem demonstrant. Ipsi enim **a.** tamquam ius sibi proprium vindicarunt, ut omnes causae fidei ad se referrentur. Id constat ex epistola *Innocentii I.* ad episcopos Africae in causa Pelagii; ex *Zosimo* in eadem causa; ex modo agendi *Gregorii M.*, <sup>3)</sup> *Gelasii* <sup>4)</sup> etc. — **b.** Propria auctoritate haereticos damnant; ut pluribus exemplis (n. 387, 6) allatis probavimus. — **c.** Ipsius conciliis regulam credendi praescribunt. Ita *Coelestinus I.* in ep. ad synod. Ephesinam: <sup>5)</sup> «Direximus pro nostra sollicitudine fratres et consacerdotes nostros, unanimes nobis et probatissimos viros, Arcadium et Proiectum episcopos et Philippum presbyterum nostrum, qui iis, quae aguntur, intersint, et quae a nobis antea statuta sunt, exequantur.» Porro ipsis legatis praescripserat: «Ad disceptationem, si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire certamen.» *Leo M.* in ep. ad synod. Chalcedonensem postulat, ut iudicent secundum doctrinam in eius epistola ad Flavianum expositam. <sup>6)</sup> *Agatho* synodo VI. scribit: «Qui haec (quae iam a Sede apostolica definita erant) confiteri noluerint, ut infestos catholicae atque apostolicae confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus.» <sup>7)</sup> Similia praescripsit *Hadrianus II.* synodo VIII, *Eugenius* Florentinae etc.

Fortasse dixerit quispiam, Pontificibus Romanis sedis

<sup>1)</sup> Ep. ad Augustos (Migne 87, 1248).

<sup>2)</sup> Denzinger 730. 1325.

<sup>3)</sup> Ep. 52.

<sup>4)</sup> Ep. 26 ad epp. Dardaniae.

<sup>5)</sup> Hard. t. 1 pg. 1348.

<sup>6)</sup> Ibid. t. 2 p. 50.

<sup>7)</sup> Ibid. t. 3 p. 1126.

suae dignitatem commendantibus in propria causa non esse credendum. At his merito reponit relator concilii:<sup>1)</sup> «Si exinde testimonia R. Pontificum infirmarentur, reapse de tota hierarchia ecclesiastica actum esset; nam auctoritas Ecclesiae docentis non potest probari, nisi per Ecclesiam docentem.» Certe si R. Pontifices charisma infallibilitatis non reapse habuissent, sed illud sibi usurpassent, Ecclesia huic usurpationi antiquae Romae aequae restitisset, sicut arrogantiae patriarcharum novae Romae restitit.

5. Ex *Ecclesiae consensu*. Tantum abest enim, ut Ec- 414  
clesia Pontificibus resisteret, ut theoretice et practice charisma infallibilis magisterii constanter eisdem tribueret. Undenam enim tot consultationes ex omnibus partibus Ecclesiae in rebus fidei ad Sedem apostolicam delatae? Appellationes tam catholicorum quam haereticorum? Denuntiationes nascentium haeresium R. Pontificibus factae? Communio cum Sede apostolica ut tessera orthodoxiae habita? Locutio Pontificis ut finis causae proclamata? Solemnnes professiones supremi huius magisterii ab ipsis conciliis tam oecumenicis quam particularibus exhibitae?<sup>2)</sup> — Profecto qui caput impetit, totum corpus ferit! Negatio infallibilitatis Pontificis negatio est infallibilitatis Ecclesiae.

6. De *consensu Theologorum* eo minus dubitari potest, cum ipse Gersonius fateatur, quod ante conc. Constantiense «sic occupaverat mentes plurimorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus vel damnatus».<sup>3)</sup> Et revera infallibilitatem R. Pontificis expresse docent magistri scholae: s. *Thomas*,<sup>4)</sup> s. *Bo-*

<sup>1)</sup> Ep. Gasser (Coll. Lacens. pg. 392).

<sup>2)</sup> Consensum conciliorum provincialium, non exceptis gallicanis, vide apud Schrader, De unit. Rom. l. 2 pg. 318 sqq; Coll. Lacens. t. 10; Roskovány, R. Pontif. etc.

<sup>3)</sup> De potestate ecclesiast., consid. 12.

<sup>4)</sup> Sum. theol. p. 2, 2 q. 1 a. 10: «Nova editio symboli necessaria est ad vitandum surgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis.» Id deinde probat non tantum ex textibus spuriiis, ut Döllinger calumniatur, sed ex Luc. 22, 32 et ex ratione, «quia una fides debet

*naventura*,<sup>1)</sup> *Scotus*,<sup>2)</sup> *s. Antoninus*,<sup>3)</sup> *Canus*,<sup>4)</sup> *s. Bellarminus*,<sup>5)</sup> *Suarez*,<sup>6)</sup> *s. Franciscus Salesius*,<sup>7)</sup> *s. Alphonsus*<sup>8)</sup> etc. etc.

7. Argumenta positiva hucusque allata haud parum confirmantur et illustrantur rationibus ex analogia fidei petitis, praesertim: **a.** *Ex natura primatus*, vi cuius Pontifex est caput, pastor, doctor et iudex supremus omnium christifidelium. Ex his titulis et muneribus enim nullo negotio derivatur, Papam in suis definitionibus cathedratice infallibilem esse debere (408). — **b.** *Ex natura et proprietatibus Ecclesiae*, quae est societas credentium, una, visibilis, indefectibilis et necessaria. Istae quippe proprietates stare non possent sine supremo aliquo visibili, semper obvio, infallibili et irreformabili *tribunali fidei*. At huiusmodi tribunal aliud non habetur, nisi summi Pontificis, qui ex una parte propter supremam suam auctoritatem a tota Ecclesia obedientiam exigere potest, ex altera parte «in propria sede et vivit et praesidet ac praestat quaerentibus fidei veritatem». — Istae rationes passim non solum in operibus Theologorum, sed etiam in decretis Pontificum et conciliorum occurrunt; quare eas breviter tetigisse sufficiat.<sup>9)</sup>

### ARTICULUS III.

#### **Dogmatis defensio.**

415 **Ingentes ignorantia et malitia excitavit clamores** *con-*  
*esse totius Ecclesiae . . . quod servari non posset, nisi quaestio fidei*  
*exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praest, ut sic*  
*eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur»* (cf. *Expos. symb.*  
*apost. n. 9*).

<sup>1)</sup> Seraphicus Doctor plenitudinem potestatis et infallibilitatem R. Pontif. passim docet, e. g. in I. sent. dist. 11 a. un. q. 1 concl.; Quaest. disp. de perf. Evang. q. 2 a. 1 (ed. Quaracchi t. 5 pg. 130), ib. q. 4 a. 3 (ed. cit. t. 5 pg. 189 sqq).

<sup>2)</sup> In I. sent. dist. 19 q. 1 schol. 5. /

<sup>3)</sup> Sum. p. 3 tit. 22 c. 2 et 3.

<sup>4)</sup> De loc. theol. l. 6 c. 7.

<sup>5)</sup> De Rom. Pontif. l. 4 c. 2 sqq.

<sup>6)</sup> De fide disp. 5 s. 8 n. 4.

<sup>7)</sup> De fid. controvers. c. 10.

<sup>8)</sup> Dissert. de infallib. Papae. — Cf. Mazzella n. 1078 sqq.

<sup>9)</sup> Cf. Egger, *Das neu erklärte Dogma*, ubi haec fusius evolvuntur (pg. 46—53).

tra definitionem vaticanam. Papa omniscius, impeccabilis, alter Dalailama, constitutio Ecclesiae eversa, status civilis periclitans! — istae aliaeque consimiles phrases undique perstreperunt. At mox primus aestus deferbuit, atque ex innumeris nimisque absurdis contra infallibilitatem pontificiam objectionibus paucae remanserunt. Dogma hocce, inquiunt, *novum, falsum, episcopatui iniuriosum civilique statui periculosum est.*

A. *Dogma novum!* Nam 1. non reperitur in antiquis regulis fidei Tertulliani, Cypriani, Augustini, Vincentii Lirinensis, in quibus Scriptura et traditio, non definitiones Pontificum ceu norma credendi statuuntur. 2. Exortis controversiis fidei episcopi non ad Sedem apostolicam, sed ad concilia provocarunt; in quibus 3. definitiones pontificiae examinae, ac 4. aliquando etiam reiectae sunt, ut constitutum Vigiliis a concilio oecumenico V., epistola Honorii a concilio VI., et definitiones Stephani a Cypriano aliisque episcopis africanis. 5. Sententia de R. Pontificis infallibilitate saec. 13. per s. *Thomam*, spuriis testimoniis deceptum, in scholas introducta est.<sup>1)</sup>

Resp. Nova est utique sollemnis et expressa dogmatis declaratio; at res ipsa, scilicet infallibile magisterium R. Pontificis, ex demonstratis tam antiqua est quam ipse primatus. — In specie respondeo ad 1. Regulae obiectae non sunt *exclusivae*, sed *positivae* (183); alioquin etiam conciliorum auctoritas neganda esset, quae ibi pariter expresse non commemoratur. Ceterum tum *Tertullianus* tum *Cyprianus* ad traditionem Ecclesiae Romanae provocant, tamquam ad argumentum catholicae veritatis;<sup>2)</sup> *Augustinus* vero expresse testatur, causam pelagianam per responsum Innocentii finitam, totam dubitationem de hac re sublatam et nullum amplius concilium necessarium esse.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Ita Döllinger, *Erwägungen für die Bischöfe des Conciliums über die Frage der päpstl. Unfehlbarkeit* (München 1869) et: *Einige Worte über die Unfehlbarkeitsadresse*. (Coll. Lacens. pg. 1474).

<sup>2)</sup> Cf. Tertull., *De praescr.* cc. 20. 21. 32. 36; Cypr., *De unit. Eccl.* n. 3, Ep. 45 et 55.

<sup>3)</sup> *Serm.* 131; l. 2 contr. duas ep. Pelag. c. 3 n. 5; cf. Prosper, *Contr. collat.* c. 21 n. 68. Idem Augustinus de haeresi ariana scri-

Ad 2. Falsum imprimis est, ad sedandas controversias fidei primis temporibus non fuisse provocatum ad sedem apostolicam. Ad tribunal Pontificis enim provocabatur in causa *Nestorii*, *Eutychetis*, *Monotheletismi*, *Pelagianismi*, immo in omnibus haeresibus; nec solum catholici, sed etiam haeretici ad apostolicam Sedem appellabant (387). Nihilominus facile concedimus, quod saepissime etiam ab ipsis Pontificibus conciliorum celebratio expositulata fuit. Cum enim Pontifex non sit propheta sed custos infallibilis depositi fidei, necesse est ut traditionem Ecclesiae inquiret, ad quem finem congregatio tot episcoporum peropportuna existit. Praeterea auctoritas *externa* Pontificis cum concilio longe maior est, quam *solius* Pontificis, atque ideo efficacior ad confundendos haereticos et confirmandos fideles. Unde ipsi Apostoli, certe infallibiles, non dedignati sunt, concilium Hierosolymis convocare.

Ad 3. Verum equidem est, definitiones Pontificum in conciliis nonnunquam examini subiectas fuisse. Attamen idem etiam circa decreta anteactorum conciliorum saepius factum est, quin aliquid contra eorum infallibilitatem deduceretur. Ista quippe examina non fuerunt *dubitativa*, sed *confirmativa*; videlicet «ut veritas clarius renitescat et fortius retineatur». <sup>1)</sup> Examen confirmativum Pontifices permiserunt, dubitativum expresse vetuerunt (412), neque concilia illud sibi unquam arrogaverunt. <sup>2)</sup>

Ad 4. Concilia Pontificum definitiones nunquam reiecerunt, sed reverenter susceperunt: «Petrus per Leonem locutus est», «per Agathonem Petrus loquebatur» (410). Exempli contraria ab adversariis prolata ad rem non sunt. *Vigilii constitutum* enim utique in synodo V. reiectum est ipseque Vigilius illud retractavit; at res agebatur non de fide nec de factis stricte dogmaticis, sed de errore personali Pontificis quoad Theodorum et Ibam, nec non de opportu-

---

bit (Serm. 120 n. 13): «Non crederis veram fidem tenere, quae fidem non doces esse servandam Romanam.»

<sup>1)</sup> Leo M., Ep. 120 ad Theodor. n. 1.

<sup>2)</sup> Cf. Schanz, Apologie 3 Bd. S. 494 f.

nitate damnationis eorundem.<sup>1)</sup> *Honorius* a conc. VI. non propter errorem in fide, sed propter consilium in illis adiunctis admodum importunum damnatus fuit; de quo postea. *Cyprianus* denique cum episcopis africanis non soli Pontifici, sed universae fere Ecclesiae restitit ac certe graviter, licet fortasse bona fide, erravit.<sup>2)</sup> Ceterum iuxta multos graves auctores decretum Stephani non fuit fidei definitio, sed praeceptum de servanda consuetudine.<sup>3)</sup>

Ad 5. Haec est mera calumnia. Angelicus Doctor enim infallibilitatem R. Pontificis ex promissione divina, ex eius munere atque ex textibus Patrum certe genuinis derivat. Si quando unus alterve textus spurius scriptis Scholasticorum irrepsit, iis nec unice nec primario ipsorum argumentatio innitebatur.

**B. Dogma falsum!** Et cur? Quia historia testatur, multos Pontifices reipsa errasse. Ex longo catalogo errantium, quorum primus iuxta Centuriatores magdeburgenses est ipse s. Petrus cum quindecim erroribus, praecipui notantur: Iulius I., Liberius, Innocentius I., Zosimus, Vigilius, Honorius, Gelasius I., Nicolaus I., Ioannes XXII. etc. 416

Resp. Ex longo isto catalogo imprimis omnes, praeter *Liberium* et *Honorium*, tuto seponere possumus; eo quod non agitur de definitionibus fidei ex cathedra, sed de erroribus, si qui sunt, mere privatis aut circa facta personalia. Hinc ipsi adversarii hodie non multum illos urgere solent.<sup>4)</sup> Sed et *Liberium* seponere licet, cum historice certissime constet, eum non subscripsisse formulae haereticae, et si tali formulae subscripsisset, eius lapsum mere personalem et vi extortum, minime vero definitionem fidei cathedram

<sup>1)</sup> Hergenröther, Kirchenlexikon, art. „Dreikapitelstreit“; Heffele, Conc.-Gesch. 2. Bd. 2. Aufl. S. 798—924.

<sup>2)</sup> Augustinus tamen Cyprianum excusare conatur, scribens (Ep. 93): «Non incongruenter de tali viro existimandum est, quod correxerit (suam sententiam) et fortasse suppressus sit ab iis, qui hoc errore nimium delectati sunt et tanto velut patrocinio carere noluerunt.» Cf. Grisar, Zeitschrift für kath. Theol. XV (1891) S. 193; cf. etiam Hurter n. 434.

<sup>3)</sup> Cf. Franzelin, De Tradit. th. 8; Iungmann, Dissertat. in hist. eccl. t. 1 diss. 4 (Ratisbonae 1880).

<sup>4)</sup> Cf. Bellarm., De Rom. Pontif. l. 4 c. 8—14, ubi de his erroribus suppositiis late agit.

pro universa Ecclesia fuisse.<sup>1)</sup> — Relinquitur ergo quaestio difficilior *Honorii*, quam iuxta probatissimos auctores compendiose proponimus et solvimus. Dicitur itaque:

1. Honorius in duabus epistolis ad Sergium datis approbat huius haeresiarchae doctrinam iubetque, in Christo *non dicendas esse duas voluntates et operationes*.

Resp. a. Verum equidem est, quod Honorius a Sergio deceptus docet, abstinendum esse ab *expressione* «duae voluntates et operationes»; at *rem* ipsam non negavit, ut ex ipso tenore epistolarum clare elucet. Scribit enim (ep. 2): quod oportet nos «pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas... praedicare *propria* operantes». Et: «Unam voluntatem fate-mur D. N. I. Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiosa natura.... Nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis.» Evidens igitur est, Honorium in Christo non negasse operationem et voluntatem *humanam* naturalem, sed rebellem seu concupiscentiam, ac in iudicio dumtaxat *prudentiali* errasse, dum scriberet: «Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea *grammaticis*.» Hoc certe iudicium satis imprudens fuit haeresimque nascentem non exstinxit, sed fovit; agebatur enim de re dogmatica, et non grammatica, quae non silentio consopiri, sed maturo examine discuti, declarari et contra fraudes novae haeresis defendi debuisset.<sup>2)</sup> Licet autem imprudens esset epistola, de eius orthodoxia tamen dubitare non licet, eamque etiam insignes auctores coevi, s. Maximus, Ioannes IV. etc. defenderunt.

<sup>1)</sup> Cf. Hefele, Conc.-Gesch. Bd 1 § 81; Grisar, Geschichte Roms und der Päpste Bd 1 S. 255 f. 281. 305 f.

<sup>2)</sup> Plures tamen auctores culpam Honorii subiective gravem non putant; cum ex textibus antiquis constet, eum ceteroquin virum sanctum fuisse. Certe eius epistola bonam fidem et candorem animi manifeste praesefert. Cf. Grisar, «Honorius I.», Kirchenlexikon Bd 6; Schneemann, Studien über die Honoriusfrage, Civiltà cattolica (1869) t. 9 pg. 431 et t. 10 pg. 415.

b. Posito etiam, Honorii epistolas haereticas fuisse, eae certe *non fuerunt definitiones ex cathedra*. Quamvis enim nulla determinata forma ad huiusmodi definitionem praescripta sit, per se tamen evidens est atque ab omnibus conceditur, voluntatem Pontificis obligandi sua definitione universam Ecclesiam certam esse fidelibusque innotescere debere. Haec conditio profecto ex natura legum generatim, et ex natura definitionis cathedratice speciatim elucet (403). Atqui Honorius definivit quidem duas naturas in Christo, quoad operationem vero a definitione consulto abstinet atque ad silentium oeconomicum hortatur: «*Hortantes vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes*» etc. (ep. 1); et in ep. 2: «*non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare*». <sup>1)</sup> Deficit etiam *promulgatio* necessaria; epistolae enim usque ad ipsius Honorii et Sergii obitum ignotae fuerunt. — Quamvis autem negemus, praefatis litteris characterem definitionis ex cathedra competere, nolumus tamen affirmare, eas mere *privatas* fuisse. Certe enim Honorius illas ut Pontifex scripsit; alioquin non excitassent tantum rumorem in Ecclesia. Verum inde nondum sequitur, epistolas veram definitionem fidei continere; sicut nec ea, quae a conciliis docentur, omnia de fide sunt.

2. Instant. Honorius ab ipso concilio VI. anathemate 417 percussus est tamquam haereticus.<sup>2)</sup> *Leo II.* vero hanc condemnationem approbavit. Idem fecerunt concilium VIII. et *Hadrianus II.*

Resp. Non defuerunt, qui epistolas Honorii et acta concilii spuria esse dicerent; sed non satis probabiliter. Data igitur Honorii damnatione per concilium VI. dicimus, eam tantum valere, in quantum approbata fuit, et non amplius. Atqui *Leo II.* Honorium non propter haeresim aut definitionem haereticam, sed propter negligentiam in extin-

<sup>1)</sup> Voluntatem utique *unam* dicendam esse scribit Honorius, at non unam physicam, sed moralem.

<sup>2)</sup> In act. XIII declaratur: «cum his (Sergio, Pyrrho) simul proiici a s. Dei Ecclesia simulque anathematizari providimus et Honorium, . . . quia in omnibus eius (Sergii) mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit».

guenda haeresi damnavit, videlicet, «quia hanc apostolicam Ecclesiam non conatus est apostolicae traditionis doctrina puram tueri, sed profana illa prodicione *immaculatam maculari permisit* (παρεχώρησε)»,<sup>1)</sup> seu quia «flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed *negligendo* confovxit».<sup>2)</sup> Ergo etiam concilii damnatio non maiorem vim habet.<sup>3)</sup> Accedit circumstantia maximi momenti. In eodem quippe concilio, in quo Honorius condemnatus fuit, tum Agatho Papa tum patres concilii infallibili magisterio R. Pontificis splendidissimum testimonium reddiderunt. Agatho enim in ep. ad Augustos<sup>4)</sup> asserere non dubitat, quod divino praesidio «apostolica (Rom.) Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est». Patres concilii vero has litteras, ut «a summo Apostolorum vertice divine perscriptas (Θεολογηθέντα)» agnoscunt;<sup>5)</sup> ac rursus in oratione ad imperatorem habita protestantur: «Charta et atramentum videbatur et per Agathonem Petrus loquebatur.»<sup>6)</sup> Ne igitur contradictio turpissima concilio imponatur, necesse omnino videtur, ut condemnationem Honorii ab ipso etiam concilio factam intelligamus vel de negligentia in extinguenda haeresi vel ad summum de haeresi personali; nequaquam vero de definitione erroris ex cathedra, per quam Sedes apostolica certo certius a via veritatis deflexa, ac doctrina de infallibilitate R. Pontificis nedum improbabilis, sed vix amplius catholica evasisset. Ipse Photius nunquam Honorium inter haereticos a concilio VI. condemnatos enumeravit.

Interim ex tota historia Honorii etiam hoc colligere licet, doctrinam de infallibilitate R. Pontificis non ex adulatione ortam esse, ut adversarii post Gersonium ingeminare solent. Ecclesia enim sui officii, quo erga s. Sedem obstringitur, optime gnara, non solum eius praerogativas agnovit;

<sup>1)</sup> In ep. confirmatoria.

<sup>2)</sup> In epist. ad epp. Hispan., Migne Patr. lat. 105, cf. 154.

<sup>3)</sup> Ceterum etiam haec temperata Honorii condemnatio, attenta eius culpa, valde severa videtur.

<sup>4)</sup> Migne 87, 1168.

<sup>5)</sup> Ibid. 87, 1248.

<sup>6)</sup> Mansi, Coll. conc. 11, 666.

sed etiam Paulum imitata *in faciem Cephae restitit, si quando reprehensibilis erat* (Gal. 2, 11).

C. *Dogma episcopatus iniuriosum!* In posterum enim 418 concilia: a. non erunt amplius necessaria, nec b. libera; nec c. episcopi erunt veri iudices fidei.

Resp. Nego assumptum. Rationes allatae enim nihil valent. Sane 1. Concilia posthac aequae necessaria erunt ac antea. *Absolute* quippe necessaria concilia nunquam fuerunt, quia alia praesto erant media agnoscendi veritatem, scilicet ordinarium magisterium Ecclesiae et decreta Pontificum: «Quid adhuc quaeris examen, dicit *Augustinus* ad Iulianum,<sup>1)</sup> quod iam factum est apud Sedem apostolicam?» Utique vero concilia *relative* necessaria fuerunt et erunt in posterum, eo quod nonnunquam adeo ingravescit et propagatur error, ut vix aliter quam per concilium universale remedium efficax praebeatur. Conventus namque tot venerandorum pastorum ex universa Ecclesia, mutuae eorum collationes, sollertissima veritatis inquisitio, communis consensus ac definitio unanimis profecto quam maxime conferunt ad confirmandos fideles et confundendos haereticos. Sic haud raro concilium efficere poterit id, quod solus Pontifex, etsi infallibilis, efficere non potest. — Aliquid simile habes in synodis dioecesanis, quae certe superfluae non sunt, licet tota auctoritas in solo episcopo resideat ipseque solus decreta synodalia condant. Multo ergo minus concilia generalia superflua erunt, quorum decretis etiam episcopi *definientes* subscribunt.

2. Item concilia erunt *libera*, sicut libera fuerunt temporibus anteactis. Nam, ut egregie disserit relator concilii, ep. Gasser, «concilia etiam in posterum ita habebuntur, ut de rebus in concilio pertractandis aut nulla praecedat definitio dogmatica Romani Pontificis, vel ut talis revera praecedat. In priore casu, si Papa propositiones integras integre concilio pertractandas relinquit, concilium plena sua libertate in Domino uti poterit; in posteriore casu concilium omnino id aget, quod in simili casu egerunt concilia generalia».<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Op. imperf. contr. Iulian. l. n. 103.

<sup>2)</sup> Coll. Lacens. pg. 397: «Exemplum, ita prosequitur cl. orator, sit Constantinopolitanum III. in sua agendi ratione cum epistola

3. Hinc episcopi etiam in posterum in conciliis sententiam dicent tamquam veri iudices, utique *subordinati* et *dependentes* a definitiva sententia vel approbatione Pontificis; prouti etiam temporibus anteactis ab ea dependebant.

419 D. *Dogma statui periculosum!* Si e. g. Pontifex declaret, *bonum religionis* postulare, ut alicubi forma regiminis mutetur, vel ut subditi catholici e ditione regis acatholici eximantur, vel ut deputati catholici in comitiis publicis suffragia pro certa aliqua lege ferant etc.: iam omnes catholici huiusmodi declarationes propter earum connexionem

---

dogmatica Papae Agathonis. Priores septem actiones huius concilii occupabant quaedam praeambula, id est, lectio documentorum, quae concilium concernebant. Ad finem actionis septimae legati Romani Pontificis postularunt, ut Patres concilii declararent, utrum consentiant suggestioni seu epistolae Agathonis. Haec declaratio promissa fuit pro actione sequente. In actione itaque octava Patres concilii declararunt: «Ita, Domine (ad imperatorem conversi) profiteor, et sic credo, quemadmodum habent suggestiones sanctissimi Papae antiquae Romae Agathonis.» (Labbe, Coll. concil. t. 7 col. 758, ed. Venet. Coleti.) Haec ergo declaratio certe nihil aliud fuit, nisi iudicium verae et fidelis adhaesionis. Cum vero Macarius Antiochenus, qui postmodum etiam definitionibus concilii pertinaciter contradixit, his non acquiesceret, Patres concilii, ut omnibus dubitationibus satisfacerent, ipsi et asseclis suis permiserunt, ut allatis testimoniis Patrum, opinionem suam defenderent. Haec testimonia examini et iudicio subiecta inventa sunt partim spuria partim mutilata, et proinde a concilio fuerunt reiecta. His opposita sunt testimonia s. Scripturae et Patrum, quae epistolae Papae Agathonis adiecta erant; haec quoque examine instituto cum omnibus optimis codicibus collata fuerunt. Cum iam luce clarius apparerent illa integra, authentica et probantia, concilium devenit ad definitionem synodalem de duplice in Christo voluntate et operatione; et in hac definitione, ut expressis verbis dicit sacra synodus, epistolam Papae Agathonis iterum veluti normam vivam ante oculos positam habuit. Sic ergo sacra synodus solenni iudicio obedientiam Romano Pontifici debitam cum sua libertate conciliavit, ut vere (sunt verba s. Leonis de concilio chalcedonensi) a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis iudicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra concordent. (Inter opp. s. Leonis t. I, epist. CXX ad Theodoret. episc. Cyri, pg. 1219, ed. Baillet). In hac concordia membrorum cum capite resplendet clarissime assistentia Spiritus sancti Ecclesiae promissa. Sic egit s. synodus VI., et sic omnes aliae egerunt.» Cf. Granderath-Kirch, Geschichte des Vatik. Konzils Bd 3 S. 466 ff.

cum religione ut infallibiles acceptare tenebuntur. Quis autem non videt, hoc modo theocratiam illam universalem inaugurari, quam Pontifices medii aevi omni conatu ambierunt, et *Bonifatius VIII.* in Bulla «Unam Sanctam» ex cathedra definivit? Idcirco mirum non est, quod gubernia definitioni infallibilitatis pontificiae tantopere restiterunt.

Resp. 1. *Indirecte.* Tantum abest, ut gubernia ex hoc dogmate sibi timere debeant, ut potius de legitima sua potestate per illud securiores reddantur. Infallibilitatis charisma enim certissimum pignus est, quod Pontifices nunquam aliquid ordini divinitus instituto contrarium definient. Atqui hic ordo binas potestates non solum ab invicem distinctas, sed in suo ambitu ab invicem independentes et supremas postulat (306, 2). Certissimum igitur est, Pontifices nunquam aliquid contrarium huic doctrinae catholicae definituros esse. Profecto plenitudo potestatis pontificiae sine charismate infallibilitatis longe periculosior esset, quam cum hoc charismate.

Resp. 2. *Directe.* De fide est, Ecclesiam infallibilem esse in custodia depositi fidei. Quoad veritates cum revelatione connexas ex communi sententia Theologorum Ecclesia pariter infallibilis est; licet hoc de fide non sit. Ad hoc obiectum secundarium revelationis pertinet etiam *regimen Ecclesiae*. Infallibilitas ergo Ecclesiae in hoc regimine eatenus affirmanda est, quatenus nulla lex omnes christifideles obligans aliquid continere possit fidei bonisque moribus vel religioni et Ecclesiae contrarium aut nocivum. Nequaquam autem hoc credere debemus de omnibus legibus aut decretis *particularibus* Ecclesiae, multoque minus credere tenemur, huiusmodi leges semper omnium *optimas, utilissimas* atque adeo *prudentissimas* esse (332). Atqui ex definitione vaticana infallibilitas R. Pontificis tam late patet, quam late patet infallibilitas Ecclesiae. Ergo in specie infallibilitas R. Pontificis quoad regimen Ecclesiae accipienda est *cum omnibus illis restrictionibus*, quae circa infallibilitatem Ecclesiae valent. — Haec autem dicta esse volumus, non ut auctoritati huiusmodi decretorum R. Pontificum quidquam detrahatur, quod absit; sed ut praetextus malevolis pracludatur, dogma infallibilis magisterii R. Pon-

tificis calumniandi, ut nuperrimis hisce temporibus factum est.

## CAPUT V.

### De relatione R. Pontificis ad concilia, ad episcopos et potestatem saecularem.

420 Pro complemento doctrinae de Ecclesia eiusque capite synoptice colligere breviterque exponere iuvat, quae in decursu tractationis de relatione R. Pontificis ad *concilia*, ad *episcopos statumque civilem* obiter et sparsim diximus.

## ARTICULUS I.

### De relatione summi Pontificis ad concilia.

#### I. De conciliis in se spectatis.

1. *Notio.* Concilium ecclesiasticum (*σύνδοξ*) generatim est *legitimus conventus pastorum Ecclesiae ad ordinandas res ecclesiasticas institutus*. Distinguitur concilium in *universale* et *particulare*, quatenus ex episcopis totius Ecclesiae vel tantum ex determinata parte coalescit. Universale, si approbatione Pontificis gaudet, oecumenicum dici solet; si ea destituitur, mere *generale*. Concilia particularia in *nationalia*, *provincialia* et *dioecesana* dispescuntur.<sup>1)</sup>

421 2. *Origo* conciliorum in radice seu in *potentia* certe divina est. Ex institutione namque divina hierarchiae ecclesiasticae in collegio Petro-apostolico sequitur manifesto, successores huius collegii etiam in concilium convenire *posse* ad negotia ecclesiastica tractanda. Non sequitur autem necessario, eos convenire *debere*, cum alii suppetant modi, quibus Ecclesiae provideatur. Verba Christi (Matth. 18, 20): *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, certe convenienter conciliis ecclesiasticis accommodari possunt, atque a Patribus haud raro eisdem revera applicantur. At positiva divina institutio conciliorum ex his verbis non demonstratur. Non improbabilius tamen putat *Bellarminus*,<sup>2)</sup> Apostolos admonente

<sup>1)</sup> Elenchum conciliorum oecumenicorum exhibuimus n. 12.

<sup>2)</sup> De concil. et Eccl. 1. 1 c. 3.

Spiritu sancto primum concilium congregasse, ideoque dixisse: *Visum est Spiritui sancto et nobis*.

3. *Membra concilii*. Protestantes, qui omnem hierarchiam ipsumque discrimen inter clericos et laicos e medio tollunt, consequenter docent, etiam laicos ad concilia vocandos esse ibique suffragium decisivum habere. Cum principium protestantismi falsum sit (301 sq), etiam consequentia superstructa ruit. Protestantes ne unum quidem legitimum concilium proferre possunt, in quo laici cum clericis indiscriminatam sententiam tulerint. Immo nedum laici, sed etiam simplices clerici e conciliis excludebantur. Cum in concilio *Chalcedonensi* sacerdotes et monachi se intrudere conarentur, exclamatum est (act. 1): «Synodus episcoporum est, non clericorum! Foras mitte superfluos.» Protestantes provocant quidem ad Act. (15, 6): *Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc*; et infra (v. 22): *Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia*. At immerito. Plebs enim concilio Hierosolymitano interfuit quidem, sed suffragia dedisse non legitur; immo soli Apostoli Petrus, Paulus, Barnabas et Iacobus ab Evangelista loquentes inducuntur.

Quinam ergo sunt membra concilii oecumenici, et quinam ad illud convocari debent? Responsio patet ex concilii natura. Semper enim concilia considerabantur tamquam representatio Ecclesiae regentis atque docentis. Ex hoc autem principio sequitur: a. primum membrum seu potius *caput concilii* esse Pontificem, quippe qui sit totius Ecclesiae caput et omnium Christianorum pater ac doctor (conc. Florentinum). — b. Praeter Pontificem necessario quoque ad Concilium vocari debent successores Apostolorum, scilicet *episcopi*, qui a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28). An etiam episcopi *titulares*, qui nullam iurisdictionem sed ordinem dumtaxat episcopalem habent, convocari debeant, olim controversum erat. Ex iure vigente vocari *possunt* et obtinent suffragium deliberativum aequae ac episcopi residentiales, nisi aliud in convocatione expresse caveatur.<sup>1)</sup> — c. Porro ex iure ecclesiastico

<sup>1)</sup> Cod. iur. canon. Can. 223 § 2.

conciliis intersunt *cardinales*, etiam si non sint episcopi. Cum enim cardinales senatum Pontificis, qui eorum consilio in regimine Ecclesiae utitur, constituent, certe condecet, ut etiam conciliis intersint. — d. Ex antiqua consuetudine etiam *abbates* iurisdictionem quasi episcopalem habentes, ac *generales* ordinum religiosorum vocantur votumque decisivum habent. — e. Accersuntur etiam *theologi* ad praeparandas et discutiendas quaestiones. — f. Aderant quoque saepissime *principes* aut eorum legati, non ad tractandas res ecclesiasticas, sed ad tutelam ac politiam externam.<sup>1)</sup> — *Patres concilii* dicuntur ii omnes et soli, quibus ius ferendi suffragium deliberativum, non tantum consultivum competit.

Ceterum observare oportet, ius suffragii decisivi in conciliis magis ad potestatem *iurisdictionis* quam ordinis pertinere. Concilium enim est congregatio legislativa, quae sua decreta etiam in rebus fidei, per modum legis edere solet. Hinc est, quod episcopi electi, sed nondum consecrati ad concilium vocandi sunt. Hinc est etiam, quod Papa, in quo est plenitudo potestatis ecclesiasticae, ius suffragii conciliaris etiam iis communicare potest, qui iure proprio illud non habent.

- 423 4. Concilii *auctoritas* generatim et *infallibilitas* specialiter probatur: a. omnibus illis argumentis, quibus probatur suprema potestas legifera et infallibilitas ipsius Ecclesiae. Concilium enim ex dictis est legitima repraesentatio Ecclesiae; unde una eademque potestas conciliis et Ecclesiae competit. Idem consequitur ex institutione *magisterii authenticum*, per quod revelatio infallibiliter custoditur. Nulla etenim habetur manifestatio et repraesentatio magis adaequata huius magisterii authenticum, quam concilium oecumenicum.<sup>2)</sup> — b. Primum concilium Hierosolymis celebratum revera supremam auctoritatem et infallibilitatem sibi vindicavit verbis (Act. 15, 28): *Visum est Spiritui sancto et nobis*. Hinc Paulus et Timotheus „cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Ierosolymis“ (Act. 16,

<sup>1)</sup> Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 131.

<sup>2)</sup> Cf. quae de hac materia diximus nn. 169. 180 sqq.

4). Hocce concilium Apostolorum autem norma fuit ac typus pro omnibus subsequentibus conciliis; quae eandem sibi auctoritatem adscripserunt eosque omnes ab Ecclesiae communione separarunt, qui suis definitionibus et decretis resistere ausi sunt. — c. Hanc fidem passim professi sunt Patres: «Verbum Dei, inquit *Athanasius*,<sup>1)</sup> per oecumenicam synodum Nicaenam manet in aeternum.» *Ambrosius*<sup>2)</sup> ait: «Sequor tractatum concilii Nicaeni, a quo nec mors nec gladius me separabit.» *Gregorius Naz.*,<sup>3)</sup> *Basilius*,<sup>4)</sup> *Cyrillus Alex.*,<sup>5)</sup> *Leo M.*<sup>6)</sup> conciliorum definitiones expresse Spiritui sancto adscribunt; *Gregorius M.*<sup>7)</sup> denique protestatur: «Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor.»

Opponunt α) *Gregorium Naz.*<sup>8)</sup> dicentem: «Omnem episcoporum conventum fugio, quoniam nullius concilii finem faustum et laetum vidi.» Respondeo breviter, *Gregorium* loqui de conciliabulis Arianorum. — β) Opponunt *Augustinum*<sup>9)</sup> pronuntiantem «concilia plenaria saepe priora (a) posterioribus emendari». Resp. *Augustinus* loquitur de conciliis nationalibus, quae quandoque sensu latiore plenaria appellabantur.

5. *Necessitatem et utilitatem* conciliorum iam tetigimus 424 (418). Ea huc redit: a. Concilia non sunt absolute necessaria; nec necessitate *praecepti*, quia nullum tale exstat; nec necessitate *medii*, quia aliis mediis Ecclesiae exigentiis provideri potest. Unde *Augustinus*:<sup>10)</sup> «Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta perniciēs damnaretur? Quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit.» Et revera integra saecula effluxerunt, quibus nullum celebratum fuit concilium universale. — b. Concilia

1) Ep. ad African.

2) Ep. 21 al. 32.

3) Ep. 1 ad Cledon. (or. 41).

4) Ep. 125.

5) Ep. ad Ioan. Antioch.

6) Ep. 106.

7) Ep. l. 1, 25.

8) Ep. 55 al. 130 ad Procop.

9) De baptis. l. 2 c. 3.

10) Contr. duas ep. Pelag. l. 4 c. ult.

sunt «saepe in summis christianae reipublicae periculis *remedium optimum atque opportunissimum*», ut in Bulla indictionis concilii Tridentini dicitur. Utilitas conciliorum apparet ex sollertiore *inquisitione* tam veritatis quam erroris, ex maiore *solemnitate* definitionum, ex luculentiore *evidentia* promulgationis ac demum ex faciliore et efficaciore *executione* decretorum conciliarium.

425

6. *Conditiones* requisitae ad concilium oecumenicum optime, ut Bellarminus<sup>1)</sup> advertit, ex iis conciliis desumuntur, quae omnium consensu oecumenica fuerunt, qualia sunt quatuor prima. Requiritur videlicet: a. *evocatio generalis*, ita ut innotescat omnibus maioribus christianis provinciis. Id enim constat semper fuisse servatum, ita ut synodus VII. (act. 6) ideo iudicaverit concilium constantinopolitanum contra imagines non fuisse generale, quia non exiit sonus eius in omnem terram. Haec evocatio ad omnes episcopos, praepriis ad patriarchas fieri debet. — b. Ut ex diversis partibus Ecclesiae numerus conspicuus episcoporum *actu conveniat*. Hoc autem moraliter intelligendum est. Non enim requiritur *certus numerus* episcoporum neque *repraesentatio omnium partium* Ecclesiae. Sic ad prima concilia, quae in Oriente celebrabantur, vix unus alterve episcopus ex Occidente venerat; e contrario ad concilia Occidentis pauci aderant episcopi orientales. Constat etiam, nonnullis conciliis nationalibus plures interfuisse episcopos, quam conciliis oecumenicis. Sic in synodo II. fuerunt tantummodo centum quinquaginta, in conc. carthaginiensi tempore Augustini habito amplius ducentis.<sup>2)</sup> — c. Quoad *celebrationem* concilii ante omnia requiritur libertas suffragiorum, ut per se liquet. Porro libertati repugnant quidem fraudes, vis et metus; sed non repugnat legitima auctoritas R. Pontificis, qua actiones et definitiones concilii intra certos limites continentur (418). Requiritur insuper, ut concilium habeat formam *iudicii*, non tantum *inquisitionis*;<sup>3)</sup> sicut iam in concilio apostolico primo facta est *inquisitio et conquisitio magna* (Act. 15, 7), in fine autem *decreta*

<sup>1)</sup> De concil. l. 1 c. 17.

<sup>2)</sup> Cf. s. Prosper. in chronico a. 420.

<sup>3)</sup> Cf. Bellarm. c. 17 et 18.

sunt dogmata ab Apostolis et senioribus (16, 4; 15, 28). Hinc episcopi conciliis intersunt non solum ut testes traditionis, sed tamquam *legislatores, doctores et iudices*, atque ut tales subscribunt: *definiens subscripsi* (ὁρίσας ὑπέγραψα). Pontifex vero utitur formula: sedentibus nobiscum et *iudicantibus* universi orbis episcopis (conc. Vatic. Sess. III), vel similibus. — Nequaquam autem ad legitimum concilium *unanimitas votorum* requiritur, neque ex natura rei neque ex traditione. Sic in conc. *Nicaeno I.* contradixerunt episcopi ariani, in *Constantinop. I.* macedoniani, in *Ephesino* quadraginta episcopi nestoriani et amplius restiterunt.<sup>1)</sup> — d. Ex parte denique summi Pontificis convocatio, praesidium et confirmatio concilii requiritur. Huius conditionis necessitatem expresse iam declarare et demonstrare oportet.

## II. De relatione R. Pontificis ad concilia.

**Thesis 116.** *Solus Pontifex vi primatus potestate pollet, concilia oecumenica convocandi, eis praesidendi eaque confirmandi. Nullum ergo concilium sine Pontificis auctoritate legitimum esse potest.* 426

*Declaratio.* a. *Convocatio* conciliorum multipliciter fieri potest: *auctoritative*, dum is, qui iurisdictione in episcopos pollet, eos convenire iubet ad res fidei ac negotia universae Ecclesiae tractanda; *ministerialiter* ab iis, qui convocationem auctoritativam exequi curant; *exhortatorie* ab iis, qui celebrationem concilii suadent; *materialiter* ab iis, qui patribus ad celebrandum concilium urbem assignant, media itineris et sustentationis praebent, securitatem contra malevolos procurant etc. — b. Variis item modis aliquis coetui cuidam *praesidere* potest: vel auctoritative ut *caput*, vel ut *protector*, vel ut *director* e. g. in comitiis, vel mere ut *praeses honoris*. Praeterea praesidium aut in *persona* aut per *legatos* exerceri potest. — c. Denique etiam *confirmatio* aliter atque aliter fieri potest: imprimis *formaliter* seu *auctoritative* ab eo, qui decretis concilii intrinsicum et definitivum valorem tribuit; *adhaesive*, quatenus

<sup>1)</sup> Cf. Hefele, Conc.-Gesch. Bd 1 S. 272; Bd 2 S. 8. 166 ff.

consensus decretis concilii debitus publice declaratur; *materialiter* et *extrinsece*, quatenus decreta concilii, debita iam vestita auctoritate, etiam efficaciter executioni mandantur.<sup>1)</sup>

His positis R. Pontifici vindicamus respectu concilii ius *convocationis*, *praesidentiae* et *confirmationis auctoritativae*. Hoc ius ei vindicamus tamquam proveniens ex *ipsa natura primatus*, non ex consuetudine vel concessione humana; et tamquam ius Pontifici *soli* proprium. Ut igitur concilium aliquod in toto suo decursu legitimum sit, convocari debet, praesideri et confirmari a summo Pontifice. Quodsi convocatio vel praesidium Papae desideratur, celebratio talis concilii legitima non est; at defectus sanari potest per subsequentem pontificiam approbationem, quemadmodum e. g. in synodo II. factum est. Quando vero aliquid concilium Pontificis legitimatione et autorizatione, si ita loqui fas est, prorsus destituitur, multoque magis, si a Pontifice positive reprobatur: tale concilium, inquam, nunquam oecumenicum esse potest, quantocunque episcoporum numero fulgeat.

- 427 *Demonstratio*. 1. Thesis ante omnia  $\alpha$ ) sequitur ut corollarium ex doctrina de primatu, vi cuius R. Pontifex habet potestatem supremam, plenam et episcopalem in universam Ecclesiam aequae ac in singulos episcopos. Sicut ergo episcopus cogere potest presbyteros ad celebrandum synodum dioecesanam, ita summus Pontifex obligare potest episcopos ad celebrandum concilium generale.  $\beta$ ) Item. Pontifex est caput universae Ecclesiae (conc. Florentinum). Ergo est etiam caput concilii, quod est legitima repraesentatio Ecclesiae.  $\gamma$ ) Rursus. Auctoritativa convocatio, praesidentia ac confirmatio concilii oecumenici sunt actus supremae potestatis ecclesiasticae. At haec soli Pontifici et quidem vi primatus competit.  $\delta$ ) Idem denique per exclusionem probatur. Praefati actus enim nequeunt pertinere ad potestatem caesaream, quippe quae circa fidem, mores aliasque res ecclesiasticas nihil valeat; neque episcoporum proprii esse possunt, cum nullus episcopus sit pastor universae

<sup>1)</sup> Cf. Mazzella n. 1043.

Ecclesiae nullusque in omnes alios episcopos iurisdictionem habeat. Multo minus pertinere possunt ad plebem fidelium. Nemo alius ergo in Ecclesia est vel fingi potest, qui auctoritatem in concilia habeat, praeter Papam.

2. Pontifices hoc ius sibi vindicarunt illudque Ecclesia agnovit. Quoniam de posterioribus conciliis nullum dubium moveri potest, sufficiat nonnulla testimonia ex aera primorum octo conciliorum afferre. Interventus auctoritativus Pontificis *Silvestri* in concilio *Nicaeno I.* inter alia argumenta elucet ex sermone prosphonetico synodi VI. (act. 18): «Continuo Constantinus semper Augustus et Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicaea synodum congregabant.»<sup>1)</sup> Eidem praesidebant legati Pontificis, *Hosius* episcopus cordubensis cum duobus presbyteris romanis, *Vito et Vincentio*, qui et primi ante patriarchas subscripserunt.<sup>2)</sup> Teste *Socrate*,<sup>3)</sup> *Iulius I.*, qui paucis annis post Silvestrum Ecclesiam gubernavit, auctoritatem R. Pontificis quoad concilia saepius urgebat: «(Iulius) rescribens episcopis, qui Antiochiae convenerant, graviter conquestus est.... quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, *cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam R. Pontificis quidquam ab ecclesiis decerneretur.*»<sup>4)</sup>

Concilium II. (*Constantinop. I.*) nec a Pontifice convocatum nec celebratum, utique vero quoad partem dogmaticam, de divinitate et processione Spiritus sancti a Patre, confirmatum est a *Damaso*; ut inter alios ipse Photius auctor graeci schismatis testatur.<sup>5)</sup> — Concilium *Ephesinum* materialiter quidem coactum fuit ab imperatore Theodosio; at *Coelestinus* Papa concilio auctoritatem et formam (*τὸν τύπον*) dedit. Hoc patet ex iudicio, quod Pontifex de Nestorio iam fecerat; ex instructione, quam legatis suis dederat, non disceptandi sed iudicandi; ex epistola ad synodum,

<sup>1)</sup> Alia argumenta vide apud Iungmann, Dissert. select. t. 1 diss. 1 pg. 422 sqq (Ratisbonae 1873).

<sup>2)</sup> Cf. Iungmann I. c. pg. 425 sqq.

<sup>3)</sup> Hist. eccl. I. 2 c. 17.

<sup>4)</sup> Cf. Gutberlet, Apologetik Bd 3 S. 173 ff.

<sup>5)</sup> De Spirit. s. doctrina sive Mystagogia n. 18 (ed. Migne).

qua ei praecipit, ut «ea, quae a nobis antea statuta sunt, exequantur»; ac demum ex responsione ipsius synodi: «Formam illam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque iudicium in illum (Nestorium) proferentes», quia Coelestinus «etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit». Quare merito concludit cl. *Hefele*, patres concilii Ephesini non quidem litteraliter, sed sensu eminentiore, a Pontifice convocatos fuisse.<sup>1)</sup> Celebratio concilii enim non consistit in consessu materiali episcoporum, sed in tractatione auctoritativa negotiorum ecclesiasticorum. Hanc potestatem autem episcopi a Coelestino, non a Theodosio acceperunt.

Ex synodo *Chalcedonensi* auctoritas Papae magis adhuc elucet. Imperator Marcianus scribit *Leoni M.*: «quatenus omni impio errore sublato per celebrandam synodum te auctore (σοὺ ἀνθεντοῦντος) maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicae fiat». His verbis caesar diserte agnoscit Pontificis auctoritatem in synodos.<sup>2)</sup> Ipse *Leo M.* scribit:<sup>3)</sup> «generale concilium et ex praecepto christianorum principum et ex consensu apostolicae Sedis placuit congregari». Episcopi Moesiae testantur, multos episcopos Chalcedone convenisse «per iussionem Leonis, R. Pontificis, qui vere caput episcoporum».<sup>4)</sup> In eadem synodo damnatur *Dioscorus*, «quod synodum ausus sit facere citra sententiam throni apostolici, quod nunquam licuit, nunquam factum est».<sup>5)</sup> Ab eodem Leone patres Chalcedonenses petunt confirmationem can. 28 de praerogativa sedis constantinop.: «Rogamus, et tuis decretis nostrum honora iudicium, et sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet, adimpleat.»<sup>6)</sup> Idem petit Marcianus imperator; sed Leo confirmationem

<sup>1)</sup> Conc.-Gesch. Bd 1 S. 10.

<sup>2)</sup> Frustra nonnulli vim testimonii enervare putant, coniungendo verba «te auctore» cum sequentibus. Leo enim non esset auctor pacis mediante synodo, nisi synodus per ipsum celebrata fuisset (cf. *Wilmers*, Geschichte der Religion (Münster 1891) Bd 1 S. 418).

<sup>3)</sup> Ep. 114.

<sup>4)</sup> Hard. t. 2 pg. 710.

<sup>5)</sup> Ibid. t. 2 pg. 68.

<sup>6)</sup> Inter ep. Leon. 98 et 110.

huius canonis recusavit, et «cuncta acta illius synodi (circa hunc canonem) Sede contradicente apostolica soluta sunt», ut Gregorius M. scribit.<sup>1)</sup>

Patres synodi VI. *Agathonem* rogant: «Orthodoxae fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicamus, quam ut iterum per honorabilia rescripta *confirmetis*, vestram oramus sanctitatem.» De synodo VII. scribit *Hadrianus I.* ad Carolum M.<sup>2)</sup>: «Et sic synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt.» Eadem synodus VII. (act. 6) reiecit concilia coacta ab imperatoribus Leone et Constantino iconomachis, quia «adiutorem non habuerint illius temporis R. Papam vel eos, qui circa ipsum sunt sacerdotes per vicarios eius, nec per encyclicam epistolam, *quemadmodum dictat lex conciliorum*». Quoad synodum VIII. Anastasius bibl. dicit ad *Hadrianum II.*: «Iussisti fieri Constantinopoli synodum.»<sup>3)</sup>

3. Ex his patet, iure merito *Gelasium I.* de synodis universim pronuntiasse:<sup>4)</sup> «Totum est in Sedis apostolicae positum potestate. Ita quod firmavit in synodo (Chalcedonensi) Sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem; et sola rescindit, quod praeter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum.» Et ad episcopos Dardaniae:<sup>5)</sup> «Sedes apostolica et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit pro suo scilicet principatu.» Item *Nicolaus I.* ad Michael. imp.:<sup>6)</sup> «Non ergo dicatis, non eguisse vos in causa pietatis R. Ecclesiae, quae collecta concilia sua auctoritate firmat, sua auctoritate custodit. Unde quaedam eorum, quia consensum R. Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.» — Revera plura concilia, licet frequentissima, a Pontificibus cassata sunt; e. g. a Liberio *Ariminense*,<sup>7)</sup> a Leone *Ephesinum*.<sup>8)</sup> Alia partim approbata,

<sup>1)</sup> L. 5 ep. 21.

<sup>2)</sup> Hard. t. 4 pg. 818.

<sup>3)</sup> In praefat. ad act. conc. (Hard. t. 5 pg. 754).

<sup>4)</sup> Tr. 4 de anath. vinc. n. 9.

<sup>5)</sup> Ep. 26 n. 3.

<sup>6)</sup> Ep. 86.

<sup>7)</sup> Cf. Damas. ep. 3 ad Orient. n. 1.

<sup>8)</sup> Leo «impiam synodum non consentiendo submovit» (Gelas. ep. 13).

partim reprobata sunt, e. g. *Francofordiense*, *Constantiense*.

- 428 **Obiectio.** *Prima octo concilia ab imperatoribus* indicta sunt, et quidem *facto* et *iure*. Nam  $\alpha$ ) concilia non solum bono Ecclesiae, sed etiam bono reipublicae, quod ab unitate et tranquillitate religiosa quam maxime dependet, inserviunt. Ergo concilia non ut conventus mere ecclesiastici, sed etiam quasi comitia saecularia considerari debent; ideoque tam a potestate ecclesiastica, quam politica dependent. —  $\beta$ ) Litterae indictionis primorum conciliorum evidenter manifestant, imperatores iure proprio concilia coegisse. Hoc sensu *Constantinus M.* se ἐπίσκοπον τῶν ἐκτός nominavit.<sup>1)</sup> —  $\gamma$ ) Quod vero in hac causa caput est, ipsi Pontifices ac synodi ius convocationis tamquam proprium imperatorum agnoverunt; tum negative, non reclamando contra indictionem caesaream, tum positive, eam approbando. Sic *Coelestinus* scribit ad Theodosium, se per legatos synodo (Ephesinae) interesse, «quam esse iussisti»;<sup>2)</sup> *Leo M.* petit a Theodosio, ut «generalem synodum iubeatis intra Italiam celebrari». <sup>3)</sup> Idem *Leo* acceptavit synodum a Marciano contra ipsius voluntatem Chalcedone congregatam.<sup>4)</sup> Similia testimonia de singulis primis octo conciliis prostant. —  $\delta$ ) Argumenta vero, quae a Bellarmino aliisque in contrarium afferuntur, criticam historicam non sustinent. Sic e. g. testimonium synodi VI. (sermo prosphon.) pro convocatione synodi Nicaenae per Silvestrum non est efficax, tum propter distantiam temporis inter concilium I. et VI., tum quia sermones prosphonetici non debent litteraliter sumi. Similiter historica veritas et critica non permittit, ut verba Leonis superius allata: «generale concilium et ex praecepto christianorum principum et ex consensu apostolicae Sedis placuit congregari,» et verba *Hadriani I.*: «et sic synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt», litteraliter de congregatione concilii sumantur. Ergo ius

---

<sup>1)</sup> Euseb., *Vita Const.* IV, 24.

<sup>2)</sup> Hard. t. 1 pg. 1473.

<sup>3)</sup> Ep. 44 c. 3.

<sup>4)</sup> Ep. 83.

convocandi concilia saltem non est exclusive proprium Romanorum Pontificum.

Resp. Concedo ante omnia, saltem plura ex primis conciliis *facto* ab imperatoribus convocata fuisse. An etiam *iure*? Resp. *Dist.*: imperatores id fecerunt iure proprio, primario et independente a R. Pontificibus, *N.*; iure proprio sed dependente, *SD.*: si concilia spectantur quasi quaedam comitia publica imperii, *Tr.*; si concilia *formaliter* ut synodi episcoporum ad tractanda negotia religionis habitae considerantur, *N.* — Responsio ex argumentis prius allatis colligitur. *α*) Concilia enim formaliter i. e. natura sua sunt conventus Ecclesiae, ideoque a suprema auctoritate ecclesiastica convocari debent; sicut synodi dioeclesanae ab episcopis, et synodi provinciales a metropolitibus congregantur. Sub hoc respectu ergo, sicut Ecclesia ipsa, ita et concilia ab imperatoribus independentia sunt; et si quando caesares in negotia religiosa conciliorum, ut saepe contigit, se immiscuerunt, id non fecerunt iure caesareo, sed arrogantia caesaropapistica. *β*) Nihilominus aliquis interventus auctoritatis publicae, praesertim quo tempore Pontifices dominio temporali carebant et ipsi cum episcopis caesaris subditi erant, nedum licitus sed necessarius erat. Requirebatur scilicet permissio caesarea, tam numerosum et publicum conventum celebrandi, assignatio loci opportuni ad celebrandum concilium, munificentia in solvendis expensis necessariis, ac saepe etiam praesidium armatum contra seditiosos, qui non minus tranquillitatem publicam quam religionem impetebant. *γ*) Quamquam vero talis interventus imperatorum in celebrandis conciliis merito concedi possit ac porro debeat, nollem tamen simpliciter dicere, caesares aliquando iure proprio et independente a R. Pontifice concilia convocasse. Concilia enim semper fuerunt synodi ecclesiasticae, et nonnisi abusive et valde improprie comitia imperialia (Reichstag) nominari possunt.

Hac animadversione generali praemissa, respondeo breviter ad argumenta addita. Ad *α*): *Conc. antecedens*, et *N. consequens*. Licet enim a conciliis etiam bonum civile dependeat, hoc tamen eorum naturam non immutat. Certe, etiam sacramenta et praedicatio verbi Dei ad bonum rei-

publicae maxime conducunt, quin inde inferre liceat, ea subesse potestati politicae. — Ad  $\beta$ ) Ex litteris, quibus caesares prima concilia convocabant, apparet eorundem persuasio, se iure proprio id facere, *Tr.*; sequitur, eos *revera* iure originario et independente id fecisse, *N.* — Ad  $\gamma$ ) et  $\delta$ ): Pontifices non reclamabant contra convocationem caesaream conciliorum ex prudente oeconomia tunc temporis necessaria, *C.*; ex persuasione ipsis insita et tunc vigente, imperatoribus tale ius *revera* competere, *N.* Id enim in allatis testimoniis non dicitur. Sic Coelestinus de facto loquitur, quod nimirum Theodosius synodum Ephesinam «esse iussit»; quo iure id fecerit, non examinat. Leo petit ab eodem, ut «generalem synodum intra Italiam celebrari iubeat»; sed ipsa petitio Pontificis demonstrat ipsius consensum. Iure autem haec et similia testimonia ita explicari, tum ex natura rei tum ex ipsa historia (427, 2) apparet. Etenim testimonia synodi VI., Leonis M., Hadriani ac multa alia, quibus congregatio conciliorum vel solis Pontificibus vel «praecepto principum et consensui apostolicae Sedis» tribuitur, talia sunt, ut sana critica ea enervare non valeat. Sana, inquam critica; scilicet talis, quae vim argumenti negativi ex silentio testium coaevorum petiti iusto plus non extollit, neque certitudinem historicam ab existentia documentorum originalium unice dependentem facit, sed aliis etiam testimoniis sive scriptis sive oralibus valorem debitum ac proportionatum concedit.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> De hac quaestione optime scripserunt Bellarminus, Hefele, Scheeben, Jungmann, Wilmers aliique. Controversia desuper exorta inter Funk, Schmid, Höhler statum quaestionis amplius illustravit doctrinamque catholicam de iuribus Pontificis quoad concilia non infirmavit, sed potius confirmavit. Cf. Funk, Die Berufung der ökumen. Synoden des Altertums, Histor. Jahrbuch der Görres-Gesellschaft XIII (1892) S. 689—723, praesertim S. 719. Cf. etiam XV (1894) S. 505—512; et Funk, Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen, Bd I (Paderborn 1897), Abhandl. III S. 39 bis 86; XXIV S. 498—508, Höhler, Die Berufung der allgemeinen Concilien des Altertums (1896). Schmid, Katholik, 1893 Bd 1 S. 318 ff: Dogmatische Reflexionen über die Berufung der allgemeinen Concilien im Altertum. Kneller, Die Berufung der Konzilien, Zeitschrift f. kath. Theol. XXX (1906) S. 1 ff 408 ff, XXXI (1907)

**Corollarium 1.** Obiici etiam solet, imperatores aliquando conciliis *praesedis* eaque confirmasse. Item legitur, quandoque episcopos concilia confirmasse. — At responsio est in promptu. Huiusmodi praesidium enim non fuit praesidium auctoritatis, sed *honoris*; neque confirmatio caesarea conciliis valorem intrinsecum dedit, sed robur *extrinsecum* adiecit, imperatoribus concilii decreta in suam tutelam vel etiam in censum legum publicarum recipientibus. — Episcoporum item confirmatio, ut per se liquet, non fuit nec esse potuit confirmativa, sed mere adhaesiva (426).

**Corollarium 2.** Ex doctrina huius articuli iterum confirmatur *superioritas R. Pontificis super concilia* (396). Qui enim auctoritatem in concilia habet eaque congregare, eis praesidere eorumque canones confirmare vel rescindere potest, is profecto *supra* concilia est. Sequitur insuper, nunquam licitum esse a sententia Pontificis ad concilium universale appellare, utique vero a concilio ad Pontificem recurri posse.<sup>1)</sup>

## ARTICULUS II.

### De relatione R. Pontificis ad episcopos ac potestatem saecularem.

**A. De relatione R. Pontificis ad episcopos** haec breviter statuimus: 431

1. Sicut primatus, ita etiam episcopatus est *divinae institutionis*, non solum quoad potestatem *ordinis*, sed etiam quoad potestatem *iurisdictionis*. Dicit enim Apostolus (Act. 20, 28): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei*. Atqui *regimen* immediate et directe ad potestatem iurisdictionis et non ad potestatem ordinis spectat. Ergo episcopatus ita divinae institutionis est, ut non solum semper in Ecclesia episcopi ordinari debeant, sed ut Ecclesia etiam *per episcopos regi* necesse sit.

---

S. 51 ff, XXXII (1908) S. 75 ff; idem, Papst und Konzil im ersten Jahrtausend, I. c. XXVI f (1903 f).

<sup>1)</sup> Hurter n. 399 sq.

2. Episcoporum *institutio, confirmatio et consecratio* iure nativo ac proprio certe ad R. Pontificem spectat. Constitutio namque pastorum subordinatorum manifesto ad eum spectat, cui tamquam capiti et supremo pastori cura universi gregis Christi commissa est. Colligitur etiam ex conc. *Tridentino* (Sess. XXIII can. 8)<sup>1</sup>: «Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate R. Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.» Papa ergo potestatem habet, legitimos episcopos instituendi. — *Exercitium* tamen huius potestatis varium esse potest, et pro temporum et adiunctorum varietate varium revera fuit. Cursu temporis enim designatio episcoporum ad metropolitas, ad capitula, ad concilia provincialia vel ad principes regnantes transiit; at confirmationem totius orbis episcoporum Pontifices sibi reservarunt.

3. «Episcoporum *translatio, depositio, cessio* pariter, ut ait *Innocentius III.* (c. 2. Inter X. I. 7), non tam constitutione canonica quam institutione divina, soli sunt R. Pontifici reservata.» Quoad potestatem *coercitivam* conc. *Tridentinum* (Sess. XXIV cap. 5) ita decernit: «Causae criminales graviores contra episcopos, etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur et terminentur.» De potestate *convocandi* episcopos ad concilia generalia etc. iam egimus (420 sqq).<sup>2</sup>

4. Certum quoque est, singulos episcopos potestatem iurisdictionis nonnisi *dependenter a R. Pontifice exercere* posse, qui iustis de causis eam arctare, amplificare vel etiam omnino alicui episcopo auferre potest. Hoc evidenter consequitur ex vi et ratione primatus, prout ea in concilio Vaticano definitur (395). Constat etiam ex antiqua, universali et constante praxi Ecclesiae.

5. Probabilius est, ipsam actualem potestatem iurisdictionis nonnisi *mediante R. Pontifice* singulis episcopis communicari. Dico potestatem *actualem*; nam potestatem in radice seu aptitudinem ac quasi iurisdictionis exigentiam episcopi in ipsa consecratione recipiunt. Prob. a. Si potestas

<sup>1</sup>) Denzinger 968.

<sup>2</sup>) Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 107.

actualis episcopis immediate a Deo conferretur, tunc ea nec auferri nec minui posset, sicut nec potestas ordinis auferri aut minui potest. Quemadmodum ergo potestas ordinis nunquam *invalide*, sed ad summum *illicite* exercetur: ita etiam de potestate iurisdictionis episcopalis dicendum esset. Iamvero haec consequentia a nullo Catholico admittitur. — **b.** Potestas iurisdictionis respicit *subditos*. Si ergo episcopi vi consecrationis iam potestatem iurisdictionis haberent, consequenter per ipsam consecrationem iam subditos acciperent. Quosnam ergo? Certe non omnes fideles; alioquin singuli episcopi universam Ecclesiam regere deberent, aequae ac Papa. Nec partem indeterminatam; quia quidquid existit, determinatum est. Subditus indeterminatus nullus subditus. Relinquitur ergo determinata pars, scilicet illa dioecesis, quae ipsi regenda assignatur. Haec assignatio autem non fit immediate a Deo, sed per Pontificem, ad quem electio pastorum subordinatorum vi muneris supremi pastoris pertinet. Ergo episcopi non immediate a Deo vi consecrationis, sed per communicationem summi Pontificis actuale iurisdictionem accipiunt. — **c.** Haec est etiam sententia *s. Thomae*,<sup>1)</sup> *s. Bonaventurae*,<sup>2)</sup> *s. Bellarmini*,<sup>3)</sup> *Suaresii*<sup>4)</sup> etc. — E contrario iurisdictionem in episcopis immediate a Deo promanantem defendunt *Franciscus Victoria*, *Alphonsus de Castro*, *Vasquez* aliique.<sup>5)</sup> Iam in concilio Tridentino quaestio vehementer agitata, sed non decisa fuit; conc. Vaticanum eam pariter intactam reliquit. *Benedictus XIV.* ait: «Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem (iurisdictionis) a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita.»<sup>6)</sup> — Quod

<sup>1)</sup> In Matth. 16 u. 2 (cf. Summ. th. p. 2, 2 q. 39 a. 3; C. gent. l. 4 c. 76): «Papa, qui est loco s. Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso.»

<sup>2)</sup> In opusc.: Quare fratres Minores praedicent et conf. audiant.

<sup>3)</sup> De Rom. Pontif. l. 4 c. 24 sqq.

<sup>4)</sup> De leg. l. 4 c. 4.

<sup>5)</sup> Ap. Mazzella n. 1007; inter recentiores praesertim Phillips (Kirchenrecht Bd 1 S. 186 ff, Regensburg 1845). Cf. etiam Breve Pii VI. «Super soliditate» dd. 28. Nov. 1786, Denzinger 1500.

<sup>6)</sup> De synod. dioec. l. 1 c. 4 n. 2.

praxim attinet, res non videtur esse magni momenti. Nam patroni primae sententiae concedunt, episcopatum esse iuris divini singulosque episcopos potestate gaudere immediata et ordinaria in suos subditos; patroni secundae sententiae vero concedunt, iurisdictionem episcoporum quoad exercitium a consensu saltem tacito Pontificis dependere.

6. Pontifex ipse accipit potestatem iurisdictionis *immediate a Deo* vi permanentis illius actus voluntatis, quo Christus b. Petro eiusque successoribus primatum contulit. Non potest Pontifex eam accipere ab Ecclesia, quia Christus primatum non Ecclesiae et per hanc b. Petro ut Ecclesiae ministro contulit, sed ipsi b. Petro directe et immediate (372). Hinc docet Florentinum, Pontifici R. «*in beato Petro* pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Chr. plenam potestatem traditam esse». <sup>1)</sup>

432 **B. De relatione Pontificis ad potestatem saecularem**  
accipe haec pauca:

In primis omnia ea, quae de relatione inter potestatem ecclesiasticam et civilem generatim valent, etiam quoad Pontificem valent. Pontifex enim est subiectum plenae et supremae potestatis ecclesiasticae. Quapropter principia, quae de potestate Ecclesiae generatim (299 sq), nec non de eius relatione ad potestatem civilem proposuimus (306 sq), huc quoque transferri debent. Iuvat tamen, ex plenitudine potestatis pontificiae expresse nonnulla corollaria practica circa relationem inter Ecclesiam et statum civilem deducere.

1. Quamvis potestas civilis sit in suo ordine suprema et a potestate Pontificis independens, ei tamen *directe* subiicitur in rebus spiritualibus, *indirecte* etiam in rebus temporalibus. Utrumque sequitur ex officio supremi pastoris universi gregis Christi. Si enim Pontifex omnes homines mediis salutis a Christo institutis pascere eosque ad vitam aeternam deducere debet, eo ipso omnes homines, nemine excepto, Pontifici in his, quae ad salutem animae pertinent, obedire tenentur. Hoc saltem sensu ex definitione Bonifatii VIII. («Unam Sanctam») subiectio sub R. Pontifice est de necessitate salutis pro omni humana creatura. Haec

<sup>1)</sup> Denzinger 694.

subiectio, ut patet, est *directa, immediata et absoluta*. At vero exinde necessario etiam sequitur *indirecta* subordinatio potestatis civilis sub R. Pontifice in rebus temporalibus. Si enim principes leges ferunt iniquas religionique perniciosas, Pontifex pro infallibili suo magisterio illas reprobare ac damnare, et pro suprema potestate fideles obligare potest, ne huiusmodi legibus obtemperent; sicut et Apostoli dixerunt: oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Ergo ipsi reges non solum ut personae privatae, sed etiam ut personae publicae in ipso exercitio supremae suae potestatis, scilicet in condendis legibus, a R. Pontifice indirecte dependent. Qui hoc negat, primatum negat. Hinc non solum omnes Theologi hoc docuerunt; sed doctrina contraria expresse damnata fuit ab Ecclesia.<sup>1)</sup>

2. Ex subordinatione saltem indirecta status civilis sub potestate ecclesiastica sequitur etiam, quid de *concordatis* tenendum sit. Ea quippe α) non sunt absolute necessaria ad ordinandas relationes Ecclesiam inter et statum civilem. Ecclesia enim pro *infallibili magisterio authentice declarare* potest limites inter utramque potestatem, et pro *iurisdictione suprema decretorie* hos limites figere valet; status autem tali declarationi et imperio obedire tenetur. β) Nihilominus in certis temporum adiunctis concordata tum

<sup>1)</sup> Ex articulis cleri Gallicani, damnatis ab Innocentio XI., Alexandro VIII., Pio VI. primus ita sonat: «Beato Petro eiusque successoribus Christi vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium et temporalium a Deo traditam esse potestatem . . . . Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse». Similis est prop. 24 Syllabi, damnata a Pio IX.: «Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.» Denzinger 1322, 1724. Cf. Encycl. Leonis XIII. «Immortale Dei.» Consule magistros Scholae: s. Thom. in II. sent. dist. 44 q. 2 a. 3, ubi signanter dicit, quod «Papa utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis et saecularis, hoc illo disponente, qui est sacerdos et rex in aeternum»; item Bonaventura, De eccles. hierarch. p. 2 c. 1; Suarez, De legib. l. 4 c. 9; inter recentiores Wernz, Ius decretalium ed. 2 (Romae 1905 sqq) t. 1 n. 170.

Ecclesiae tum statui utilia sunt ad conservandam pacem, praesertim cum de principibus acatholicis agitur. γ) Quod *obligationem* attinet, concordata certe non solum principem civilem, sed etiam R. Pontificem obligant, saltem ex *decencia* et *fidelitate*. An etiam ex *iustitia commutativa*, distinguendum est inter obiecta. In illis quippe articulis, in quibus s. Sedes renuntiat dominio proprietatis in certa bona ecclesiastica aut iuri alicui temporali, certe obligatur ex titulo iustitiae commutativae. In illis vero articulis, in quibus Pontifex renuntiat usui alicuius iuris, quod ex ipsa plenitudine primatus fluit, obligatio ex mera fidelitate et decencia, non ex iustitia commutativa subintrat. Quare concordata neque sunt simpliciter pacta bilateralia, neque mera *privilegia pontificia*.<sup>1)</sup> In specie:

3. Potestas civilis *iure divino* prohibetur, ne *communicationem Pontificis cum fidelibus* impediat. Pontifex enim habet ius officiumque vi primatus a Christo acceptum, omnes fideles, in quacumque ditione civili degant, pascendi; fideles vicissim ius et officium habent Pontificem audiendi eiusque regimine fruendi. In his autem iam includitur ius liberae communicationis Pontificis cum fidelibus. Potestas civilis ergo illud agnoscere ac inviolatum custodire tenetur.

4. Iuri pariter divino repugnat sic dictum *placitum regium*. Intelligunt autem hoc nomine permissionem, quam auctoritas civilis impertit bullis Pontificiois ceterisque actibus auctoritatis ecclesiasticae, ut vim obtineant in proprio statu. Hoc placitum impium esse contendimus. Pontifex enim plenitudinem potestatis ecclesiasticae ab ipso Deo accepit; ergo in eius exercitio nulla lege humana impediri potest. Hinc merito a plurimis R. Pontificibus haec doctrina regalistarum proscripta fuit ut absurda, temeraria, impia, totius ecclesiastici ordinis et auctoritatis subversiva.<sup>2)</sup> — Sed opponunt: rex iure innato cavere sibi potest a quavis usurpatione potestatis exterae. *Resp.* Imprimis potestas Pontifi-

<sup>1)</sup> Cf. Hergenröther, Die kath. Kirche und der christl. Staat (Freiburg i. Br. 1872); Wernz l. c. n. 171.

<sup>2)</sup> Cf. Bulla Coena Domini § 13; Constitutio Innoc. VIII. *Officii nostri*; Clem. XIII. *Quam graviter*; Encycl. Pii IX. *Quanta cura*; ac tandem conc. Vatic. Sess. IV cap. 3. Denzinger 1829, 1847.

cis immerito *extera* dicitur. Sicut omnes ad Christum, ita omnes ad Christi vicarium pertinent, iuxta dictum *Bernardi* ad *Eugenium*:<sup>1)</sup> «Orbe exequendum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam.» Deinde nunquam propter abusum possibilem alicuius iuris eius liberum exercitium impedire licet, praesertim si sit ius divinum. Sicut filii in casu particulari iniustae aggressionis ex parte parentum licite se defenderent: ita profecto princeps promulgationem alicuius bullae pontificiae evidenter iniustae ac propterea in se invalidae impedire posset. At ex huiusmodi casu extraordinario ac certe rarissimo ius ordinarium placiti regii deducere, perabsurdum est. Utinam status civilis non magis usurpatorius esset respectu Ecclesiae, quam Ecclesia respectu status!

5. Pontifici vi primatus competit *plena immunitas* seu exemptio a quavis iurisdictione potestatis civilis. Hanc immunitatem postulat **a.** *dignitas* vicarii Christi, patris ac doctoris omnium Christianorum, qui non sine summo dedecore ac scandalo fidelium legibus ac poenis civilibus subiiceretur, vel pro tuenda sua causa tribunalia forensia subire cogere-  
tur. — **b.** Postulat *auctoritas* Pontificis, qui pro suprema sua divinitus accepta potestate de *honestate* omnium legum et iudiciorum potestatis civilis iudicare potest. Repugnat autem, ut is, qui supra leges est, eisdem subiiciatur. — **c.** Postulat *bonum Ecclesiae*, quae tamquam societas perfecta modo connaturali se explicare non posset, si Papa subditus esset alicuius principis. Per se enim liquet, in tali casu liberam communicationem capitis cum universa Ecclesia semper difficilem ac quasi precariam, saepe etiam prorsus impossibilem evasuram esse. — **d.** Haec omnia confirmat historia ecclesiastica. Eodem namque, ut ita dicam, momento, quo R. Pontificis immunitas a principibus agnita fuit, pax quoque et incrementum Ecclesiae ac libera professio religionis christianae initium duxerunt.

6. Capiti Ecclesiae etiam quoddam *dominium temporale relative necessarium est*, eo quod plena immunitas sine aliquo principatu decursu temporis vix ac ne vix quidem consistere

<sup>1)</sup> De consider 1. 3 c. 1.

posset. Etenim Papa sine omni proprio dominio citius tardius necessario subditus alterius efficitur. Unde data proportionem argumenta pro immunitate Pontificis etiam pro eius dominio temporali militant. Et revera eius necessitatem relativam *Pius IX.* et *Leo XIII.*<sup>1)</sup> cum universo episcopatu hisce temporibus identidem proclamaverunt. In «Syllabo» vero damnatur prop. 76: «Abrogatio civilis imperii, quo apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conducere.»<sup>2)</sup>

- 433 **Obiectio.** Primis saeculis R. Pontifices nec immunitate gaudebant nec dominio potiebantur, et nihilominus eo tempore Ecclesia maxime floruit. — *Resp.* Ecclesiae status tunc floridus dicendus est, cum divinam suam missionem sine impedimento explicare omnesque vitae humanae relationes et status virtute sua supernaturali pervadere ac sanctificare permittitur. Hoc autem primis saeculis locum non habuit. Quare simpliciter loquendo status Ecclesiae tunc minime floridus fuit. An flores fuerunt dirae illae persecutiones, quae Ecclesiam in catacumbis delitescere coe-

<sup>1)</sup> Cf. Litterae ad Card. Rampolla dd. 15. Iun. 1887.

<sup>2)</sup> Denzinger 1776. — In cap. 12 primi schematis const. dogm. de Eccl. doctrina de temporali s. Sedis dominio ita proponitur: «Ut autem Romanus Pontifex primatus sibi divinitus collati munus uti par est, adimpleret, iis indigebat praesidiis, quae temporum conditioni et necessitati congruerunt. Unde singulari divinae providentiae consilio factum est, ut in tanta saecularium principum multitudine et varietate, Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem haberet etc.... Cum vero impii homines, qui omne in terris ius mutare conantur, hunc civilem Sanctae Romanae Ecclesiae principatum, in rei christianae bonum et utilitatem ordinatum, et ab ea omnibus iuris titulis legitime tot saeculorum decursu possessum, quovis insidiarum et violentiarum genere labefactare ac convellere adnitantur; sacro approbante Concilio innovantes huius Apostolicae Sedis ac praecedentium Conciliorum iudicia ac decreta, damnamus atque proscribimus tum eorum haeticam doctrinam, qui affirmant, repugnare iuri divino, ut cum spirituali potestate in Romanis Pontificibus principatus civilis coniungatur, tum perversam eorum sententiam, qui contendunt, Ecclesiae non esse, de huius principatus civilis ad generale christianae reipublicae bonum relatione quidpiam cum auctoritate constituere, adeoque licere catholicis hominibus, ab illius decisionibus hac de re editis recedere aliterque sentire.» Cf. Coll. Lacens. pg. 572 et 619 sqq.

gerunt? An est status floridus religionis, si eius professio ut maximum crimen punitur hominesque immanissimis tormentis ad apostasiam impelluntur? Nihilominus Ecclesia primis saeculis secundum quid florentissima dici potest propter heroicas virtutes, quae maxime in martyribus emicuerunt. At quis exinde inferat, persecutiones Ecclesiae desiderandas esse? Persecutiones Ecclesiae autem, sublata immunitate et dominio aliquo temporali Pontificis, non tardabunt. Experientia enim saeculorum praeteritorum aequae ac hodierna clare demonstrat, principes saeculares varias vexationes ac saepe etiam apertam vim adhibere solitos esse, si Pontifices iniquis eorum legibus et decretis pro officio restiterunt.<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> De «statu pontificio» scribit *Ehrhard* (Der Katholizismus und das zwanzigste Jahrhundert, Stuttgart, 1902, 4.—8. Aufl.): «So groß auch das Unrecht ist, das den Untergang des Kirchenstaates begleitete, weder sein Entstehen noch sein Vergehen konnten das Wesen des Katholizismus innerlich berühren. Er war eine der Formen jener Unabhängigkeit, die dem Papste für die Ausübung seines Amtes unentbehrlich ist. Daß er aber nicht die einzige Form dieser unentbehrlichen Unabhängigkeit ist, beweist schon der Umstand, daß er erst im 8. Jahrhundert entstand. Seine Entstehung hängt auch mit den Zeit- und Kulturverhältnissen des beginnenden Mittelalters so intim zusammen, daß man seine Notwendigkeit während des Mittelalters unbedenklich behaupten kann. Den hauptsächlichsten Grund hiefür erblicke ich darin, daß der mittelalterliche Durchschnittsmensch nicht fähig war, eine rein geistige Macht in ihrer geistigen Verpflichtungskraft zu erfassen und richtig zu würdigen. Sollte daher die kirchliche Autorität sich mit Erfolg zur Geltung bringen, so mußte sie auch über physische und politische Machtmittel verfügen» (pg. 273). Et postea (pg. 326): «Verschwunden ist allerdings wie das *mittelalterliche Kaisertum* so auch die *spezifisch mittelalterliche Machtstellung des Papsttums*, wie wir sie unter den konkreten Verhältnissen des Mittelalters entstehen, zur Entfaltung gelangen und wieder vergehen sahen. Das Papsttum selbst und seine wesentlich religiös kirchliche Macht leuchtet aber heller als je in die Neuzeit hinein. Seine Stellung ist unbestrittener, sein Einfluß weittragender als je im Mittelalter (sic!). Der Verlust seiner äußeren kirchenpolitischen Verhältnisse hat nur dazu gedient, seine kirchliche Zentralgewalt in ein helleres Licht zu stellen» etc. — Cautè haec accipienda sunt. Licet enim verum sit, «statum pontificium» nec essentialem esse Ecclesiae nec absolute necessarium primatui, concedi tamen non potest, talem statum temporalem ortum duxisse ex defectu culturae ideoque progrediente cultura eum mi-

- 434 **Scholion.** Ut doctrina de relatione summi Pontificis ad Ecclesiam absolvatur, breviter adhuc quaestionem tangimus, utrum Papa et universitas episcoporum *duo subiecta supremae potestatis et infallibilitatis* in Ecclesia constituent, *an unum solum*. — Duplex est sententia. Prima unum tantum subiectum ponit; quia suprema potestas et infallibilitas in Pontifice plena et tamquam in fonte, in episcopis vero nonnisi partialiter et per participationem Pontificis habetur. A Papa enim, inquit, episcopi iurisdictionem accipiunt, tum quoad singulas dioeceses, tum quoad universam Ecclesiam, quoties in concilium congregantur. Immo etiam infallibilitatem non immediate a Deo, sed mediante Papa habent. Nam hoc charisma annexum est supremae et definitivae sententiae, quam episcopi unacum Papa *ut iudices* ferunt. Cum igitur infallibilitas sit iurisdictionis consectorium, ex uno eodemque fonte iurisdictio et infallibilitas promanant. Accedit, quod episcopi non seorsim, sed nonnisi cum capite uniti infallibilem sententiam in solidum pronuntient. Unum ergo est subiectum supremae potestatis et infallibilitatis in Ecclesia. — Alii e contrario *duplex* ponunt infallibile subiectum, non quidem adaequate, sed

---

nus necessarium esse. Multo vero minus concedendum est, iacturam domini temporalis per se ad augendam illustrandamque spiritualem Pontificis potestatem conducere. Dominium temporale (Souveränität) enim, ut vidimus, est connaturalis sequela potestatis supremae spiritualis. Profecto, non ea de causa fideles medii aevi Ecclesiam eiusque caput bonis temporalibus variisque ditionibus auxerunt, quia potestatem pure spiritualem satis percipere ac aestimare nequibant; sed e contrario fides viva ac reverentia, qua potestatem et dignitatem vicarii Christi prosequabatur, in causa fuit, cur mundus fidelis capiti spirituali Ecclesiae ultro etiam principatum temporalem contulerit. Contra vero odium fidei ipsiusque iuris naturalis contemptus Ecclesiam bonis temporalibus spoliavit eiusque ministros ipsumque vicarium Christi etiam in exercitio potestatis spiritualis impio conatu impedire satagit. Subscribimus igitur verbis Ehrhard: «Auf die Forderung einer wahren Souveränität des Papstes wird die katholische Welt niemals verzichten.» Vera suprematia (Souveränität) autem sine aliquo dominio temporali concipi nullo modo potest. Ergo etiam statui pontificio, mundus catholicus resignare non potest. Ceterum gubernium italicum hanc necessitatem novissime agnovit et conventionem cum R. Pontifice factam statum pontificium in minima quae cogitari potuit extensione Ecclesiae restituit.

*inadaequata* distinctum. Ex una parte enim stat Pontifex solus, ex altera Pontifex simul cum episcopatu. Differunt ergo, sicut caput solum spectatum differt a toto corpore coniuncto cum capite.<sup>1)</sup>

Controversia, quae magis de modo loquendi quam de re ipsa agitur, sic dirimi seu componi posse videtur. α) Pontifex et episcopatus universalis non sunt simpliciter unum, sed duo subiecta. Cum ergo tum Pontifex tum episcopatus infallibilitatis praerogativa insigniantur, consequenter non unum, sed *duplex subiectum infallibile* constituunt. — β) Non tamen sunt duo subiecta infallibilitatis *adaequata* ac independentia; cum episcopatus non nisi cum Papa et sub Papa infallibilis sit. Et revera definitiones dogmaticae conciliorum peremptoriae proindeque infallibiles non sunt, nisi a R. Pontifice confirmentur. — γ) Hoc tamen non impedit, quominus etiam episcopatus infallibilis sit et dicatur. Consensus quippe cum Papa non est *medium*, sed *conditio* infallibilitatis episcopalis. Cum enim Pontifex definitiones conciliorum confirmat, eas non *facit* infallibiles; utique vero ex Pontificis confirmatione infallibiliter apparet, definitiones concilii factas esse sub assistentia Spiritus sancti, quod sine tali confirmatione non constaret infallibiliter. Profecto, infallibilitas Pontificis non debet ita concipi, quasi ipse more prophetico infallibilem doctrinam fidelibus tradat; sed ita, ut Pontifex peremptoria sua sententia definitionibus, quae in actionibus concilii industria et studio humano, sub assistentia tamen Spiritus sancti, praeparatae fuerunt, quasi ultimum sigillum apponat. Causa *efficiens* ergo infallibilitatis conciliorum est assistentia Spiritus sancti; sed causa *logica* est confirmatio Pontificis, ex qua infallibilitas concilii dignoscitur. — δ) Si infallibilitas esset qualitas per se communicabilis aequae ac iurisdictio, tunc certe Pontifex eam etiam congregationibus suis ad tuendam fidem institutis communicare posset; sicut illam episcopis in concilio congregatis communicare supponitur. Sed iuxta communem sententiam Theologorum infallibilitas

---

<sup>1)</sup> Cf. Wilmers, De Christi Ecclesia (Ratisbonae 1897) pg. 438.

in congregationes derivari non potest.<sup>1)</sup> Ergo etiam episcopi eam non recipiunt a Pontifice, sed immediate a Spiritu sancto. — ε) Revera, quamvis infallibilitas praecipue in transeuntibus fidei definitionibus locum habeat, ea tamen vero aliquo sensu est donum permanens in tota Ecclesia tam docente, quam discente, quippe quae semper ab errore immunis praeservetur. Infallibilitas ergo non tantum solemnibus iudiciis fidei, sed etiam magisterio ordinario sensuique fidelium praesto est. Quare merito dicitur, hanc praerogativam ex iugi et immediata assistentia Spiritus sancti in toto corpore Ecclesiae conservari. Tanto magis, quia etiamsi magister infallibilis sit in docendo, nondum sequitur, discipulum quoque infallibilem esse in discendo; fieri enim potest, ut doctrinam infallibilem non rite intelligat. Unde sola infallibilitas R. Pontificis ad infallibilitatem totius Ecclesiae non sufficeret, nisi ipse Spiritus sanctus per se eam ab errore tueretur. Quapropter infallibilitas episcopatus non est mediata, sed *immediata*, licet dependens a R. Pontifice.<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Cf. Gotti, Theologia schol.-dogm. t. 1 q. 3 de locis theol. dub. 9 n. 12; Hurter n. 515.

<sup>2)</sup> Palmieri (De Rom. Pont. th. 26), Billot (De Eccl. qu. 16 § 3), Straub (Zeitschr. f. kath. Theol. 1918 p. 254 sqq) alique gravissimi auctores tenent, solum R. Pontificem habere infallibilitatem activam immediatam, episcopos vero concorditer cum Papa docentes insignitos esse vera quidem infallibilitate activa, sed mediata tantum. Rationes pro hac sententia vide lucide et concinne propositas apud Lercher, Instit. theol. dogm. I. (Oeniponte 1927) pag. 513—518.

---

# TRACTATUS V.

## DE FIDE ET INTELLECTU FIDEI.

S. Thomas 2, 2 qu. 1 sqq. Fr. Suarez, De triplici virtute theologica, fide, spe et caritate, Paris 1621. Joh. de Lugo, De virtute fidei divinae, Lugduni 1646. Henr. Kilber (Theol. Wirceb.), De virtutibus theologicis, Wirceb. 1767. Heinr. Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis, Würzburg 1856. Josef Kleutgen, Theologie der Vorzeit, Münster 1860. Jos. Perrone, De virtutibus fidei, spei et caritatis, Ratisbonae 1865. Const. v. Schüzler, Neue Untersuchungen über das Wesen des christlichen Glaubens, Mainz 1867. Idem, Gnade und Glaube, Mainz 1867. Clem. Schrader, De fide, utrum ea imperari possit, Wien 1868. Cam. Mazzella, De virtutibus infusis 4. ed., Romae 1894. J. V. Bainvel, La foi et l'acte de foi, Paris 1898. E. Lahousse, De virtutibus theologicis, Brugis 1901. Lud. Billot, De virtutibus infusis, Romae 1901. Guil. Wilmers, De fide divina, Ratisbonae 1902. Liese, Der heilsnotwendige Glaube 1902. G. Schmitt, Vernunft und Wille in ihrer Beziehung zum Glaubensakt 1903. Schiffini, De virtutibus infusis 1904. Lefebvre, L'acte de foi 1904. Martin, De necessitate credendi et credendorum 1906. Pesch, Theolog. Zeitfragen: Glaube, Dogmen und geschichtliche Tatsachen 1908. Idem, Glaubenspflicht und Glaubensschwierigkeiten 1908. Ziesché, Verstand und Wille beim Glaubensakt 1909. Charles, La foi 1910. Adrian, Psychologie des christlichen Glaubens 1910. Fritz, Der Glaubensbegriff bei Calvin und den Modernisten 1913. Espenberger, Grund und Gewißheit des übernatürlichen Glaubens in der Hoch- und Spätscholastik 1915. Reg. Schultes, Fides implicita 1920. Ant. Straub, De analysi fidei, Oniponte 1922. Adam, Glaube und Glaubenswissenschaft im Katholizismus (Wie kann Gott Glaubensgrund und Glaubensobjekt sein?) 2. Aufl. 1923.

Hucusque de revelatione divina, quae mediante s. 435  
Scriptura et traditione nobis communicatur et per Ecclesiae magisterium applicatur, egimus. Quaeritur iam, quomodo homo ad revelationem se habere debeat. Responsio exhibetur celebri effato Patrum: *credo, ut intelligam*. Homo nimirum verbum Dei fideliter credere simulque contendere debet, ut illud etiam, quantum fieri potest, intelligat. Quare post revelationem, quae est fides *obiective* spectata

(*quae* creditur), in duabus sectionibus, quantum licet brevissime:  $\alpha$ ) de fide *subjective* spectata (*qua* creditur);  $\beta$ ) de *intellectu* fidei (*γνώσις*) agemus.

## SECTIO I. De fide.

### PRAENOTIONES.

A. *Fides* (quasi *fidens* alteri) definitur: *assensus in aliquam propositionem propter auctoritatem testantis*. Actus respondens *credere* appellatur.<sup>1)</sup> Id quod creditur, obiectum *materiale*; id propter quod creditur, *obiectum formale* seu *motivum* fidei nuncupatur. Hoc motivum autem nil aliud est, quam auctoritas i. e. *scientia* et *veracitas* testis. Eatenus enim tuto alicui credere possumus, quatenus nobis constat, eum scire quod dicit, et dicere quod scit. Hinc vides, discrimen inter *scientiam* et *fidem* in eo consistere, quod in *scientia* assentimus veritati propter *intrinsicam eius evidentiam*, in fide vero propter *testimonium extrinsecum*.<sup>2)</sup>

Haec de fide generatim valent; in praesente autem de *fide divina* agimus, qua fideles et Christiani nominamur et sumus. Conc. *Vaticanum* (Sess. III. cap. 3 de fide)<sup>3)</sup> hanc fidem esse definit «*virtutem supernaturalem, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsicam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest*». Veritas definitionis propositae in decursu tractatus patebit.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Veteres vocem *credere* aliquando sensu latiore pro quolibet assensu, qui ob evidentiae defectum a voluntate imperatur, usurparunt. Hoc sensu dicit s. Thomas (p. 2, 2 q. 1 a. 4): «Credere est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum.» Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 4 n. 103.

<sup>2)</sup> Cf. Brouwer, De fide divina, cap. 1 art. 1 (Lovanii 1880).

<sup>3)</sup> Denzinger 1789.

<sup>4)</sup> Cf. Egger, Propaed. n. 158. Recentiores philosophi notionem fidei, praesertim fidei religiosae, varie pervertunt. Iuxta Kantium fides est approbatio idearum religiosarum propter exigentiam practicam. Pietistae fidem in religioso quodam animi sensu vel in caeco instinctu reponunt. Rationalistae vulgares fidem religiosam

**B. Certitudo** sensu proprio et primario est quidam 436  
*status mentis* circa veritatem, ac definitur: firmitas assensus in aliquam propositionem sine formidine errandi. Secundario certitudo etiam *objective* de *propositione* praedicatur, quae rationibus firmum assensum postulantibus innititur. Ex definitione apparet, veram certitudinem nonnisi ex perspecta propositionis veritate gigni posse. Obiectum proprium intellectus enim est *verum*, sicut obiectum proprium voluntatis est *bonum*. Quemadmodum ergo voluntas non quiescit nisi in bono possesso, ita intellectus nonnisi in veritate possessa quiescit; possessio veritatis autem est clara eius cognitio sine formidine erroris. Non negamus tamen, certitudinem quandoque *apparentem* esse. Sicut enim voluntas haud raro bonis falsis inhaeret, ita fieri potest, ut intellectus errori adhaereat; sive ob speciem veritatis, quam error prae se fert, deceptus, sive ob perversam voluntatem, quae intellectum etiam cognito errori adhaerere facit. At apparens haec certitudo mox vacillabit, si aut rem, de qua agitur, melius consideramus aut malam voluntatem deponimus. Ex his patet, veram certitudinem necessario coniunctam esse cum veritate, quippe quae nonnisi ex perspecta veritate procedat.

Certitudo dividitur: 1. In *metaphysicam* (ad quam *mathematica* revocatur), *physicam* et *moralem*, quatenus ex *analisi idearum* vel ex *inductione physica* vel ex observata *morum humanorum constantia* exurgit. Sic propositio: *circulus est rotundus*, metaphysice certa est; propositio: *omnis homo est mortalis*, physice certa; propositio: *matres declarant esse persuasionem rationis de rebus divinis*. Similiter Hermesius omnem firmam persuasionem rationibus cogentibus theoreticis vel practicis inductam dicit esse fidem proprie dictam. Güntheriani nomine fidei intelligunt cognitionem causae ex effectu, scilicet scientiam a posteriore. Secundum Modernistas (Encycl. «Pascendi», Denzinger 2074) fides est quidam sensus (Gefühl), quem indigentia divini in animo ad religionem prono, nulla praevertente mentis iudicio, commovet; qui sensus divinam ipsam realitatem, tum tamquam obiectum tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet et hominem quodammodo cum Deo coniungit. — Omnes istae fidei definitiones tum sensui communi tum ipsi fidei christianae repugnant, ut ex sequentibus patebit. Cf. Franzelin, De Tradit. et Script. Append. cap. 2, III.

ligunt filios, moraliter certa. Prima species est absoluta, duae posteriores hypotheticae, quia conditionem subaudiunt: posita constantia legum physicarum aut morum humanorum. Istae conditiones autem non impediunt veram certitudinem. Licet enim in singulis casibus, absolute loquendo, lex physica per miraculum, lex moralis per exceptionem abrogari possit; communiter tamen hoc prorsus improbable est. Atqui vera et rationabilis certitudo non tollitur per absolutam possibilitatem, sed per probabilitatem oppositi. Ubi nulla, ne tenuis quidem probabilitas oppositi habetur, dubium prorsus irrationale, immo vix possibile erit.

2. Certitudo dividitur in *necessariam* et *liberam*, quatenus a solo intellectu, qui facultas necessaria est, elicitur, vel a voluntate libera imperatur. Sic nemo serio dubitare potest de principio contradictionis, de propria existentia, de calore ignis, de existentia Americae etc. Possumus equidem intellectum a consideratione talium veritatum avertere, non valemus autem, dum illas consideramus, serio dubitare. At de immortalitate animae, de existentia attributisque Dei atque de multis aliis veritatibus praesertim ordinis moralis, licet ceteroquin eas firmiter omnino teneamus, dubium possibile ac proinde certitudo libera est. Voluntas quippe efficit, ut dubia, si quae occurrant, ab intellectu tamquam irrationabilia excludantur. Circa has igitur veritates non solum habemus libertatem *exercitii*, quatenus eas considerare possumus; sed habemus etiam libertatem *specificationis*, ita ut assensum praestare vel cohibere vel etiam parti contradictoriae adhaerere possimus.<sup>1)</sup>

3. Denique certitudo esse potest *vulgaris* vel *philosophica*, *absoluta* vel *relativa*. Erit vulgaris, si veritatem quidem perspectam habemus, sed rationem scientificam nostrae certitudinis dare nequimus; si hoc valemus, erit philosophica. Certitudo absoluta est vel relativa, quatenus motiva ad eam gignendam prae omni vel prae hoc intellectu sufficiunt. Non requiruntur enim motiva aequae valida ad convincendum e. g. puerum vel rusticum, quam virum doctum.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, l. c. n. 213 ff; Egger, Propaed. n. 158 sqq.

<sup>2)</sup> Cf. Franzelin l. c. cap. 1, II.

C. *Evidentia* idem est ac perspicuitas seu talis cognoscibilitas rei, ut eius veritas necessario videatur. Sicut enim corpora, materiali luce perfusa, a sano oculo necessario videntur, ita veritas clare manifestata necessario cognoscitur ab intellectu sano. Dum certitudo primario subiectiva, secundario obiectiva est, *evidentia e contra primario obiectiva, secundario subiectiva est*. Evidens quippe sensu proprio dicitur veritas, sensu translato etiam veritatis cognitio. Variis porro modis veritates manifestari possunt; unde etiam variae species evidentiae sunt. Veritas namque elucet quandoque:

1. *In se et immediate*, e. g. ego existo, sol lucet, totum est maius sua parte.

2. *In se sed mediate*, id est ope ratiocinii, e. g. multae leges physicae et theoremata mathematica.

3. *Nec in se nec immediate*, sed mediante testimonio extrinseco, e. g. existentia Iulii Caesaris, pugna Lipsiensis. In primo casu habetur evidentia ipsius veritatis, in secundo evidentia demonstrationis, in tertio evidentia testimonii.

4. Denique fieri potest, ut nec veritas nec demonstratio nec testimonium evidens sit, et nihilominus dubium de veritate evidenter imprudens vel etiam immorale esset. Nam etiam rationes non evidentes tantam vim habere possunt, ut intellectus eis conquiescere possit ac saepe etiam debeat. Quo in casu adest evidentia de *dignitate rationum* seu de *imprudencia dubii*. Nonne e. g. filius habet strictissimum officium honorandi suos parentes? Et tamen fieri fortasse posset, ut non sint eius veri, sed tantum putativi parentes. Innumera sane et gravissima iura et officia vitae publicae innituntur gravi dumtaxat, non absolute certo fundamento. — Fatemur tamen, evidentiam ultimo loco propositam esse evidentiam *indirectam* tantum, quae nonnisi *latiore sensu* evidentia appellari meretur. Hinc dici solet, *latius patere certitudinem, quam evidentiam, scilicet evidentiam proprie dictam et directam*.<sup>1)</sup>

His praestitutis duae quaestiones solvendae sunt: quo-

<sup>1)</sup> Cf. De Lugo, De fide disp. 1 s. 8 n. 171; Kleutgen l. c. n. 232; Franzelin l. c.

modo et quid credere debeamus. Ad earum solutionem:  
 $\alpha$ ) *naturam*,  $\beta$ ) *regulam fidei* explicabimus.

## CAPUT I.

### De natura fidei.

Ut naturam fidei intelligamus,  $\alpha$ ) enumerabimus *conditiones* ad fidem praerequisitas,  $\beta$ ) ipsum *actum fidei* considerabimus,  $\gamma$ ) nonnullas *quaestiones* circa actum fidei solvemus.

## ARTICULUS I.

### De conditionibus ad fidem praerequisitis.

438 Istaes conditiones se tenent tum ex parte revelationis tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis tum ex parte Dei. Ex parte *revelationis* requiritur, ut sit credibilis; ex parte *intellectus*, ut credibilitatem revelationis certe cognoscat; ex parte *voluntatis*, ut intellectum ad credendum determinet; ex parte *Dei*, ut gratiam tam intellectui quam voluntati necessariam subministret. Singulas conditiones totidem thesibus demonstrabimus.

**Thesis 117.** *Revelatio divina  $\alpha$ ) non est quidem evidens, sed  $\beta$ ) evidenter credibilis, et  $\gamma$ ) credenda.*

**A.** *Divina revelatio non est evidens.*

Revelatio tum pro *obiecto* revelato tum pro *facto* revelationis sumitur. Porro ipsum obiectum revelationis, in sua totalitate sumptum, evidens non esse, per se liquet eo, quod revelatio plurima mysteria continet. Hinc proscripta est prop. 96 *Raymundi Lulli*: «Omnes articuli fidei et Ecclesiae sacramenta ac potestas papae possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes» (cf. prop. 97 et 98).<sup>1)</sup> Hoc loco ergo primario et directe de facto revelationis quaerimus, et nonnisi secundario et in confuso de veritatibus revelatis, quatenus per revelationem semper aliqua veritas revelatur. Probabimus ergo cum sententia communiore praesertim antiquorum Theologorum, factum revelationis evidens non esse.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Denzinger 474—476 (ed. 9).

<sup>2)</sup> Ita Suarez, De fid. disp. 3 s. 8; Lugo, De fid. disp. 2 s. 1 n.

Sane 1. factum revelationis ex motivis credibilitatis cognoscitur. Haec motiva autem, licet plurima et solidissima sint, non tamen ea evidentia fulgent, ut attenta intellectus humani imbecillitate omne dubium etiam imprudens expellant. Ad plenam namque eorum vim penetrandam multae circumstantiae cognosci et perpendi multaeque difficultates intrinsecae et extrinsecae solvi debent; ut ex tractatu de revelatione, ubi haec motiva proposuimus, apparet.

2. Idem confirmatur ex effectu, quem motiva credibilitatis in nostro intellectu producant. Non enim necessario intellectum ad assentiendum determinant, prouti argumenta evidentia faciunt; sed fidem in revelationem liberam relinquunt tum quoad exercitium tum quoad specificationem. Non solum enim mentem a consideratione motivorum avertere, sed etiam stante hac consideratione assensum negare possumus, sicut revera plurimi increduli; licet motiva fidei optime calleant, tamen revelationem negant. Hoc adeo verum est, ut conc. *Vaticanum* (de fide can. 5)<sup>1)</sup> anathemate percellat eum, qui dixerit, «assensum fidei non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci.» Ergo argumenta seu motiva credibilitatis non sunt cogentia; essent autem cogentia, si essent evidentia. Ergo *non habetur* evidentia revelationis; sed *neque requiritur*, ut ex sequente propositione apparebit.

**Obiectio 1.** Evidentia a pondere argumentorum pendet. Sed plura et maiora argumenta pro facto revelationis, quam pro quolibet alio facto militant. Ergo revelatio est evidens. — Resp. Evidentia non solum a pondere argumentorum, sed etiam a claritate, qua argumenta percipiuntur, dependet. Motiva credibilitatis autem, quantumvis in se firmissima et certissima sint, non tamen ea claritate menti affulgent, ac multa alia facta. Hoc praesertim tunc valet, cum non de revelatione generatim, sed de singulis dogmatibus

---

47; Denzinger, Vier Bücher von der religiösen Erkenntnis (Würzburg 1856) l. 4 n. 32; Kleutgen, Franzelin II. cc. etc. Contrariam sententiam tenent Antoine, Theol. univ. de fid. div. s. 1 a 3; Mazzella, De virtut. infus. disp. 3 a. 7 (ed. 4 Romae 1879).

<sup>1)</sup> Denzinger 1814.

agitur. Quis dicet, ea claritate e. g. revelationem dogmatis de Trinitate nobis constare, ac existentiam urbis Romae?<sup>1)</sup>

**Obiectio 2.** Motiva credibilitatis «certissima» et «splendidissima» sunt, ut *Pius IX.* (Encycl. «Qui pluribus», 9. Nov. 1846)<sup>2)</sup> et conc. *Vaticanum* (cap. 3 de fide)<sup>3)</sup> docent. Quod autem splendidissimum est, certe evidens est. Ergo. — Resp. Quod splendidissimum est, certe evidens est, nisi nubibus et involucris splendor obtegatur. Hoc autem de argumentis revelationis dicendum est, quorum vis et splendor adaequate non percipitur, nisi ipsa argumenta bene et quaquaversus perpendantur, nubesque difficultatum, quae tum ex obiecto revelationis tum ex passionibus cordis humani tum ex sophismatibus adversariorum exurgunt, dissipentur. Ceterum ipsa verba Pii IX. et conc. Vaticani evidentiam revelationis satis clare excludunt. Nam, ut scite observat *Kleutgen*,<sup>4)</sup> de argumentis evidentibus non solet dici, quod «ratio iisdem evinci *debet*», et quod «fidei obsequium praebere *oportet*» (verba Pii IX.); sed dicimus: ratio necessario evincitur vel ad assensum constringitur. Pariter conc. Vaticanum (l. c.)<sup>5)</sup> expresse quidem «de evidenti fidei christianae credibilitate», sed non de «evidentia fidei christianae» loquitur.<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> «Quando fides proponitur hoc posteriore modo (i. e. non immediate ab ipso Deo, sed mediate per praedicationem fidei), certum de fide est et experimento cognitum, non esse necessariam evidentiam divini testimonii: quia constat, simplices fideles, immo omnes sic credentes non habere hanc evidentiam ipsius revelationis, sed solum credibilitatis eius, et quamvis sapientes maiorem quandam humanam certitudinem habeant, non transcendit fidem humanam et ad summum pervenire potest ad gradum evidentiae moralis.» Suar. disp. 3 s. 8 n. 5.

<sup>2)</sup> Denzinger 1638 sq.

<sup>3)</sup> Ibid. 1790.

<sup>4)</sup> Theol. der Vorzeit Bd. 4 n. 248.

<sup>5)</sup> Denzinger 1794.

<sup>6)</sup> Nonnulli auctores recentiores, qui *evidentiam revelationis* propugnant (Antoine, Mazzella, Stadler) eam ita interpretantur, ut eorum opinio a sententia veterum Theologorum, qui evidentiam dumtaxat *credibilitatis* admittunt, vix distinguatur. Concedunt enim, evidentiam religionis christianae esse evidentiam omnino distinctam ab evidentia circa veritates mere rationales, eamque nec dubia irrationalia expellere, nec fidei libertatem impedire, nec sine sagace

**B. Revelatio divina omnino certa evidenterque credibilis est.** 439

Prima fronte inter hanc et praecedentem propositionem manifesta contradictio esse videtur. Credibilitas namque et veritas reciproca sunt, quia eatenus aliquid credibile est, quatenus verum. Si ergo revelatio evidenter credibilis est, evidenter quoque vera erit. Quare alterutra propositio, aut sub A aut sub B enuntiata, necessario falsa esse videtur. — At contradictio apparens tantum est. Sane concedimus quidem, nihil credibile esse, nisi verum esse iudicetur; inde tamen non sequitur, id quod *evidenter* credibile est, eo ipso etiam *evidenter* verum esse. *Non semper enim pari claritate credibilitas et veritas nobis manifestantur.* An evidenter verum est, parentes nostros non esse putativos, sed veros nostros parentes? Minime; et tamen, ubi nulla specialis ratio dubitandi occurrit, evidens est, illos ut veros parentes a nobis haberi et ut tales honorari debere. Propositiones ergo a nobis positae inter se non pugnant (437, 4). — Praemissa possibilitate veritatem propositionis demonstramus:

1. Ex conc. *Vaticano* (cap. 3),<sup>1)</sup> quod revelationis certitudinem et evidentem credibilitatem expresse declarat. «Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis *signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.*» Et: «Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad *evidentem fidei credibilitatem* tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.» Idem docuerat *Pius IX.*,<sup>2)</sup> argumenta scilicet

---

ingenio et speciali attentione obtineri posse. Sic tota quaestio esset lis de verbo. Attamen exacte loquendo, illa evidentia large sumpta non est nec dicitur vera evidentia. Quare sententiam antiquorum omnino praefendam censemus, praesertim quia libertas fidei longe facilius explicatur, si revelatio evidenter quidem credibilis, sed non simpliciter evidens dicitur. Cf. Hurter n. 96.

<sup>1)</sup> Denzinger 1790. 1794.

<sup>2)</sup> Litt. encycl. 9 Nov. 1846, in quibus praecipua motiva cre-

pro religionis christianae veritate tam multa, tam mira, tam splendida esse, ut humana ratio luculentissime omnino evinci debeat, nihil fide nostra certius, nihil securius esse.

2. Scriptura non solum generatim affirmat (Ps. 92, 5): *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; sed speciatim de incarnationis mysterio, in quo revelationis nucleus est, pronuntiat: *Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius* (Col. 1, 26); et *Notum fecit Dominus salutare suum... viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri* (Ps. 97, 2 sq; I Ioan. 1, 2). Hinc Christus arguit incredulitatem Iudaeorum (Ioan. 15, 24): *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum*. Tanta quoque a fidelibus certitudo exigitur, ut nec angelus de caelo illam concutere valeat (Gal. 1, 8). Talis certitudo subiectiva autem obiectivam necessario supponit.

3. *Chrysostomus*<sup>1)</sup> de signis credibilitatis inquit: «Nul- lus his contradixerit, nisi qui valde insanus et totus stupi- dus sit.» *Augustinus*<sup>2)</sup> vero sic interpellat Manichaeos: «Quid ad haec respondetis, insani? nempe ista manifesta sunt, nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.» Similia apud Pa- tres et apologetas passim occurrunt.

4. Accedit manifesta ratio. Evidens quippe est, Deum nec falli nec fallere posse, ideoque fidem mereri, si quid revelare dignetur. Certum quoque, licet non evidens est, Deum revelationem christianam revera dedisse, ut tot ar- gumenta probant. Ergo revelatio christiana *certa est evi- denterque credibilis*.

#### 440 C. Revelatio divina est credenda.

Obligatio divinam revelationem credendi negari pos- set ex triplice capite: scilicet vel ideo, quia Deus nullam revelationem dederit; vel ideo, quia ratio humana indepen- dens sit a Deo, ita ut fides ab eo praecipi nequeat; vel ideo, dibilitatis nervose perstringuntur. Vide tract. de revelat. n. 163, ubi verba Pontificis allegavimus. Denzinger 1638.

<sup>1)</sup> Orat. Quod Christus sit Deus n. 15.

<sup>2)</sup> Contr. Faust. l. 12 c. 43.

quia Deus fidem de facto non praeceperit, sed eam tamquam rem indifferentem hominum arbitrio reliquerit. Omnes isti errores praesertim a Rationalismo et Indifferentismo propositi sunt; quos cum diversis in locis refutaverimus,<sup>1)</sup> obligationem credendi merito supponere possemus. Nihilominus hanc veritatem diserte etiam, sed breviter, probare iuvat.

1. Conc. *Vaticanum* expresse docet (cap. 3)<sup>2)</sup>: «Cum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.»

2. Christus sub comminatione damnationis fidem iniunxit: *Praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. 16, 15 sq; Matth. 10, 14 sq). Quare *sine fide simpliciter impossibile est placere Deo* (Hebr. 11, 6).<sup>3)</sup>

3. Ratio quoque evidens ab ipso conc. Vaticano assignatur, quia scilicet homo etiam quoad *intellectum* a Deo omnino dependet; unde sine gravissima iniuria divino testimonio fides detrectari non potest. Sane «si Deo non credimus, cui credimus? ... Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere». <sup>4)</sup> Immo, qui fidem negat, omniscientiam ac veracitatem divinam, ideoque ipsum Deum practice negat. «Si tibi, inquit *Cyprianus*,<sup>5)</sup> vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, et tu mente incredula perfidus fluctuas? ... *Hoc est Deum omnino non nosse.*»

Opponunt Rationalistae, rationem *autonomam* esse.

---

<sup>1)</sup> Huc referri debet totus tractatus 1, praesertim sect. 2, et tract. 4, praecipue n. 345—347.

<sup>2)</sup> Denzinger 1789.

<sup>3)</sup> Merito ergo damnata est propositio: «Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.» Cf. Denzinger 1166.

<sup>4)</sup> Ambros. l. 4 in Luc. n. 71.

<sup>5)</sup> De mortalitate n. 6.

Verum enim vero ratio autonoma quidem est eo sensu, quod nec vi nec solo imperio ad assensum compelli potest, sed motivis tantum veritatis sive internis sive externis cedit. Ast rationem creatam absolute et simpliciter autonomam dicere, arrogantia est intolerabilis. Quare merito damnat conc. *Vaticanum* (de fide can. 1)<sup>1)</sup> hunc errorem: «Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit: anathema sit.»

441 **Thesis 118.** *Ex parte intellectus ad rationabile fidei obsequium certa revelationis cognitio requiritur.*

*Pseudomystici, Lutherani, Pietistae* etc. fidem ex immediato Spiritus sancti testimonio repetunt, ideoque motiva credibilitatis omnino parvipendunt. Sunt etiam nonnulli doctores catholici, qui licet valorem obiectivum argumentorum revelationis non negent, eorum cognitionem tamen ad fidem minime necessariam ducunt. Putant enim, fidem cognitioni praecedere ac per immediatum Dei influxum in anima gigni; quod maxime exemplo puerorum et rudium fidelium demonstrant, qui ne capaces quidem sunt perspicendis motivis credibilitatis, et tamen firmiter credunt. Pseudomysticorum somnia iam alibi refutavimus (81 sqq). Hoc loco breviter demonstramus, fidei christianae revera iudicium certum credibilitatis revelationis, si non tempore, saltem natura praecedere debere:

1. Christus postulat a Iudaeis, ut Scripturam ac vaticinia messiana scrutentur operaque divina attendant, quae ab ipso patrabantur: *Scrutamini Scripturas, ... quae testimonium perhibent de me* (Ioan. 5, 39); et (v. 36): *Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*; ac denuo (10, 37 sq): *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre*. Ergo Christus non caecam-fidem postulavit, sed rationabile fidei obsequium, procedens ex certa cognitione motivorum. Idem ex Patribus, apologetis et missionariis christianis colligitur, qui in-

---

<sup>1)</sup> Denzinger 1810.

fideles per diligentem instructionem motivorumque expositionem ad fidem perducere studuerunt ac student. Hinc conc. *Vaticanum* (cap. 3)<sup>1)</sup> expresse docet, fidei assensum nequaquam esse «motum animi caecum»; quia Deus internis auxiliis gratiae iunxit revelationis suae argumenta certissima et omnium intelligentiae accommodata, «ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset». In canone 3.<sup>2)</sup> vero anathema pronuntiat in illos, qui dicunt, «sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri». Requiritur ergo revelationis cognitio, et quidem cognitio *certa*. Confirmatur proscriptione propositionis 21 ab *Innocentio XI*. (2. Mart. 1679) facta: «Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat *cum notitia solum probabili revelationis*, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.»<sup>3)</sup>

2. Ratio theologica. α) Iuxta conc. *Vaticanum* (l. c.)<sup>4)</sup> fides est *virtus et rationale intellectus et voluntatis obsequium* Deo praestitum. Sed credere, quin sciatur, cur credendum sit, non est virtus, iuxta illud (Eccli. 19, 4): *Qui credit cito, levis corde est*; neque est rationabile obsequium, sed caecus animi motus.<sup>5)</sup> ρ) Fides a nobis postulatur sine omni haesitatione, immo super omnia certa. Talis fides autem haberi nequit sine certa cognitione revelationis. — Sed dices: Ad virtutes laudabiliter exercendas sufficit *probabilitas* circa obiectum, quod illae praesupponunt. Ita laudabiliter exercetur misericordia, etiamsi probabilis tantum sit paupertas stipem petentis; laudabiliter obeditur, etsi ius superioris non sit certum. A pari ergo prudenter et meritorie creditur, si probabilis tantum est revelatio. — Resp. Nego paritatem; in virtutibus moralibus enim bonitas actus stare potest cum iudicio erroneo, in fide minime. Ita bonitas eleemosynae non pendet a veritate iudicii de alterius

---

<sup>1)</sup> Denzinger 1790 sq.

<sup>2)</sup> Ibid. 1812.

<sup>3)</sup> Ibid. 1171, cf. 1625.

<sup>4)</sup> Ibid. 1789 sq.

<sup>5)</sup> Ad rem August., De praedest. c. 2 n. 5: «Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere. Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.»

indigentia, utique vero bonitas *assensus fidei*; assensus quippe mentis nunquam bonus est, nisi verus. Praeterea fides absoluta et super omnia firma esse debet; si autem revelatio probabilis dumtaxat esset, prudenter de ea dubitaretur,<sup>1)</sup>

Ad *obiectionem* initio propositam, quod pueri et rudes percipiendis argumentis revelationis impares sint, optime iam respondit Lugo:<sup>2)</sup> «Rustum illum vel puerum non iudicare absolute et in universum, quod motiva sibi proposita obligent quemlibet ad credendum firmiter, sed solum quod obligent ipsum, et hoc quidem verum et evidens est. Cum enim non occurrant ei rationes, quae homini docto occurrerent ad prudenter formidandum, non potest ipse prudenter formidare, et pro eius captu motiva illa fortissima sunt, quae debilia essent in ordine ad alios.»<sup>3)</sup> Responsionis veritas confirmatur ex ipsis verbis conc. Vaticani,<sup>4)</sup> divina revelationis signa «*omnium* (ergo etiam rudium) intelligentiae accommodata» esse, et fidei assensum nequaquam esse «motum animi caecum». Ergo etiam in rudibus assensus relative *clarus* et *rationabilis* esse debet; clarus autem et rationabilis non esset sine sufficiente motivorum cognitione praecedente assensum.

442     **Thesis 119.** *Ad fidem requiritur insuper pius credulitatis affectus, adiutus a gratia divina.*

*Declaratio.* α) «Pius credulitatis affectus», quem conc.

<sup>1)</sup> Cf. Lugo, De fide disp. 1 n. 418 sqq; Viva, Trutina in propositiones damnatas (prop. 21 ab Innocent. XI. damnata).

<sup>2)</sup> De fide disp. 5 n. 36.

<sup>3)</sup> Billot (De virtutibus infusis pg. 300 sqq, Romae 1901): «Regula prudentiae fert, ut in iis necessariis, quae per nosmetipsos videre non valemus, stemus auctoritati eorum, quos naturalis rerum cursus eruditores assignavit, modo scilicet nihil in contrarium occurrat, quod ab eorum ductu conscientiam revocet. Et hinc est, quod pueri etiam et rudes prudenter credunt fide humana ea, quae de historia revelationis a parentibus vel parrocho aliisque magistris accipiunt, et sic iudicium pro suo captu suaeque conditione certum sibi efformant, quod christiana doctrina sit tamquam a Deo orta credibilis et credenda.» Cf. Franzelin l. c. cap. 1, II; Brouwer l. c. pg. 132 sqq.

<sup>4)</sup> Denzinger 1790 sq.

*Arausicanum II.* (can. 5)<sup>1)</sup> ad fidem necessarium dicit, nihil aliud est, quam imperium voluntatis seu actus voluntatis determinans intellectum ad credendum.<sup>2)</sup> Ad credendum, inquam. Videlicet libera voluntas non solum requiritur ad hoc ut intellectum inclinet ad considerata motiva credibilitatis; sed ut eum inclinet ad ipsum assensum. Actus quippe fidei liber est non solum quoad exercitium, sed etiam quoad *specificationem*.<sup>3)</sup> —  $\beta$ ) Nomine *gratiae* autem tum *medicinalem* tum *elevantem* intelligimus.

Thesis tenenda est contra *Hermesium*, qui docuit, fidem per credibilitatis motiva necessario produci. Doctrina catholica declarata iam fuerat in conc. *Arausicano II.* et *Tridentino* (Sess. VI cap. 6)<sup>4)</sup> et nuper in conc. *Vaticano* docente (l. c.)<sup>5)</sup>: «Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.» Et can. 5: «Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse: anathema sit.»

<sup>1)</sup> Denzinger 178.

<sup>2)</sup> Cf. Antoine, Theol. univ. de fid. s. 3 a. 3 q. 6 § 6.

<sup>3)</sup> Thom. p. 2, 2 q. 2 a. 9 ad 2: «In scientia duo possunt considerari, scilicet ipse assensus scientis in rem scitam et consideratio rei scitae. Assensus autem scientiae non subiicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis; et ideo assensus scientiae non est meritorius. Sed consideratio actualis rei scitae subiacet libero arbitrio; est enim in potestate hominis considerare et non considerare. Et ideo consideratio scientiae potest esse meritoria, si referatur ad finem caritatis, id est ad honorem Dei vel utilitatem proximi. *Sed in fide utrumque subiacet libero arbitrio*, et ideo quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius.»

<sup>4)</sup> Denzinger 798.

<sup>5)</sup> Ibid. 1791. 1814.

Prob. 1. Scriptura  $\alpha$ ) assensum fidei minime ut necessarium, sed ut actum *obedientiae* exhibet, qui praecipitur, laudatur, praemio donatur; incredulitas vero prohibetur, damnatur et punitur.<sup>1)</sup> Haec omnia autem in actum necessarium cadere nequeunt, sed liberam voluntatem supponunt.  $\beta$ ) Ex altera parte fides expresse dicitur *donum* Dei (Eph. 2, 8; Phil. 4, 13) et *origo vitae supernaturalis* (Rom. 1, 17), quae certe sine gratia haberi non potest.<sup>2)</sup>

2. Patres idem passim docent. *Irenaeus* ait:<sup>3)</sup> «Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus dicens: *secundum fidem tuam fiat tibi*» (Matth. 9, 29). *Augustinus*:<sup>4)</sup> «Credere non potest nisi volens»; et rursus:<sup>5)</sup> «Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est.»

3. Ratio theologica pariter manifeste probat, ad fidem tam liberam voluntatem quam adiutorium gratiae exigere.  $\alpha$ ) *Liberam voluntatem*, inquam; quod tum experientia nobis testatur, tum ex natura motivorum credibilitatis, tum ex apparente contradictione mysteriorum cum ratione, tum ex reluctantia passionum, tum ex sophisticis argumentis adversariorum consequitur.  $\beta$ ) Exigitur etiam *adiutorium gratiae*, et quidem *medicinalis* et *elevantis*. Gratia quippe medicinalis, ut Theologia specialis demonstrat, necessaria est ad superandas difficultates, quae a faciendo bono nos impediunt; gratia elevans vero requiritur, ut bonum, quod agimus, etiam valorem supernaturalem accipiat atque ad salutem aeternam conducat. Actus fidei autem ex una parte summis difficultatibus circumseptus est et nihilominus super omnia firmus esse debet; requiritur ergo gratia medicinalis. Ex altera parte fides est fundamentum et radix vitae

<sup>1)</sup> Rom. 1, 5; Marc. 16, 14; Luc. 24, 25; Ioan. 3, 15; 11, 47; Act. 6, 7; Rom. 10, 21 etc.

<sup>2)</sup> Haec ex professo in tractatu speciali de gratia probantur; cf. Egger, Enchir. theol. dogm. spec. n. 353.

<sup>3)</sup> Adv. haer. l. 4 c. 37 al. 72.

<sup>4)</sup> In Ioan. tr. 26 n. 2.

<sup>5)</sup> De spir. et lit. c. 34 n. 60.

aeternae, in qua finis supernaturalis hominis consistit. «Fides, inquit *Angelicus Doctor*,<sup>1)</sup> praelibatio quaedam est illius cognitionis, quae nos in futuro beatos facit.» Ergo fides huic fini proportionata sit oportet, ac proinde supernaturalis. Sed de his uberius in Theologia speciali.

**Scholion.** Cum libertatem fidei proprietatem esse dicimus, de fide christiana loquimur, non de fide daemonum, qui *credunt, et contremiscunt* (Iac. 2, 19). Si quis enim plena evidentia argumenta revelationis cognosceret, prout in *daemonibus* contingit, necessario crederet. Talis fides autem a fide christiana essentialiter differt.<sup>2)</sup>

## ARTICULUS II.

### De ipso actu fidei.

**Thesis 120.** *Si natura actus fidei consideretur: α) eius 443 subiectum immediatum et principium eliciens est intellectus, β) subiectum secundarium et principium imperans est voluntas, γ) principium supernaturale est gratia divina, δ) obiectum formale auctoritas Dei revelantis, ε) obiectum materiale revelatio divina.*

Elementa proposita fidei implicite continentur in definitione fidei a conc. Vaticano (l. c)<sup>3)</sup> tradita: eam scilicet „*virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest*“. — Probamus thesim per partes.

**A.** *Subiectum proximum et principium eliciens est intellectus.*

<sup>1)</sup> Comp. theologiae c. 2; cf. De verit. q. 14 a. 2.

<sup>2)</sup> Thom., De verit. q. 14 a. 9 ad 5: «Daemones non voluntate assentiunt his, quae credere dicuntur, sed coacti evidentia signorum, ex quibus convincitur verum esse, quod fideles credunt; quamvis illa signa non faciant apparere id, quod creditur, ut per hoc possint dici visionem eorum, quae creduntur, habere. Unde et credere aequivoce dicitur de hominibus fidelibus et daemonibus; nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiae infuso, sicut est in fidelibus» (cf. Sum. th. p. 2, 2 q. 5 a. 2).

<sup>3)</sup> Denzinger 1789.

Subiectum *remotum* actuum spiritualium est anima, subiectum *proximum* est illa potentia animae, a qua actus immediate elicitur et in qua recipitur. Fides autem ab intellectu elicitur et in intellectu recipitur. Hoc patet:

1. Ex natura fidei, quae est *assensus in veritatem*. Assensus autem est actus intellectus, et veritas obiectum intellectus; dum *consensus* est actus voluntatis et *bonum* obiectum voluntatis. «Credere, inquit s. Thomas,<sup>1)</sup> immediate est actus intellectus, quia obiectum huius actus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum. Et ideo necesse est, quod fides, quae est proprium principium huius actus, sit in intellectu sicut in subiecto.»

2. Evidenter colligitur ex Scriptura et Patribus: *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei* (Hebr. 11, 3); et (Ioan. 6, 70; cf. II. Tim. 1, 12): *Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus filius Dei*. Augustinus<sup>2)</sup> ait: «Habet fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse, quod nondum videt.» Chrysostomus:<sup>3)</sup> «Vidistis, dilecti, quam acute videant oculi fidei, si quando in Deum mens intenta fuerit? Vidistis, quomodo a nulla re visibili decipi possunt, sed rectum habent rerum iudicium neque in ullo falluntur?» Atqui *intelligere, scire, oculi, visio, iudicium* immediate ad potentiam cognoscitivam, non ad appetitivam pertinent.

444 B. et C. *Voluntas est subiectum secundarium et causa imperans; gratia principium supernaturale fidei.*

Hoc iam demonstravimus articulo praecedente (442).

D. *Obiectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.*

Hermesius docuit, obiectum formale fidei in *motivis credibilitatis* seu in perspecta rei veritate consistere. Guilielmus Parisiensis († 1249) illud collocaverat in supremo *dominio divino*.<sup>4)</sup> Utrumque erroneum est. Obiectum for-

<sup>1)</sup> P. 2, 2 q. 4 a. 2.

<sup>2)</sup> Ad Consent. epist. 120 n. 8.

<sup>3)</sup> Hom. 28 in Gen. n. 4.

<sup>4)</sup> De fide et legib. c. 1: «Fides haec est Deo digna credulitas, qua ei, scilicet Deo, ut dignum et iustum est creditur, hoc est sine omni pignore et cautione, scilicet gratis et obedenter, et non

*male* enim dicitur illud motivum, propter quod creditur. Iuxta conc. Vaticanum autem a Deo revelata vera esse credimus «non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest*». Auctoritas Dei ergo iuxta concilium est obiectum *formale* fidei. Haec auctoritas autem duplex elementum includit: *intrinsecum*, i. e. infinitam Dei sapientiam et veracitatem, quae exprimitur verbis: «qui nec falli nec fallere potest»; et *extrinsecum*, scilicet locutionem Dei, unde concilium addit vocem «revelantis». Utrumque elementum simul sumptum *adaequatum* constituit obiectum formale.<sup>1)</sup> — Propositio probatur:

1. Ex s. Scriptura tam negative quam positive. Fides quippe nec est de rebus evidentibus, nec praestatur propter evidentiam, iuxta illud (Hebr. 11, 1; cf. I Cor. 13, 12): *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (ἐλεγχος οὐ βλεπομένων), et (Ioan. 20, 29): *Beati, qui non viderunt et crediderunt*. Sed positive quoque fides a Scriptura divino testimonio, et quidem unice divino testimonio superstruitur: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus* (Matth. 16, 17); et (I Ioan. 5, 9): *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, id est, si nos propter testimonium hominum credimus ea, quae illi nobis testificantur, quanto magis propter testimonium Dei credere debemus ea, quae ipse nobis revelat. Hominibus autem credimus, quia nobis aliquid testantur (elementum materiale), et quia eos fide dignos censemus (elementum formale). Ergo a pari Deo credimus, quia nobis aliquid revelavit, et quia eius testimonium fidem meretur, hoc est credimus propter *auctoritatem Dei revelantis*. (Cf. Ioan. 3, 33; I Thess. 2, 13.)

---

propter hoc, quia *verax* est, aut quia *verum* est, quod ipse loquitur; sic enim crederetur homini cuivis; sed quia *iubet* seu praecipit seu vult.» Cf. Kleutgen, Beilagen zur Theol. u. Phil. der Vorzeit; 3. Heft II (Münster 1875), «Zur Lehre vom Glauben», ubi etiam Scheeben in hac materia merito carpitur.

<sup>1)</sup> Cf. Brouwer, l. c. cap. 2 art. 3 § 1 pg. 99 sqq.

2. Idem testatur traditio. «Quid est fides, interrogat *Augustinus*,<sup>1)</sup> nisi credere, quod non vides?» Et *Ambrosius*:<sup>2)</sup> «Ego rationem a Christo non exigo; si ratione convincor, fidem abnuo.» Leo M. testatur:<sup>3)</sup> «Divina est auctoritas, cui credimus.» Traditionis argumentum colligitur etiam ex Theologis,<sup>4)</sup> catechismis librisque asceticis, qui omnes in hac vel simili formula conspirant: *credo, quia hoc Deus infinite sapiens et verax revelavit.*

3. Ratio theologica ex ipsa *natura fidei* petitur. Fides etenim distinguitur a scientia per hoc, quod in scientia assentimus veritati propter perspectam eius evidentiam, in fide vero propter testimonium extrinsecum. Atqui iste assensus non esset rationalis, nisi constaret tum de ipso *testimonio* tum de *scientia* et *veracitate testis*. Ergo in obiectum formale fidei generatim spectatum necessario ingreditur utrumque elementum, testimonium et auctoritas testis. A pari ergo de fide divina dicendum erit. Videlicet obiectum formale seu motivum fidei divinae non est:  $\alpha$ ) evidentia ipsius obiecti, sed  $\beta$ ) est auctoritas Dei, et quidem  $\gamma$ ) Dei revelantis. Auctoritas Dei enim per se sola spectata actum conditionatum postulat: *credo, si Deus aliquid revelat.* Fides christiana autem actum absolutum postulat: *credo, quae et quatenus Deus revelavit.*

445 **Obiectio 1.** Obiectum formale est idem ac motivum fidei. Sed ad fidem movemur per *motiva credibilitatis*, ut vel ipsum nomen significat. Ergo motiva credibilitatis obiectum formale fidei constituunt. Sane revelationem non aliter cognosco quam per motiva credibilitatis, sed veritas, per quam aliquid cognosco, est motivum huius cognitionis. — Resp. Motiva credibilitatis utique id sunt, quod dicuntur, nempe *motiva*; at non sunt nec dicuntur motiva fidei, sed motiva *credibilitatis*. Et revera sunt quidem motiva credibili-

<sup>1)</sup> Tract. 40 in Ioan. n. 9.

<sup>2)</sup> De excessu fratris l. 2 n. 89.

<sup>3)</sup> Serm. de Nativ. n. 1.

<sup>4)</sup> Cf. e. g. Thom. p. 2, 2 q. 1 a. 1: «Sic igitur in fide, si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia a Deo est revelatum. Unde ipsi veritati divinae fides innititur tamquam medio.»

tatis, quia divinitatem ac proinde credibilitatem revelationis non aliunde cognosco, quam per miracula, vaticinia aliaque huiusmodi argumenta. Sed non sunt motiva fidei, quam etiam posita perceptione horum argumentorum detrectare possumus. Fidem unice propter *auctoritatem divinam ex pio credulitatis affectu* praestamus; alioquin non esset vera fides. Et sane Deus eadem miracula patrare potuisset, si aliam revelationem nobis dedisset, e. g. si tria tantum sacramenta instituisset. Credo ergo, septem esse sacramenta, *quia Deus hoc dixit*; quod autem Deus hoc revera dixit, ex motivis credibilitatis novi.<sup>1)</sup>

**Obiectio 2.** Si Catholicus interrogatur, cur e. g. Trinitatem credat, respondet, *quia* Ecclesia catholica ita docet. Ergo propositio Ecclesiae est obiectum formale fidei. — Resp. α) Homo catholicus respondebit vel saltem respondere debet ita, prout ex catechismo didicit. Omnes autem catechismi in Ecclesia approbati apprime distinguunt inter *normam* et *motivum* credendi. Ad quaestionem enim, *quid* credendum sit, respondent: omne id, quod Ecclesia credendum proposuit. Ad quaestionem *cur?* respondent: quia Deus revelavit, qui nec fallere nec falli potest. Ecclesiae propositio ergo non est obiectum formale, sed norma seu *regula* fidei. β) Confirmatur, quia etiam absque Ecclesiae propositione fides divina, licet non fides *catholica*, haberi potest. Prophetiae et Apostoli, qui revelationem immediate a Deo et non per Ecclesiam receperunt, certe fidem divinam habuerunt.<sup>2)</sup>

446

**Obiectio 3.** Sola auctoritas Dei ex scientia et veracitate eius petita non est sufficiens motivum fidei; sed requi-

<sup>1)</sup> Ad summum dici potest, motiva credibilitatis ingredi in obiectum formale fidei, quatenus sunt quodammodo *elementum divinae locutionis*; Deus enim non solum verbis, sed etiam factis divinis e. g. miraculis nobis loquitur. Cf. Lugo disp. 1 s. 7 n. 131; Franzelin l. c. pg. 574.

<sup>2)</sup> Quomodo ipsa Ecclesia ut permanens quaedam locutio practica Dei considerari atque ita quodammodo in obiectum formale fidei ingredi possit, vide apud Franzelin pg. 584 sqq. Melius autem ab aliis dicitur, praedicationem Ecclesiae non esse locutionem ipsius Dei, sed potius locutionem humanam de verbo Dei revelato in Ecclesia deposito.

ritur insuper auctoritas ex supremo eius *dominio* derivata. Fides etenim tum ad intellectum tum ad voluntatem pertinet; intellectus autem movetur a vero, voluntas a bono et per imperium. Ergo Deus est motivum fidei sub duplice respectu, ut prima veritas pro intellectu, et tamquam supremus dominus et summum bonum pro voluntate. Hoc etiam conc. Vaticanum clare enuntiat: «Cum homo a Deo tamquam creatore et domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur.»<sup>1)</sup> Ex duplice igitur titulo iuxta concilium obligatio fidei exurgit, quia Deus est *prima veritas*, et quia est *supremus dominus*. Hoc confirmatur etiam ex Scriptura, quae fidem designat ut *obedientiam*, infidelitatem ut *inobedientiam* (Rom. 1, 5; 10, 16; Gal. 3, 1). Obedientiae motivum autem est reverentia erga voluntatem superioris.

Resp. Nego assumptum. Ad rationes additas autem observo: **a.** Fides utique tum ad intellectum tum ad voluntatem pertinet; sed ad intellectum tamquam ad *principium intrinsecum*, a quo actus fidei elicitur, ad voluntatem tamquam ad *causam extrinsecam*, quae assensum fidei imperat. Atqui essentia actuum non determinatur a causa extrinseca, sed a *principio intrinseco eliciente*. Ergo motivum seu obiectum formale, quod actum (et consequenter etiam habitum) fidei ab aliis actibus distinguit, non est aliud, quam quod intellectum ad assensum determinat, scilicet auctoritas Dei revelantis. Motivum voluntatis est actui extrinsecum. «Habitus, inquit s. Thomas,<sup>2)</sup> diversificatur secundum illud, quod per se ad habitum pertinet. Cum autem fides sit perfectio intellectus, *illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum*. Quod autem pertinet ad voluntatem, *non per se pertinet ad fidem*, ita quod per hoc habitus fidei possit diversificari.»<sup>3)</sup> — **b.** Aliud est *obiectum formale* alicuius

<sup>1)</sup> Denzinger 1789.

<sup>2)</sup> Sum. p. 2, 2 q. 4 a. 4; cf. Suar., De fid. disp. 6 s. 6.

<sup>3)</sup> Ceterum bene notandum, quod assensus intellectus primae veritati praestitus habet specialem *honestatem moralem*; et haec honestas est motivum sufficiens pro voluntate, ut assensum imperet, quin Deus fidem expresse praecipiat. Hinc sequitur, quod actus fidei,

virtutis, aliud *titulus obligationis*. Obiectum formale ex natura virtutis desumitur, titulus etiam ex causa extrinseca provenire potest. Et revera sunt virtutes, quae obligatoriae non sunt ideoque nullum titulum obligationis habent. Etiam conc. Vaticanum inter obiectum formale, quod ipsam definitionem ingreditur, et inter titulum obligationis distinguit. Obiectum formale, propter quod creditur, nullum aliud assignatur, quam «auctoritas Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest». Titulus, quare credere «*tenemur*», est absoluta dependentia hominis a Deo et speciatim subiectio intellectus creati sub prima veritate. — c. Denique fides ab Apostolo dicitur obedientia non sensu *specifico*, quasi *fides* et *obedientia* sit eadem virtus; sed sensu *generico*, quia per omnem virtutem homo se Deo subiicit, sicut omne peccatum quaedam inobedientia est.<sup>1)</sup> Sane ex doctrina catholica per peccatum mortale omnes virtutes morales (infusae) amittuntur, etiam obedientia; fides autem theologica non amittitur. Ergo fides non est obedientia stricte dicta.<sup>2)</sup>

**E. Obiectum materiale est revelatio divina, eaque tota.**

Haec propositio sequitur ex priore. Si enim obiectum formale fidei est ipsa auctoritas Dei revelantis, manifesto sequitur, obiectum materiale esse *ipsam revelationem* seu *omnes* illas veritates, quas Deus revelavit. Auctoritas Dei enim non est relativa, sicut auctoritas hominum, qui quoad unum testimonium fide digni sunt, quoad alterum minime; sed est *absoluta* propter infinitam eius sapientiam et veracitatem. Unde Psalmista universim pronuntiat (Ps. 92, 5): *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*.

**Thesis 121.** *Ex natura fidei divinae sequuntur eius proprietates, quarum praecipuae sunt: libertas, obligatio, honestas, supernaturalitas, veritas et certitudo super omnia.* 447

Ex enumeratis proprietatibus plures iam demonstravimus; scilicet fidem non esse evidentem (438), ideoque li-

---

etiam quatenus pium credulitatis affectum includit, non aliud motivum intrinsicum postulat, quam primam veritatem cui assentire *rationabile* et *honestum* est.

<sup>1)</sup> Cf. Thom. p. 2, 2 q. 4 a. 7 ad 1.

<sup>2)</sup> Cf. Kleutgen, Beilagen zur Theol. u. Phil. d. Vorzeit, 2. Heft (Münster 1868) S. 50 ff.

*beram* (442); ac supernaturalem (l. c.) eamque esse *obligatoriam* (440). Etiam *honestas* fidei demonstratione non indiget, quia per se patet. Quid enim honestius, quam ut ratio creata increatae veritati se subiiciat, plenumque revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestet? Hinc in Scriptura et traditione vix aliquid tantopere commendatur, ac fides.<sup>1)</sup> Restat ergo demonstranda *veritas* et *certitudo*.

**A.** *Veritatem* hoc loco de fide affirmamus non *objective*, fides enim *objective* spectata est ipsa revelatio; hanc autem absolute veram esse, in tractatu de Deo demonstratum supponimus. Sed veritatem de ipso actu fidei praedicamus, ita ut *fides supernaturalis nunquam praestetur nisi veritati*. — Probatur:

1. Ex conc. *Tridentino* (Sess. VI cap. 9)<sup>2)</sup>, quod loquens de actu fidei circa statum gratiae ait: «Cum nullus scire valeat *certitudine fidei, cui non potest subesse falsum*, se gratiam Dei esse consecutum....» Ergo iuxta concilium actui fidei nunquam falsum subesse potest. Sed si quis actum fidei in propositionem erroneam elicere posset, ei subesset falsum.

2. Ratio est clara. Fides quippe supernaturalis quoad *originem* pendet a divina gratia, quae non datur ad iudicium erroneum; quoad *naturam* est perfectio, error autem non est perfectio; quoad *modum* est absoluta et super omnia, error autem debet deponi; quoad *terminum* est radix visionis beatificae, error autem nequit esse radix visionis Dei.<sup>3)</sup>

**Obiectio.** Rusticus laudabiliter agit, si bona fide parochus vel pastor credit errorem in materia religionis docenti. Ergo fides divina cum falsitate coniuncta esse potest. —

<sup>1)</sup> Fidei praestantiam egregie exponit Hurter n. 454. Cf. Encycl. Pii IX. «Qui pluribus», d. 9. Nov. 1846, Denzinger 1638.

<sup>2)</sup> Denzinger 802.

<sup>3)</sup> Cf. Thomas p. 2, 2 q. 1 a. 3; Suarez, De fide disp. 3 sect. 13 n. 4; Bonavent. in III. sent. dist. 24 a. 1 q. 1 (ed. Quaracch. pg. 509): «Quum habitus fidei mentem illuminet ad assentiendum veritati creditae secundum illustrationem divinae praescientiae; et divinae praescientiae non possit subesse falsum, ... necesse est ponere, quod ipsi habitui fidei nec falsum subsit nec subesse possit.»

Respondeo cum *Lugone*:<sup>1)</sup> Pia affectio *voluntatis*, qua quis *vult* credere fide divina mysterium falso propositum, laudabilis et meritoria esse potest; sed ipse *assensus* ab *intellectu* elicited circa illud obiectum falsum, in tali casu non est assensus *fidei divinae*, sed actus mere naturalis.

**B. Certitudo fidei super omnia probatur:<sup>2)</sup>**

448

1. Ex ipsa Scriptura. Comparans enim b. Petrus prophetiam fidemque illi innixam cum certitudine experimentalis inquit (II. ep. 1, 19): *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes*. Item (I Ioan. 5, 9): *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*; et (Gal. 1, 8): *Sed licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Quare Iudas apostolus ait: *Necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditae sanctis fidei* (ep. Iud. v. 3). Fides ergo certior esse debet quavis cognitione per experientiam propriam vel per testimonium hominum comparata.

2. *Chrysostomus* explicans illud Apostoli: *fides est argumentum non apparentium* dicit, fidem non esse veram, nisi de rebus non apparentibus firmior certitudo sit, quam de iis quae videmus.<sup>3)</sup> Iuxta *Basilium*<sup>4)</sup> est: «fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens».

3. Ratio theologica. Firmitas assensus pendet tum a *motivo*, propter quod assentimus, tum ab *evidentia*, qua obiectum percipimus, tum a *voluntate*, quae assensum imperat. Iamvero motivum fidei est ipsa auctoritas Dei, qua maius non habetur. Evidentia revelationis non quidem adest, utique vero evidentia credibilitatis. Divina gratia ita voluntatem et intellectum confortat, ut neque testimonium contrarium sensuum, neque contradictio apparens cum principiis rationis, neque gravissima tormenta assensum fidei

<sup>1)</sup> De fide disp. 4 s. 6 n. 86.

<sup>2)</sup> Decret. «Lamentabili» error 25: Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum (Denzinger 2025).

<sup>3)</sup> In ep. ad Hebr. hom. 21 n. 2: οὔτε πάλιν, εἰ μὴ τῶν ὁρωμένων σαφέτερον περὶ τῶν ἀοράτων πεπληροφόρηται τις, πίστις εἶναι δύναται.

<sup>4)</sup> In Ps. 115 n. 1.

concutere valeant. Ergo certitudo fidei est simpliciter maxima.

**Obiectio 1.** De veritatibus evidentibus non possumus dubitare; de veritatibus fidei autem possumus. Ergo illae certiores sunt istis. — Resp. Concessa prima parte antecedentis, *Dist.* secundam: de veritatibus fidei dubitare possumus rationabiliter, *N.*; irrationabiliter, *C.* Pariter *Dist.* consequens: certiores sunt obiective, *N.*; subiective h. e. assensus noster est stabilior, *Subdist.*: pro futuro, *Trans.*; hic et nunc, *N.* Et sane, certitudo obiectiva est dignitas rationum postulans firmum assensum absque formidine erroris; certitudo subiectiva est ipsa haec firmitas assensus respondens obiectivae dignitati rationum. Iamvero ex antea dictis motivum, cui innititur fides, est ipsa revelatio divina, quae certe *firmiorem meretur assensum* qualibet naturali veritatis evidentia. Nihilominus propter mentis nostrae infirmitatem praescindendo ab imperio voluntatis magis movemur a rei evidentia, quam a revelatione divina; licet evidenter intelligamus, revelationem divinam mereri assensum omnium firmissimum. Infirmitati intellectus autem succurrit voluntas roborata per gratiam, ac mentem titubantem adeo firmiter inhaerere facit veritati, revelatae, ut potius de iis, quae oculis ipsis cernimus, quam de hac dubitemus. Est ergo assensus fidei etiam subiective omnium firmissimus, etsi eius stabilitas non semper tanta sit ac in veritatibus evidentibus; certitudinem enim de propria existentia similibusve veritatibus amittere non possumus, utique vero de articulis fidei. Simile quid accidit in amore Dei, quem ipsi vitae praeferrimus; licet vitam necessario, Deum autem libere nec absque difficultate amemus.<sup>1)</sup> Certitudo igitur fidei, aequae ac amor Dei, est vel esse debet non quidem *intensive*, utique vero *appretiative* maxima.

**Obiectio 2.** Assensus fidei in ultima analysi resolvitur

<sup>1)</sup> S. Thom. in III. sent. dist. 23 q. 2 a. 2 qcl. 3 ad 1: «Certitudo scientiae consistit in duobus, scilicet in evidentia et firmitate adhaesionis. Certitudo autem fidei consistit in uno tantum, scilicet in firmitate adhaesionis, certitudo vero opinionis in neutro; quamvis certitudo fidei, de qua loquimur, quantum ad illud unum sit vehementior, quam certitudo scientiae quantum ad illa duo.» Cf. Sum. p. 2, 2 q. 4 a. 8 ad 3; lege Kleutgen l. c. n. 249 f.

in cognitionem rationalem et naturalem, Deum infinite sapientem et veracem hoc revelasse. Cognitio autem nequit esse firmior suis praemissis. Ergo certitudo fidei non potest esse super omnia firma. — Resp. Assensus fidei utique innititur cognitioni, Deum infinite sapientem et veracem hoc revelasse. Sed haec cognitio  $\alpha$ ) non est mere naturalis, sed elevata per gratiam;  $\beta$ ) neque est actus solius rationis, sed simul imperatus a voluntate, quae pariter adiuvatur a gratia;  $\gamma$ ) denique per hunc actum se sistit ipsa auctoritas divina tamquam unicum motivum fidei, et propterea assensus eidem innixus est firmior quavis cognitione mere naturali.<sup>1)</sup>

**Corollarium 1.** Haeretici *formales*, qui recusant assensum alicui veritati fidei eis sufficienter propositae, neque etiam circa alias veritates, etsi firmissime eis assentiant, veram fidem *divinam super omnia* habent. Sicut enim repugnat, ut Deus summum bonum ametur caritate *appretiative* summa in observatione ceterorum mandatorum, dum unum violatur; ita Deus prima veritas non potest coli mentis obsequio *appretiative summo* in ceteris veritatibus, si haec subiectio in una veritate satis proposita negatur. Haec negatio enim ipso facto ostendit, Dei auctoritatem non aestimari super omnia.<sup>2)</sup> 449

**Corollarium 2.** Falsa et impia est doctrina *Hermesii*, qui iubet doctores catholicos, ut religionem ab Ecclesia susceptam examini subiiciant, et «dum in inquisitione versantur», erga quamvis doctrinam religionis omnino indifferenter se habeant sibi persuadeant, «sancte se agere sequendo rationem, quocunque demum ea deduxerit».<sup>3)</sup> Hermesius hoc bona quidem intentione docuit, ut «futuri doctores religionis, postquam labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragraverint, deinde ipsi dubitantibus per omnes anfractus comites se dare possint».<sup>4)</sup> At doctrina in se spectata impia et haeretica est, eamque expresse damnat conc.

<sup>1)</sup> Ceterum in hac subtili quaestione alii aliter respondent, ut in sequente articulo videbimus.

<sup>2)</sup> Cf. De Lugo, disp. 6 n. 51. 53.

<sup>3)</sup> Introd. posit. ad Theol. pg. 30.

<sup>4)</sup> Introd. philos. ad Theol. pg. 10; cf. Kleutgen Bd 5 n. 630 ff.

Vaticanum (de fide can. 6)<sup>1)</sup>: «Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut Catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, anathema sit.»

450 **Corollarium 3.** Hinc sequitur etiam, quod *Catholicus nunquam iustam causam habere potest apostatandi a sua religione*. Non habet *objective* iustam causam, ut patet ex absoluta veritate religionis catholicae. Nec *subiective* i. e. ex errore invincibili iustam causam habere poterit. Cum enim fides divina necessario absoluta et super omnia sit, fidelis necessario ita dispositus esse debet, ut omnia dubia occurrentia a priore tamquam vana excludere velit. Et certe, quantumvis grave sit dubium, nunquam Catholico deerit gratia necessaria, sin minus ad solvendum, saltem ad vincendum dubium dictamine indirecto. Quare omnino contraria est conditio hominis catholici et haeretici quoad dubia ingruentia. Pro haeretico enim dubia fidei sunt quasi monita divina, quibus si obtemperaverit, ad veritatem perveniet. Pro catholico sunt tentationes, quibus resistere tenetur. Haec doctrina clare continetur in conc. Vaticano (de fide cap.3):<sup>2)</sup> «Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, *non deserens, nisi deseratur*. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi.»<sup>3)</sup> Et iam pridem *Innocentius XI.*

<sup>1)</sup> Denzinger 1815.

<sup>2)</sup> Ibid. 1794.

<sup>3)</sup> Quamvis ex conc. Vaticano satis clare deducatur, neminem ex invincibili errore sine culpa a fide apostatare posse, tamen id *formaliter definitum* esse non videtur. Cf. Granderath, Constitut. dogmat., commentar. IV pg. 61 sqq.

damnaverat propositionem 20: «Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.»<sup>1)</sup>

### ARTICULUS III.

#### Quaestiones.

Ad complementum huius doctrinae nonnullas quaestiones subiungimus, quarum solutione natura actus fidei haud parum illustratur. 451

*Quaestio 1. An de uno eodemque obiecto possit simul esse fides et scientia.*

Resp. Duplex est sententia. Negat s. *Thomas*,<sup>2)</sup> eo quod scientia est de rebus visis i. e. evidentibus, fides autem iuxta Apostolum et iuxta Patres est de *non apparentibus* (Hebr. 11, 1): «Quid est fides, nisi credere, quod non vides?»<sup>3)</sup> Communius tamen cum s. *Bonaventura*<sup>4)</sup> affirmatur. Revelatio namque plures veritates complectitur, de quibus habetur vera et proprie dicta scientia, e. g. existentiam et unitatem Dei, immortalitatem animae etc. Haec ergo simul creduntur et sciuntur vel saltem sciri possunt. Profecto, cum Apostolus dicit: *accedentem ad Deum oportet credere, quia est* (Hebr. 11, 6), hoc non solum pro rudibus, sed universim dicit; neque philosophus, qui existentiam Dei ad evidentiam usque demonstrat, fidem illius amittit. Alioquin melior esset conditio pueri existentiam Dei credentis, quam philosophi eam scientis; cum fides divina quamlibet scientiam naturalem pretio et merito superet.

Ad textum Pauli (Hebr. 11, 1) autem dictaque Patrum responderi potest, fidem esse de *non apparentibus* ex triplice ratione. α) Quia substantia revelationis revera consistit in non apparentibus, scilicet in mysteriis. β) Quia etiam veritates per se naturales, e. g. Dei existentia, dum creduntur, non propter earum evidentiam, sed propter revelationem divinam creduntur; haec autem non est evidens (438), ideoque nec ipsam veritatem revelatam evidentem facit. Licet ergo repugnet, ut *sub eodem* respectu aliquid

<sup>1)</sup> Denzinger 1170.

<sup>2)</sup> P. 1, 2 q. 67 a. 3 et p. 1 q. 2 a. 2.

<sup>3)</sup> August., Tract. 40 in Ioan. n. 9.

<sup>4)</sup> In III. sent. dist. 24 a. 2 q. 3.

sciatur et credatur, tamen sub *diverso respectu* haec duo bene simul stare possunt. γ) Quia etiam veritates religiosae, quae sciuntur, tamen *non videntur*. Sane Dei existentiam scimus, sed non videmus, quia eum per speculum cognoscimus. Quare teste eodem Paulo (I Cor. 13, 12) fides cessabit, cum Deum facie ad faciem cognoscemus. «Ratio, inquit *Seraphicus Doctor* (l. c.), quare talis scientia simul potest esse de eodem cum ipsa fide et quod una cognitio alteram non expellit, est quia scientia manuductione ratiocinationis, licet aliquam certitudinem faciat et evidentiam circa divina, illa tamen certitudo et evidentia non est omnino clara, quamdiu sumus in via.... Unde illuminatio et certitudo talis scientiae non est tanta, quod habita illa superfluat illuminatio fidei, immo valde est cum illa pernecessaria.»<sup>1)</sup>

452 *Quaestio 2. Quomodo in actu fidei cognoscatur auctoritas Dei et factum revelationis.*

Praenota 1. Fides iuxta conc. Vaticanum<sup>2)</sup> est virtus, qua a Deo revelata vera esse credimus non propter intrinsicam rerum veritatem naturali lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Assensus fidei ergo non est *immediatus* sed *mediatus*, dependens scilicet a cognitione revelationis divinae. Credo e. g. mysterium Trinitatis, quia Deus, qui nec falli nec fallere potest, hoc revelavit. Istaе duae veritates ergo, quarum una factum locutionis, altera auctoritatem loquentis enuntiat, se habent tamquam *principia* assensus fidei. Principium cognitionis enim dicitur omnis veritas, per quam vel propter quam alia cognoscitur.

2. Assensus in veritatem mediate cognitam nunquam firmior et altior esse potest assensu in principia, per quae illa veritas cognoscitur. Cognitio principiorum enim causa est cognitionis veritatis mediatae; causam autem effectus superare non potest. Ergo actus fidei altior et firmior esse nequit, quam assensus in auctoritatem Dei revelantis. Cum igitur assensus fidei divinae supernaturalis esse debeat et

<sup>1)</sup> His consonant Lugo, De fide disp. 2 s. 2 n. 67; Suar., disp. 3 s. 9 n. 19.

<sup>2)</sup> Denzinger 1789.

appretiative summus, consequenter etiam assensus in auctoritatem Dei revelantis, cui fidei assensus tamquam suo principio innititur, supernaturalis et summus esse debet.

3. Hinc apparet gravitas et difficultas quaestionis initio propositae. Assensus namque super omnia certus non est alius, quam assensus fidei divinae, id est *propter testimonium Dei loquentis*; quia hoc est motivum omnium firmissimum. Si ergo ipsum testimonium divinum assensu omnium firmissimo teneri debet, manifesto sequi videtur, quod primum testimonium divinum propter secundum, et hoc propter tertium credi debeat, et ita porro; quia semper eadem recurrit argumentatio. Assensus mentis autem, qui nunquam ad veritatem immediate perceptam pervenit, firmus stare non potest. Ergo ipsa certitudo fidei vacillare videtur.

4. Ad quaestionem propositam multipliciter responsum est.<sup>1)</sup> Potiora tantum commemoramus. a. *Hermesius* distinguit fidem *intellectus* et fidem *cordis*. Fides intellectus seu «cognitionis» non est actus salutaris, sed mere naturalis consistens «in consensu necessario, qui inducitur per argumenta pro veritatibus religionis christianae, et in necessaria (coacta) persuasione de veritate demonstrata». «Fides cordis» est fides, quae per caritatem operatur et est «libera et absoluta subiectio sub iis, quae revelata sunt, scilicet omnimoda resignatio in Deum et res divinas». <sup>2)</sup> — Unusquisque videt, *Hermesium* non solvere difficultatem, sed negare dogma. Non solum enim fides, quae per caritatem operatur, sed etiam fides mortua et initium fidei est donum Dei supernaturale, ut iam ex conc. Arausicano contra Semipelagianos, deinde ex Tridentino et maxime ex Vaticano constat (l. c.). <sup>3)</sup> — b. Omissa igitur hac erronea explicatione, *Melchior Canus* docet, rationem formalem credendi esse «*lumen fidei*» seu *instinctum specialem Dei*. <sup>4)</sup> — c. Iuxta *Sco-*

<sup>1)</sup> Vide varias sententias accuratissime expositas apud Kleutgen (Theol. d. Vorzeit Bd 4 n. 254—286, et ‚Beilagen‘ Heft 3 S. 137 ff), qui de tota hac materia egregie disputat.

<sup>2)</sup> Dogmatik p. 3 § 282; cf. Adnot. in l. schem. const. de doct. chr. (Coll. Lacens. pg. 529).

<sup>3)</sup> Denzinger 178 sqq, 798, 1791, 1814.

<sup>4)</sup> De loc. theol. l. 2 c. 8 ad 4 scribit: «Propositioni huic:

*tum* unicum et totale motivum fidei est *absoluta divini testimonii* veritas, quae per se evidens est; cognitio ipsius testimonii ut *mera conditio* praerequiritur.<sup>1)</sup> — d. Iuxta *Suarezium* testimonium divinum propter seipsum creditur, quia Deus eodem actu, quo obiectum materiale fidei e. g. Trinitatem revelat, etiam obiectum formale, scilicet veritatem sui testimonii revelat.<sup>2)</sup> — e. *De Lugo* docet, testimonium divinum in ultima analysi non propter aliud testimonium divinum credi, sed ex intrinsecis rationibus teneri, ita tamen, ut hic assensus propter adiutorium gratiae, quae intellectum illuminet et voluntatem confirmet, supernaturalis evadat et super omnia firmus.<sup>3)</sup> Alii aliter.<sup>4)</sup> — Quid ergo? Dico:

Deus revelavit, immediate credo a Deo motus per instinctum specialem»; et rursus (ib.): Motiva credibilitatis e. g. miracula «determinant quidem intellectum, ut credat, sicut conditiones... at ratio formalis assentiendi lumen fidei est, quod Deus infundit credenti.»

<sup>1)</sup> In III. sent. dist. 23 q. unic.

<sup>2)</sup> De fide, disp. 3 s. 6: «Dicendo (Deus) aliquid, eo ipso dicit, se esse veracem in eo, quod affirmat... ipsum autem formale obiectum non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur; quia potest de seipso testificari et ita in seipso reflectitur et tali modo de se testificatur, ut faciat evidenter credibilia non solum alia, quae dicit, sed etiam ea, quae de seipso testificatur.»

<sup>3)</sup> De fide, disp. 1 sect. 7 n. 82: «Assensus ille de summa Dei auctoritate, qui ad credenda mysteria revelata deservit, debet quidem esse supernaturalis et elicited ab eodem habitu fidei infusae, sed non debet nec potest esse propter revelationem talis obiecti, sed debet suprema Dei auctoritas aliunde cognosci, ut possit ad credenda alia mysteria propter revelationem movere.» Cf. totam sectionem 6.

<sup>4)</sup> Billot, De virtutibus infusis pg. 288 rem explicat exemplo: «Si paulisper consideres modum quo exempli gratia credis Titio aliquid tibi attestanti, videbis in primis quod credis propter auctoritatem, sed non credis auctoritatem quam aliunde notam habere debes, adeoque non coniungis actum credendi rem attestatam cum actu credendi scientiam, veracitatem, et locutionem tui interlocutoris. Videbis insuper quod verbis eius adhibendo fidem, nullum ratiocinium formas, et non deducis conclusionem ex praemissis. Sed praesupposita notitia de eo quod fidei dignus sit interlocutor tuus, auditaque eius asseveratione, ponis simplicem assentiendi actum qui loquentis auctoritatem citra intermedium pro ratione habet. Ergo idem sentiendum est de actu fidei divinae. Et re quidem vera, fides divina quoad substantiam actus sub nostra conscientia cadit. Atqui cum fidei divinae actum elicimus, minime experimur nos discurrere,

*Sententia Lugonis praeferenda videtur.*

1. Imprimis nemo negare potest, ad rationale fidei obsequium cognitionem certam tum auctoritatis Dei tum facti revelationis necessariam esse. Haec cognitio autem non tantum est *conditio*, sed vera *causa*, licet non totalis, assensus fidei. Credimus enim *propter* auctoritatem Dei *revelantis*, qui nec falli nec fallere potest (conc. Vatic.).<sup>1)</sup> Particula *propter* autem non solum conditionem, sed verum influxum causalem designat. Et sane auctoritas Dei omnibus fidentibus *movet* ad credendum, est ergo causa assensus fidei. Auctoritas Dei autem in concreto se sistit per revelationem. Ergo prima veritas *qua* revelans est causa assensus fidei. Quapropter neque *Melchioris Cani* neque *Scoti* sententia admitti potest; eo quod cognitio veracitatis divinae et facti revelationis non est tantum dispositio fidem praecedens, sed elementum actum fidei necessario ingrediens.

2. Multo minus *Suaresii* sententia admitti potest, quippe quae cum natura intellectus pugnare videatur. Iuxta Suaresium enim in actu fidei obiectum formale, i. e. testimonium divinum propter seipsum credere debemus. Sed quomodo hoc possumus, nisi veracitas huius testimonii nobis constet? Non potest autem constare per aliud testimonium divinum, quia de illo eadem recurret quaestio. Ergo vel admittenda erit immediata et interna revelatio veritatis divini testimonii singulis facta, et hoc est aperte falsum; vel unum testimonium divinum propter aliud testimonium divinum externum creditur et hoc iterum propter aliud et ita sine fine; quod manifesto circulum vitiosum vel processum in infinitum involveret. — Exinde patet, nec *Suaresii* nec ullam aliam sententiam probandam esse, quae docet, *assensum fidei in motivo fidei formaliter credito sistere posse vel debere*.

3. Contra vero sententia *Lugonis* clara et tuta est. Claritas ex ipsa expositione apparet. Auctoritas divina enim et factum revelationis in hac sententia lumine rationis ita

---

aut iudicium componere, sed post revocatam in mentem revelationem Dei de veritatibus nostrae religionis, in simplicem assensum erumpere, qui hoc uno vocabulo redditur: credo.»

<sup>1)</sup> Denzinger 1789.

cognoscuntur, ut ipsa revelatio evidenter credibilis appareat. — Sed est etiam sententia *tuta*. Etenim  $\alpha$ ) gratia divina, quae voluntatem confortat et intellectum elevat et illuminat, efficit, ut assensus lumine rationis in obiectum formale fidei praestitus *supernaturalis* evadat.  $\beta$ ) Eadem gratia efficit, ut sit assensus *super omnia firmus*. Licet enim motiva credibilitatis per se gradum certitudinis *moralis* non transcendunt, crescit tamen haec certitudo ad gradum omninaturali certitudine maiorem per lumen fidei, quod voluntatem et intellectum afficit, elevat et roborat.  $\gamma$ ) Praeterea in hac sententia fides nostra est vere *divina*, unice innixa auctoritati Dei revelantis. Motiva credibilitatis enim non per se nos movent ad fidem, sed *quatenus* per ea cognoscimus, Deum locutum esse. Tota vis movendi ergo inest *auctoritati divinae*. Sane, si dux militiae per nuntium, qui litteram sigillo regio munitam defert, de voluntate regis certior efficitur eique se submittit, id non facit propter nuntium et epistolam, sed unice propter reverentiam erga principem, cuius voluntas per nuntium epistolam deferentem ei manifestatur. A pari in casu nostro.<sup>1)</sup>  $\delta$ ) Denique haec sententia etiam propter auctoritatem magni nominis Theologorum, qui eam tenuerunt et adhucdum tenent, *tuta* censi debet.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Ad rem Lugo, disp. 1 s. 7 n. 117: «Si res fidei nostrae credamus propter testimonium Dei firmissime, eodem modo, quo credimus fide humana propter testimonium Petri, addita maiori illa firmitate, nemo potest negare, quod fides nostra resolvatur sufficienter in auctoritatem et testimonium Dei; nec enim unquam a nobis exigitur, quod magis resolvatur fides nostra in testimonium Dei, quam fides humana in testimonium hominis, cui credimus, neque ad id asserendum est ullum probabilitatis vestigium, cum verum sit in toto rigore et proprietate, quod per fidem humanam credimus Petro et ducimur eius auctoritate et testimonio, sicut verum est dicere hoc ipsum de fide divina respectu testimonii divini.» Cf. Stentrup, Praelectiones, de fide thes. 31.

<sup>2)</sup> Praeter Lugonem hanc sententiam tenuerunt Petr. Hurtado disp. 7 s. 6; Ripalda, De fide disp. 3; Pallavicini, Curs. theol. de fid. n. 56—58; Mastrius in III sent. disp. 6 q. 7 a. 4 n. 39; Franzelin et Kleutgen (ll. cc.); Hurter n. 462; Schmid Al., Untersuchungen über den letzten Gewißheitsgrund des Offenbarungsglaubens (München 1879) aliique. Ipse s. Thomas haud immerito pro hac sententia videtur allegari (cf. Franzelin pg. 569; Kleutgen Bd 4 n. 278).

*Nota.* Non negamus, auctoritatem Dei et factum revelationis *etiam* credi posse et reapse credi *propter testimonium divinum*. Inter veritates quippe revelatas etiam istae duae reperiuntur: Deus nec falli nec fallere potest, et: Deus nobis revelationem dedit. Unde obiectum *formale* fidei etiam ad veritates obiecti *materialis* pertinet. Ideo tamen non impingimus in circulum vitiosum, quia non credimus auctoritatem Dei revelantis propter auctoritatem Dei revelantis ita, ut auctoritas Dei sit simul et sub eodem respectu obiectum materiale et formale fidei, prouti in sententia Suaresii accidit; sed credimus Deo sive alias veritates sive ipsam suam auctoritatem revelanti, quia haec auctoritas in ultima analysi per motiva credibilitatis, apprehensa lumine rationis supernaturaliter confortatae, se nobis sistit.<sup>1)</sup>

*Quaestio 3. Utrum assensus fidei sit conclusio logica ex duabus praemissis, quarum una divinam veracitatem, altera actum revelationis enuntiat.*

Resp. a. Certe huiusmodi conclusio actui fidei *praecedere* debet. Assensui fidei enim, ut rationabilis sit, cognitio credibilitatis praecedere debet, quae non est immediata, sed deducta ex aliis veritatibus (441). — b. Aequè certum est, *ipsum actum fidei non esse conclusionem logicam* ex argumentis, quibus revelatio demonstratur. Ex his enim necessario quidem sequitur conclusio theoretica: revelatio est credibilis et credenda; sed non conclusio practica: ego credo. Haec quippe conclusio non fit absque imperio voluntatis et influxu gratiae. — c. Quamvis autem actus fidei non sit mera conclusio logica, tamen huiusmodi conclusionem *virtualiter* continet. Sane credo e. g. mysterium Trinitatis propter auctoritatem Dei, qui hoc revelavit. In hoc autem manifesto obiective tres propositiones et subiective tria iudicia includuntur: Deus est trinus, Deus hoc

<sup>1)</sup> Cf. Lugo, disp. 1 sect. 6 n. 104; Franzelin pg. 569. Advertunt isti auctores, quod assensus in obiectum formale fidei meretur nomen *fidei late dictae*, quatenus imperatur a voluntate et elicitur ex habitu fidei, qui non potest attingere obiectum materiale, quin attingat etiam obiectum formale, propter quod illud creditur (435, nota).

revelavit, Deus nec falli nec fallere potest. Ex his iudiciis autem bina se habent tamquam media, per quae tertium cognoscitur. Ergo in actu fidei continetur ratiocinium, non quidem formale, quia ista iudicia non fiunt distincte; sed virtualiter, quia revera in illo implicite includuntur.<sup>1)</sup>

456

*Quaestio 4. Quomodo actus fidei resolvatur.*

Resp. Resolutio seu analysis fidei est explicatio *principiorum*, quae ad producendum actum fidei concurrunt; praesertim assignatio *rationis ultimae*, propter quam credimus. Multa autem sunt principia, quae causaliter in actum fidei influunt. Videlicet: **a.** Tria principia *efficientia*, nimirum intellectus ut principium *eliciens*, voluntas ut principium *imperans*, gratia ut principium *excitans* et *adiuvans* (443 sq). — **b.** *Motiva credibilitatis*, quae non tantum conditio fidei sunt, ad instar praeambulorum (79), sed vere eius causa, licet remota et inadaequata. Ipsa enim revelationem *credibilem* faciunt, et sic ad credendum *movent*, licet per se sola nondum sufficiant. Hinc dici solet, actum fidei in motiva credibilitatis resolvi *dispositive*.<sup>2)</sup> — **c.** Ad motiva fidei revocatur etiam *honestas* ac multiplex *bonitas* fidei, quippe quae voluntatem ad credendum alliciant. Haec motiva a motivis credibilitatis in eo differunt, quod ista *intellectum* convincunt, illa *voluntatem* afficiunt. Hinc dici solet, quod in actum fidei influunt *affective*. — **d.** Etiam auctoritas Ecclesiae in fidem influit; ea namque in discernendo obiecto revelationis nos dirigit ac docet, *quid* credere debeamus. Actus fidei ergo quodammodo etiam in auctoritatem Ecclesiae, videlicet *directive* resolvitur. — **e.** Praecipua demum quaestio in analysi fidei vertitur circa rationem *ultimam et formalem*, propter quam credimus. Et haec alia non est nec esse potest, quam *auctoritas Dei revelantis* (444). Ab obiecto formali enim natura et valor fidei dependet. Fides ergo supernaturalis et divina esse nequit, nisi testimonium, in quo obiectum formale consistit, supernaturale sit et divinum. Quomodo autem id possibile sit absque circulo vitioso, a Lugone didicimus (453).

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, 'Beilagen'-Heft 3 S. 77 ff.

<sup>2)</sup> Haec tamen expressio non videtur esse omnino congrua, quia «disponere» magis ad *conditionem*, quam ad causam pertinet.

## CAPUT II.

### De regula fidei.

Fidei natura eiusque proprietatibus explicatis ulterius 457  
quaeritur, *quid* homo credere teneatur. Assignanda videlicet est norma vel *regula, per quam determinatur, quid credere debeamus*. Ad hunc finem explicabimus:  $\alpha$ ) quosdam *terminos* incidentes; deinde  $\beta$ ) determinabimus, quid nos *fide divina*;  $\gamma$ ) quid fide, quam *ecclesiasticam* vocant, tenere oporteat.

#### ARTICULUS I.

##### Explicatio terminorum regulam fidei concernentium.

Isti termini partim propositiones *orthodoxas*, partim 458  
*heterodoxas* respiciunt. Exponemus breviter significationem terminorum, qui frequentius occurrunt.

A. *Propositio orthodoxa* ea dicitur, quae rectae fidei concordat. Hoc autem, pro diverso valore dogmatico alicuius propositionis, variis modis fieri potest. Videlicet:

1. *Propositio aliqua esse potest vel de fide divina, vel de fide divina catholica vel de fide ecclesiastica*. De fide simpliciter *divina* dicitur omnis propositio, quae a Deo revelata est; de fide divina *catholica* appellatur propositio, quae a Deo revelata est et ab Ecclesia ut talis credenda proponitur; de fide *ecclesiastica*, quae non quidem in se revelata est, sed cum revelatione necessario cohaeret atque ut talis ab Ecclesia tenenda proponitur (329).

2. Omnis propositio revelata constituit *dogma*. Quodsi revelata quidem est, at revelatio nondum satis innotuit, dicitur *dogma in se* (iuxta alios *dogma credibile* vel *de fide definibili*); si propositio revelata et ab Ecclesia sufficienter proposita est, vocatur *dogma quoad nos* (iuxta alios *dogma credendum*). Si de dogmate simpliciter sermo sit, communiter *dogma quoad nos* intelligitur; quemadmodum etiam, cum aliqua sententia simpliciter *de fide* dicitur, ea de fide divina et catholica (*dogma quoad nos*) intelligi debet.<sup>1)</sup>  
— Licet porro ratione obiecti formalis omnia dogmata ae-

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, Instit. theol. n. 87.

qualia sint, quia omnia propter infallibile testimonium Dei summa certitudine credi debent; tamen ratione obiecti materialis nonnulla dogmata principaliora et magis necessaria sunt, et haec dicuntur *articuli fidei* sensu stricto.<sup>1)</sup> Brevis summa praecipuos articulos fidei explicite continens appellatur *symbolum fidei*. — Notandum quoque est, quaedam dogmata pro obiecto habere veritates *necessarias* e. g. attributa divina; alia veritates *historicas* e. g. creationem mundi, incarnationem, vitam et mortem Christi. Praeterea omnia quidem dogmata continent veritates revelatas, quas credere debemus; sed nonnulla *theoretica* sunt ac docent, quid scire debeamus, alia insuper docent, quid agendum sit sive de necessitate sive de consilio. Dogmata *theoretica* sunt e. g. ss. Trinitas, realis praesentia Christi; dogmata *practica* sunt praecepta decalogi, octo beatitudines a Christo propositae aliaeque veritates morales. Necessitas quoque dogmatum varia est: cum quaedam sint de necessitate *medii* et *praecepti*, alia tantum de necessitate *praecepti*; nonnulla *explicite*, alia saltem *implicite* credi debeant.

3. *Conclusio theologica* generatim omnis sententia dici potest, quae ex principiis theologis derivatur; sensu stricto tamen hoc nomine designantur illae sententiae, quae e fontibus fidei cum *certitudine* derivantur, *nec tamen dogmata sunt*.<sup>2)</sup> Si quae sententia libere in scholis disceptatur, appellatur *opinio scholastica*. Conclusiones porro theologicae propius vel remotius cum dogmate cohaerere possunt; unde variae denominationes enascuntur. Videlicet:

4. *Fidei proxima* dicitur ea veritas, quae ex Theologorum consensu certe quidem in deposito fidei continetur, nondum tamen ab Ecclesia omnibus ad credendum satis proposita est. Quodsi Ecclesia aliquam propositionem ut *haeresi proximam* damnat, eius contradictoria implicite fidei proxima esse declaratur. Tales propositiones dicuntur etiam fide certae, dum veritates definitae simpliciter *de fide* esse dicuntur.

5. *Theologice certae* illae veritates appellantur, quae, licet in se revelatae non sint, tamen ita cum revelatione co-

<sup>1)</sup> Cf. Thom. p. 2, 2 q. 1 a. 6.

<sup>2)</sup> Ita Kleutgen l. c. n. 93.

haerent, ut ex earum negatione theoretice vel practice veritas revelationis vel bonum Ecclesiae in discrimen vocarentur. Sic prop. 17 Syllabi a Pio IX. damnata: «In clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur», continet errorem, qui mediate in fidem et bonum Ecclesiae redundat. Veritates ergo «fide certae» immediate, veritates «theologice certae» mediate tantum cum revelatione cohaerent; unde etiam de *fide ecclesiastica*, vel *ad doctrinam catholicam pertinentes* vocantur.<sup>1)</sup>

6. Aliae expressiones sunt: *sententia communis*, *fere communis*, *probabilis*, *probabilior*, *probabilissima* etc. Ratio distinctionis partim a valore argumentorum, quibus aliqua sententia fulcitur, partim et maxime a numero et auctoritate Theologorum, qui eam propugnant, desumitur. Usus horum terminorum admodum familiaris est in Theologia morali, quae eorum significationem atque valorem accurate describit. — Plures denominationes consimiles, e. g. *doctrina sana*, *tuta* etc. facile per se intelliguntur.

7. Ratione denique obligationis propositio aliqua est vel necessaria vel libera vel tolerata. Dicitur *necessaria* ea propositio, quae ab Ecclesia omnibus ad credendum proponitur. Dicitur *libera*, de cuius veritate in scholis catholicis libere disceptatur. *Tolerata* denique illa propositio vocatur, quae communius quidem ab orthodoxis Theologis reiicitur; ab aliis tamen, tacente Ecclesia, adhucdum defenditur.

**B.** *Propositiones heterodoxae* generatim omnes illae sunt, quae fidei vel bonis moribus repugnant ac censuram aliquam merentur. Nomine *censurae theologicae* autem intelligitur iudicium, quo doctrina aliqua notatur tamquam fidei ac religioni nociva. Talis censura est *authentica* (*publica*, *iudicialis*), si a pastoribus Ecclesiae infligitur; mere *doctrinalis* (*privata*), si a viris doctis profertur. Porro censurae publicae non eundem authenticiae gradum habent. Si enim a supremo Ecclesiae magisterio procedunt ac definiuntur, sunt infallibiles ac irreformabiles (335, 3). Si vero a tribunali inferiore infliguntur, nec infallibiles nec etiam simpliciter irreformabiles sunt; quamvis etiam tales censu-

<sup>1)</sup> Paulo aliter istos terminos explicat Scheeben, Dogmatik Bd 1 S. 30 f.

rae, ut postea videbimus, subiectionem externam et internam mereantur. Plus sexaginta a Theologis enumerantur censurae, quae a conciliis, Pontificibus et Facultatibus theologicis adhibitae sunt. Potiores occurrunt in constitutione *Unigenitus*, qua *Clemens XI.* propositiones Quesnellii damnavit tamquam *falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et eius praxi iniurias, etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemias, suspectas de haeresi ac haeresim ipsam sapientes, haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatus ac demum haereticas.*<sup>1)</sup> Hisce temporibus Congregatio Inquisitionis aliquoties etiam declaravit, certas propositiones *tuto tradi non posse.*<sup>2)</sup> Tali decreto aliqua doctrina proprie non *damnatur*, sed tantum *prohibetur*; idque ut alibi notavimus (335, 3), non solum propter intrinsecam eius falsitatem, sed aliquando etiam propter extrinsecas temporum circumstantias fieri potest. Nihilominus grave semper praeiudicium contra veritatem talis propositionis, quae ex iudicio Ecclesiae tuto tradi non potest, revera subsistit. Licet igitur talis prohibitio non sit censura stricte talis, ei tamen admodum affinis est.

Nota insuper, censuras non semper singulas singulis propositionibus apponi, sed frequenter pluribus simul, seu ut aiunt, *in globo*. Hoc significat, nullam ex enumeratis propositionibus esse, cui aliqua ex adiectis censuris non conveniat, licet non determinetur, quam praecise notam singulae propositiones mereantur. Declaremus potiores.

1. *Haeresis* (obiective sumpta) seu propositio haeretica est illa, quae *certo dogmati certe opponitur*. Duo ergo ad haeresim requiruntur: «unum est, ut propositio contraria sit certissime et indubitanter de fide; aliud est, ut altera propositio certissime et indubitanter illi repugnet».<sup>3)</sup> Quodsi alterutrum a Theologis tacente Ecclesia in dubium vocatur, propositio non erit haeretica. Ceterum dogma aliquod

<sup>1)</sup> Denzinger 1451.

<sup>2)</sup> Consule decreta circa Ontologismum (18. Sept. 1861), circa Transsubstantiationem (7. Iul. 1875) et quoad comma Ioanneum (13. Ian. 1897).

<sup>3)</sup> Suarez, De fide disp. 19 s. 2 n. 13.

impugnari potest vel *contradictorie* vel *contrarie*. Divinitati e. g. Christi assertio Arii: «Christus non est Deus», contradictorie opponitur; Ebionitarum error: «Christus ante Mariam non fuit», contrarie.

2. *Haeresi proxima* dicitur illa propositio, quae opponitur doctrinae ex universali consensione et praedicatione indubitanter tenendae ut verae, quae tamen non simpliciter et certo tamquam *de fide* proponitur. Duo igitur circa hanc censuram quaeruntur: α) an propositio aliqua *certo dogmati* opponatur, β) an certo dogmati *certe* opponatur. Quodsi de una vel altera conditione non omnino constat, licet ad plenam certitudinem parum desit, tunc locum habet haec censura. Sic haeresi proximum est dicere, B. Virginem non esse corporaliter assumptam in caelum, vel non omnes et singulos homines habere angelum custodem. — Haec censura primo occurrit quoad propositiones damnatas ab Alexandro VIII. d. 7. Dec. 1690. Theologi antiquiores, e. g. Melchior Canus, propositiones, quae modo descripto alicui veritati revelatae repugnant, notabant tamquam *erroneas*.

3. *Haeresim sapiens, de haeresi suspecta, haeresi favens, captiosa, male sonans* — sunt censurae talium propositionum, quae licet sensum sanum non omnino excludant, obvie tamen attentisque omnibus circumstantiis sensum sinistrum, veritati catholicae contrarium fundunt, ideoque male sonant auribus fidelium captiosaque ambiguitate haeresim promovent. Sic propositio: «*fides iustificat*» sanum sensum admittit; communius tamen et praesertim in ore viri lutherani haeresim involvit. Item prop. 3 Quesnellii: «In vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das, quod praecipis» — sana est in ore hominis catholici; at prolata a Quesnellio docente, non omnibus dari gratiam sufficientem ad Dei praecepta implenda, manifesto *captiosa* est, atque ut talis merito ab Ecclesia proscripta fuit.

4. Censurae, quibus propositio aliqua notatur ut *falsa* et *erronea*, sunt affines, sed non omnino identicae. Falsum enim sive in Philosophia sive in Theologia magis *negative* sumitur de non-convenientia propositionis cum veritate; error vero quandam repugnantiam *positivam* cum veritate maioris momenti et communiter recepta involvit,

ac maiorem maculam malitiae vel saltem crassae ignorantiae inurit.<sup>1)</sup> Hinc etiam in censuris Pontificum communiter error ut gradus falsitate superior apparet. — Quoad censuram *erroris*, quae frequentissime occurrit, haec insuper nota:  $\alpha$ ) Ea aliquando sensu generico sumitur, et sic etiam haeresim sub se comprehendit; quemadmodum e. g. in «Syllabo 80 *errorum*» etiam haereses continentur.  $\beta$ ) Sensu magis presso error opponitur propositioni fide certae vel etiam simpliciter certae, e. g. «Fides est prima gratia», vel: «Proclamandum est et observandum principium, quod vocant de non-interventu.» Prior damnata est a *Clemente XI.* (Const. ‚Unigenitus‘ prop. 27), eo quod ex revelatione certissime deducitur, ante fidem gratias dari; altera propositio damnata est a *Pio IX.* (Syllab. prop. 62), eo quod veritati, licet non revelatae, ast theoretice et practice cum religione et bonis moribus connexae, aperte contradicit.

5. *Temeraria* appellatur propositio, quae opponitur doctrinae aut disciplinae aut consuetudini et institutis in Ecclesia communiter receptis. Sic assertiones *synodi Pistoriensis*, non existere thesaurum meritorum Christi et sanctorum (prop. 41), turpem esse abusum praetendere eleemosynam pro celebrandis missis (prop. 54), limbum parvulorum esse fabulam pelagianam (prop. 26) etc., a *Pio VI.* (Const. ‚Auctorem fidei‘) damnatae sunt ut *temerariae*. Malitia, quae hanc censuram meretur, in eo consistit, quod quis sine ratione sufficiente (temeritas negativa) et cum contemptu auctoritatis (temeritas positiva) agit.

6. *Piarum aurium offensiva* illa propositio est, quae pietati fidelium vel etiam pietati erga Ecclesiam adversatur. Ex hac causa prop. 33 *synodi Pistoriensis*: «ut s. liturgia iuxta recta principia dirigatur, oportere eam revocare ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua et elata voce proferendo», damnata fuit ut *temeraria* et *piarum aurium offensiva*.

Reliquae censurae facile ex ipsis terminis intelliguntur.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Suar. l. c. n. 11.

<sup>2)</sup> De censuris vide Franzelin, De tradit. th. 12, Scholion 2; Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 n. 81 f; Scheeben, Katholik 1869

## ARTICULUS II.

**Quid fide divina et catholica credi debeat.**

*Regula 1. Homo fide divina et catholica credere tenetur id omne et solum, quod Deus revelavit et Ecclesia ad credendum proponit.* 460

Haec est regula generalis enuntiata ab ipso conc. Vaticano (de fide cap. 3)<sup>1)</sup>: «*Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.*» Iamvero enuntiata regula ut corollarium ex prioribus tractatibus ultro sequitur. Demonstravimus enim  $\alpha$ ) existentiam divinae revelationis, quae in Scriptura et traditione integra et incorrupta deposita est. Demonstravimus  $\beta$ ) institutionem Ecclesiae et in Ecclesia magisterium vivum et infallibile tamquam organum unicum et exclusivum, per quod vera fides (obiectiva) omnibus hominibus usque ad finem mundi applicatur. Demonstravimus  $\gamma$ ) unitatem et necessitatem huius fidei, ita ut omnes sub necessitate salutis eam amplecti teneantur; non tantum quoad articulos fidei, sed quoad omnia et singula, quae in eius deposito continentur atque ab infallibili magisterio credenda proponuntur (316). Atqui in his implicite regula fidei catholicae a conc. Vaticano proposita iam probata continetur. Ergo. — Quamquam autem res ita est, *applicatio* tamen huius regulae ad singulas veritates doctrinae catholicae non semper tam clara et facilis est; sive quia de *revelatione* alicuius doctrinae, sive quia de *propositione Ecclesiae* non satis constat. Quapropter ut accuratius distinguamus, quid ad fidem catholicam pertineat, regulam generalem enucleare et in plures distinctas resolvere oportet. Sit itaque:

*Regula 2. Quod explicite et evidenter in s. Scriptura continetur, generatim ut dogma catholicum credi debet.*

---

Bd 1 S. 256 ff 400 ff et Dogmatik Bd 1 § 30; Ant. de Panormo, Scrutinii doctrin. l. 1 a. 2; Montagne, De censuris seu notis theologicis.

<sup>1)</sup> Denzinger 1792.

Sensus et veritas huius regulae ex tractatu de s. Scriptura colligitur. Est enim dogma catholicum, integram s. Scripturam cum omnibus suis partibus Spiritu s. inspirante conscriptam, Deum habere auctorem; ut in tribus conciliis *Florentino, Tridentino* et *Vaticano* definitum est (211 sqq.). Ergo omne id, quod explicite et evidenter in s. Scriptura continetur, habet Deum auctorem atque ut infallibile verbum Dei credi debet.<sup>1)</sup> Neque refert, an id, quod in Scriptura continetur, sit doctrina vel factum, res religiosa vel profana. Scriptura enim quoad omnes et singulas partes divinitus inspirata est.

Quoad regulae applicationem autem notandum est:  
 $\alpha$ ) Ut aliquis textus ut inspiratus credendus sit, certum esse debet eum in s. Scriptura contineri. Unde dogma non est, comma Ioanneum (I. ep. 5, 7) qua tale esse verbum Dei inspiratum; eo quod Ecclesia textus authenticitatem, hucusque saltem, nondum definierit, licet Congr. s. Officii declaraverit, authenticitatem huius textus tuto negari aut in dubium vocari non posse.<sup>2)</sup> —  $\beta$ ) Necesse quoque est, ut *sensus* textus sit certus. Unde dici nequit, iuxta s. Scripturam (Ios. 10, 13) credendum esse motum solis; cum praefatus textus optime de motu apparente explicari possit. —  $\gamma$ ) Notandum denique est, Ecclesiam utique inspirationem s. Scripturae omniumque eius partium definisse; quoad singulos textus profanos autem id definitum non esse. Unde non sequitur, singulas affirmationes biblicas totidem dogmata esse. Confer, quae scripsimus n. 213. 214. 226 arg. 8.

461 *Regula 3. Quidquid solemni iudicio Ecclesiae ut divinitus revelatum credendum proponitur, est dogma catholicum; sive id fiat decreto positivo, sive per modum canonis anathemate muniti.*

Assertio non tam nova demonstratione, quam declaratione indiget. Conditiones nimirum a regula requisitae sunt:

1. *Solemne iudicium*, quo scilicet Ecclesia non solum aliquam veritatem docet, sed eam stricte definit ac credendam proponit. Hoc solemne iudicium fidei Ecclesia exer-

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, *Instit. theol.* n. 88.

<sup>2)</sup> *Ench. dogm. spec.* n. 73, B.

cet per *conciliorum oecumenicorum definitiones*, per *symbola* et *professiones fidei* publice praescriptas, per definitiones *Pontificum ex cathedra* factas, per decreta conciliorum *provincialium solemniter approbata* aut *ab universa Ecclesia recepta*; cuiusmodi fuerunt Milevitanum II. (416) et Carthaginense (418) adversus Pelagianos, Arausicanum II. (529) adversus Semipelagianos etc. Non tamen omnia, quae in conciliis aliisque solemnibus enuntiationibus Ecclesiae continentur, sed tantum ipsa decreta fidei constituunt dogmata. Rationes enim, quae ad probanda dogmata afferuntur, declarationes assertionesque incidentes, licet magnam auctoritatem doctrinalem habeant, tamen stricta dogmata non sunt.

2. At neque omnia decreta, quae ad fidem spectant, iam dogmata sunt; sed requiritur insuper, ut aliquid tamquam divinitus *revelatum* credendum proponatur. Cum enim multae veritates intime cohaereant cum revelatione, ad eam tuendam Ecclesia etiam tales veritates proponere erroresque contrarios damnare potest ac debet. Fideles etiam talia decreta tenere debent, at non fide *divina*, quia non sunt veritates revelatae, sed fide *ecclesiastica*, quia necessario cum revelatione nectuntur. Sed de his postea.

3. Nequaquam autem ad dogma certa *forma* definitionis exigitur, prorsusque falso nonnulli recentiores docent vel saltem supponunt, id dumtaxat de fide esse, quod Ecclesia apposito anathemate proponit. Huiusmodi suppositio enim non solum gratuito fingitur omnique fundamento caret; sed tam ex natura rei quam ex tenore conciliorum falsa esse demonstratur. *α*) Ex natura rei, inquam. Id enim dogma catholicum est, quod certe divinitus revelatum est atque ut tale ab Ecclesia certe credendum proponitur. Atqui utrumque constare potest sive positive per definitivam propositionem veritatis, sive negative per damnationem erroris oppositi. Immo forma positiva *directe*, negativa nonnisi *indirecte* docet, quid credi debeat. *β*) Ex tenore conciliorum. Sic conc. *Tridentinum* (Sess. XIII) decreto positivo apponit clausulam: «SS. oecumenica Synodus... omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de ss. Eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est *hoc prae-*

*senti decreto* explicatum atque definitum.» In fine vero decreti canonibus praemittit verba: «Quoniam autem non est satis, veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores, placuit s. Synodo hos canones subiungere, ut omnes iam agnita catholica doctrina, intelligant quoque, quae ab illis haereses caveri vitarique debeant.»<sup>1)</sup> Plura alia decreta dogmatica in forma positiva reperies in Sessionibus IV. VI. XIV. XXI. XXIII. XXV, itemque in capitibus conc. *Vaticani*; nec non in antiquioribus conciliis e. g. in decretis conc. *Lateran.* IV. etc.<sup>2)</sup>

*Regula 4. Quidquid ordinario et universali magisterio Ecclesiae tamquam divinitus revelatum credendum proponitur, est dogma catholicum.*

462 **Declaratio.** Cum nostris temporibus passim invaluerit opinio, nil de fide esse, nisi quod ut tale solemniter definitum fuerit,<sup>3)</sup> conc. Vaticanum huic errori occurrit docens, ea omnia de fide divina et catholica esse, quae ab Ecclesia sive solemnii iudicio sive *ordinario et universali magisterio* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Intelligitur autem nomine *magisterii ordinarii* illud, quo Ecclesia docens per totum orbem dispersa fideles continuo in vera fide instruit ac roborat. Modi, quibus hoc magisterium exercetur, innumeri sunt. Ecclesia enim docet in Scholis theologicis, in instructionibus catechetis, in concionibus et homiliis, per litteras pastorales, in scriptis Patrum, doctorum, ascetarum, per s. liturgiam totumque cultum publicum, per praecepta morum, per disciplinam ac leges ecclesiasticas etc. Nomine magisterii ordinarii ergo non intelligitur magisterium infallibile Sedis apostolicae in oppositione ad concilia, prout nonnulli putabant; sed intelligitur magi-

<sup>1)</sup> Denzinger 882.

<sup>2)</sup> Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 n. 50 ff.

<sup>3)</sup> Ita cum multis aliis Hirscher (Kirchliche Zustände S. 68): «Jeder darf, ohne im geringsten aufzuhören ein glaubenstreuer Katholik zu sein, in allen Fragen, über welche der Lehrbegriff nicht kirchlich fixiert ist, jener Ansicht folgen, welche ihm nun eben die richtige zu sein scheint.» Et alibi (Moral Bd 3 S. 207, 4. Aufl.): «Wenn als Abweichung von der Einheit des Lehrbegriffes bezeichnet wird, worüber von der Kirche gar nicht entschieden ist, so ist das Verketzerungssucht und nicht gut.»

sterium habituale totius Ecclesiae per orbem dispersae in oppositione ad actuales et extraordinarias definitiones. Quae de causa, ut notavit relator concilii (ep. Paderborn. Martin), addita fuit vox «universali».<sup>1)</sup>

Notandum est autem, non omne id, quod in magisterio ordinario fidelibus traditur, eo ipso iam esse dogma catholicum; sed illud solum, quod traditur tamquam *divinitus revelatum*. Sicut enim in iudiciis solemnibus multa instanter docentur, quin tamen definiantur, ita etiam in magisterio ordinario multa traduntur, quin expresse ac certo doceatur, ea esse revelata. Huiusmodi veritates sunt e. g. assumptio corporea b. Virginis in caelum, eius immunitas a fomite, praerogativae b. Iosephi, plura capita doctrinae de commercio angelorum bonorum ac malorum cum hominibus, ignis verus non tantum metaphoricus inferni ac purgatorii, variae doctrinae de gratia et merito nec non de re sacramentaria etc. Haec et multa alia non solum in scholis theologicis, sed etiam in instructionibus catecheticis et in concionibus per totam Ecclesiam docentur ideoque aliquo modo ad fidem catholicam pertinent; at stricta dogmata non sunt, quia licet cum revelatione plus minus connexa sint, non tamen ut divinitus revelata proponuntur vel saltem non certe et universaliter qua talia proponuntur.

**Demonstratio 1.** Ecclesia est columna veritatis ac custos infallibilis depositi fidei non solum tempore concilii, sed semper. Christus Ecclesiae promisit suam assistentiam ac Spiritum veritatis absolute, non tantum sub conditione congregationis conciliaris. Fideles quoque semper Ecclesiae obedire tenentur; neque unquam fiet, ut portae inferi contra eam praevaleant. Iamvero si id, quod magisterio ordinario ut dogma catholicum traditur, tale non esset, profecto de ipsa infallibilitate Ecclesiae actum esset ac portae inferi contra eam praevalerent.

2. Praefata regula in Ecclesia revera sancte semper observabatur. Id patet praecipue ex celebri canone *Vincen-  
tii Lirin.*<sup>2)</sup> quo id vere catholicum, id tenendum esse statui-

---

<sup>1)</sup> Cf. Coll. Lacens. pg. 176.

<sup>2)</sup> Commonit. n. 3. 4. 38. 41.

tur, quod ubique et ab omnibus creditur, et tum demum recurrendum esse ad antiquitatem, cum de consensu in Ecclesia actu existente dubitatur. (Vide n. 183, ubi hunc canonem exposuimus.) — Praeterea ad magisterium ordinarium provocabant Patres in controversiis cum haereticis. Sic contra Paulum Samosatenum, Marcionem, Arium, Nestorium, Pelagium aliosque haereticos non tam decreta conciliorum anteaactorum, quam consensum Ecclesiae praesentis opposuerunt, eosque publice ut haereticos damnarunt, antequam ulla definitio Ecclesiae contra illos praecessisset. Profecto, quis negabit, in Ecclesia multa credita fuisse dogmata ante primum concilium oecumenicum? Quis negabit, multa nunc quoque credi ut divina dogmata, licet nulla desuper existat sollemnis definitio? Spiritualitas et immortalitas animae, discrimen essenziale hominem inter et brutum, ius proprietatis, malitia furti, calumniae, et sexcenta alia a quovis catholico creduntur, neque sine apostasia a fide negari possent; et tamen nullae desuper existunt definitiones Ecclesiae, sed solo traduntur magisterio ordinario eiusdem. Veritas ac necessitas huius magisterii praecipue quoad s. Scripturam elucet. Nam Ecclesia definivit quidem, integram s. Scripturam cum omnibus suis partibus esse inspiratam; at singulorum textuum inspiratio et interpretatio definita non fuit, sed recurrendum est ad magisterium ordinarium.

**Obiicitur 1.** Patres et Scholastici haud raro dicunt, expectandum esse iudicium Ecclesiae, priusquam aliquis ut haereticus traducatur. — *Dist.* Id dicunt generatim respectu cuiusvis erroris, qui nondum damnatus est ab Ecclesia, *N.*; ita loquuntur in quaestionibus specialibus, de quibus controvertebatur inter ipsos auctores catholicos, *C.* Profecto; communiter quidem sufficit ad cognoscenda ac discernenda dogmata ab haeresibus magisterium ordinarium. Quando vero dubia et quaestiones oriuntur, ac novatores exurgunt, qui turbas seducunt atque inter ipsos sacerdotes et praesules Ecclesiae sibi fautores et assecclas adsciscunt, tunc certe etiam solemnes definitiones Pontificum ac conciliorum necessariae fiunt.

**Obiicitur 2.** Magisterium ordinarium non est causa,

sed *effectus* dogmatum. Non enim ideo aliquid est dogma, quia in tota Ecclesia docetur et creditur; sed ideo docetur et creditur, quia dogma est. — Resp. In primis hoc etiam definitionibus conciliorum opponi potest. Non enim ideo divinitas Filii facta est dogma, quia a conc. Nicaeno definiebatur; sed quia erat dogma divinitus revelatum, ideo a concilio definiebatur. Ut vero directe solvatur obiectio, adverte, aliud esse dogma *facere*, aliud dogma *declarare*. Dogmata fiunt per revelationem divinam, declarantur autem per propositionem Ecclesiae. Haec propositio autem dupliciter contingit, sive per solemne iudicium sive per magisterium ordinarium et universale Ecclesiae. Utroque enim modo de revelatione divina alicuius veritatis certi efficimur. Sicut ergo fumus non est causa ignis, sed vice versa, et tamen ex fumo certe cognoscimus existentiam ignis: ita propositio sive extraordinaria sive ordinaria Ecclesia non est causa dogmatis *in se* spectati, sed eius effectus; et tamen nonnisi ex propositione Ecclesiae certi efficimur de illius existentia. Unde id, quod est dogma *secundum se*, per propositionem Ecclesiae fit etiam dogma *quoad nos*; et cum nomen dogmatis communiter hoc secundo sensu accipiatur, scilicet pro dogmate *credendo* (quoad nos), non tantum pro dogmate *credibili* (secundum se), ideo Ecclesia non solum dogmata declarat, sed quodammodo etiam facit.

*Regula 5. Quidquid sancti Patres vel doctores catholici 463 unanimi consensu tamquam dogma catholicum tradunt, ut tale haberi debet.*

Regula enuntiata nonnisi speciales modos magisterii ordinarii Ecclesiae exhibet, ideoque in illo implicite iam continetur. Ceterum de auctoritate Patrum et Theologorum in tractatu de traditione fuse egimus (n. 184—191).

*Regula 6. Quidquid in duabus praemissis revelatis, vel in una revelata et altera naturali formaliter et evidenter continetur, fide divina teneri debet. Quod autem virtualiter tantum in iis continetur, dogma non est, nisi ut tale ab Ecclesia proponatur.*

Dupliciter una propositio in alia contineri potest: α) *immediate* seu *formaliter*, quando sola explicatio terminorum sufficit, ut evidenter appareat, unam propositionem

in altera inclusam esse;  $\beta$ ) *mediate* et *virtualiter*, quando ratiocinium proprie dictum necessarium est, ut una propositio ex altera tamquam legitima conclusio deducatur. In propositione e. g. «Maria est mater Christi, qui est verus Deus», immediate et formaliter continetur haec altera: «Maria est mater Dei.» In propositione: «Christus est verus homo», continetur haec altera: «Christus habet animam humanam.» Contra vero in propositione: «Maria est plena gratia», continetur quidem haec altera: «Maria fuit immaculate concepta»; at non formaliter, sed virtualiter; quia proprie dicta illatio argumentativa necessaria est, ut haec ex illa deducatur. — Dupliciter quoque ex praemissis revelatis conclusio deduci potest: vel  $\alpha$ ) a scientia theologica, vel  $\beta$ ) ab Ecclesia infallibili. Regula enuntiata ergo tres partes habet, videlicet:

a. *Fide certum est*, quidquid in duabus propositionibus revelatis, vel in una revelata et altera naturali, *formaliter et evidenter* continetur. Ratio est, quia talis propositio iam *in seipsa*, licet implicite, *revelata* est atque unice auctoritati Dei revelantis innititur. Quapropter huiusmodi veritates fide *divina* credi debent.

b. *Theologice tantum certum est*, quidquid nonnisi *virtualiter* in praemissis revelatis continetur ac *scientificè tantum* ex iisdem deducitur. In tali casu enim veritas conclusionis non solum auctoritati Dei, sed etiam bonitati ratiocinii innititur. Conclusio autem, ut logici docent, semper peiorem partem sequitur.

c. At pariter *fide certa est ac fide divina* teneri debet conclusio, quam ipsa Ecclesia ex veritate revelata *deducit* et per *definitivam sententiam credendam* proponit. Ita Theologi antiqui communiter, et merito. Nam  $\alpha$ ) in tali casu infallibiliter verum est, propositionem aliquam non solum cum revelatione connexam, sed in dogmate revelato ita inclusam esse, sicuti in praemissis continetur conclusio. Assensus ergo in talem propositionem non innititur lumini rationis, sed unice auctoritati divinae manifestatae per infallibile magisterium Ecclesiae.  $\beta$ ) Ipsa concilia haud raro veritates, etiam sub forma canonum, credendas proposuerunt, quae non immediate revelatae, sed ex revelatis deductae

sunt. Huiusmodi decreta omnino multa sunt, e. g. quod Spiritus sanctus a Patre Filioque tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit, quod essentia divina non generat nec generatur, quod anima rationalis est forma corporis, quod in Eucharistia mutatio panis fit per transsubstantiationem, quod species manent sine subiecto etc.

Opponunt quidam: Quod verbum Dei non est, illud profecto nec Ecclesia verbum Dei facere potest. Sed virtualiter revelata secundum proprium verborum sensum non sunt verbum Dei, Ergo. — Resp. *Nego minorem*. Virtualiter quippe revelata revera verbum Dei sunt, aequae ac illa, quae formaliter seu immediate in revelatione continentur. Discrimen enim inter utramque classem propositionum non est hoc, quod istae in revelatione contineantur, illae non contineantur; sed discrimen est hoc tantum, quod in uno casu immediate evidens sit eas contineri, in alio casu id nonnisi ope ratiocinii demonstratur. Sed iste defectus suppletur per Ecclesiam, quae nos infallibiliter certos facit, talem veritatem in revelatione reapse contineri. Ceterum etiam ea, quae in revelatione, sicut pars in toto vel ut particulare in universali contenta sunt, non explicite sed implicite tantum seu aequipollenter verbum Dei sunt.<sup>1)</sup>

### ARTICULUS III.

#### Quid fide ecclesiastica teneri debeat.

*Regula 1. Praeter expressa dogmata, fideles etiam 464 alias veritates magisterii infallibilis Ecclesiae firmiter tenere debent, quae licet directe revelatae non sint, cum revelatione tamen necessario cohaerent, et ab Ecclesia fidelibus credendae proponuntur; praesertim si Ecclesia censuras in opiniones eisdem contrarias tulerit.*

Ratio huius regulae est duplex. Nam ex una parte impossibile est, ut fides in ipsa dogmata intacta maneat, si veritates negantur, quae cum dogmate necessario connexae sunt. Ex altera parte Ecclesia non solum quoad ipsam revelationem, sed etiam quoad veritates cum revelatione con-

<sup>1)</sup> Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 1 n. 93 ff; Wilmers, De fide divina (Ratisbonae 1902) pg. 243 sqq.

nexas infallibilis est; ut suo loco data opera demonstravimus (329 sq).

Et revera, Ecclesia non solum quoad dogmata, sed quoad alias etiam veritates dogmati connexas assensum firmum a fidelibus exigit. Sic fautores Ioannis Hus et Wiclif ad Ecclesiam redeuntes interrogari debuerunt: «utrum credant sententiam Constantiensis concilii... scilicet quod articuli 45 Ioannis Wiclif et Ioannis Hus 30 non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi». <sup>1)</sup> Ergo fides non solum ad propositiones haereticas, sed etiam ad alias plus minus connexas se extendere debet. *Clemens XI.* scribit in Bulla *Unigenitus*: «Mandamus omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac eadem nostra constitutione continetur.» In Bulla *Pastoralis Officii* vero omnes ab Ecclesia excluduntur, qui praefatam bullam *Unigenitus* non susceperint. Atqui in illa bulla non solum propositiones haereticas, sed etiam ad eas plus minus accedentes damnantur. Item *Pius VI.* in Const. *Auctorem fidei* mandat, ut fideles ita de propositionibus et doctrinis synodi Pistoriensis sentiant, prout in illa constitutione declaratum fuit. *Pius IX.* in Encycl. *Quanta cura* damnavit propositionem 10: «Illis apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae eiusdemque iura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis iactura.» Denique in fine Sess. III conc. *Vaticani* dicitur: «Quoniam vero satis non est *haeticam* pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui *ad illam plus minusve accedunt*; omnes officii monemus servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac s. Sede proscriptae et prohibitae sunt.» <sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Denzinger 661.

<sup>2)</sup> Ibid. 1820. Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd. 1 n. 81 ff; Mazzella, De Eccl. n. 822.

*Regula 2. Fideles non solum definitionibus infallibilibus, sed etiam aliis iudiciis magisterii authentici convenientem assensum intellectus praestare tenentur.* 465

Ut haec propositio rite intelligatur et a prioribus discernatur, praenota: **a.** Magisterium *infallibile* et magisterium *authenticum* non coincidunt.<sup>1)</sup> Magister namque authenticus is est, qui vi muneris *ius et obligationem* habet fideles docendi; magister infallibilis, qui in exercitio huius muneris *per assistentiam Spiritus sancti* infallibiliter ab errore praeservatur. Magisterium authenticum ergo evidenter latius patet in Ecclesia, quam magisterium infallibile. — **b.** Subiectum infallibilis magisterii enim est solus Pontifex ex cathedra definiens, et totus episcopatus in unione cum Pontifice sive in conciliis congregatus sive per orbem dispersus. Subiectum magisterii authentici autem sed non infallibilis, sunt *singuli episcopi* pro sua dioecesi,<sup>2)</sup> *concilia provincialia* pro suis provinciis, praesertim vero *congregationes romanae*, quae praecise ad conservandam puritatem fidei et sanctitatem morum in Ecclesia ab ipsis Pontificibus institutae sunt atque a Papa suam auctoritatem mutuuntur. Huiusmodi sunt: congregatio s. *Officii* seu *Inquisitionis* haereticae pravitatis, quae tutatur doctrinam fidei et morum, et tribunal s. *Poenitentiariae*. Istaе congregationes sunt utique tribunalia ipsius Pontificis, earumque decreta nomine et auctoritate Pontificis, immo saepe etiam ipso sciente et approbante eduntur, ideoque in universa Ecclesia vim habent.<sup>3)</sup> Attamen infallibiles non sunt, cum Papa

<sup>1)</sup> Cf. Palmieri; De Rom. Pontif. thes. 28; Hurter n. 514 (ed. 9).

<sup>2)</sup> Immo quadantenus etiam parochi in hoc censu veniunt, quippe qui certe officium habeant suos parochianos in fide et moribus instruendi et ab iis exigere possint obsequium fidei.

<sup>3)</sup> Pius IX. scribit Litter. ad archiep. Monac. (21. Dec. 1863): «Sed cum agatur de illa subiectione, qua *ex conscientia* omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, eiusdem conventus viri agnoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata dogmata (sc. a Conciliis vel Rom. Pontificibus definita) recipiant ac venerentur; verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et

auctoritatem quidem, sed non ipsam infallibilitatem, utpote charisma personale, congregationibus communicare possit. — *c. Etiam emanationes doctrinales ipsius magisterii infallibilis non sunt semper infallibiles.* Nam nec Pontificis nec conciliorum decreta infallibilia sunt, nisi doctrinam de fide vel moribus vel veritates cum revelatione necessario connexas ab universa Ecclesia tenendas definiant (405). Auctoritas supremi magisterii, quae non tota intensione nec per sententiam definitivam exseritur, a card. Franzelin apte appellatur *auctoritas providentiae doctrinalis*.<sup>1)</sup>

His positis 1. *evidens est obligatio fidelium, ut assensum praestent non solum infallibilibus definitionibus, sed etiam aliis iudiciis doctrinalibus magisterii ecclesiastici.* Si enim fas esset fidelibus, tamdiu assensum suspendere vel etiam positive dubitare, donec de infallibilitate proponentis magistri et propositae doctrinae in quovis casu certi redderentur, totum magisterium ecclesiasticum in concreto ferme illusorium redderetur. Sicut igitur superioribus legitimis obediendum est, nisi evidenter constet, eos non legitime praecipere, ita authenticis magistris credendum est, nisi de falsitate doctrinae propositae certe constet. Hoc postulat ipsa institutio divina magisterii authenticici, postulat ipsa sana ratio ordoque moralis et socialis. — Dicimus autem:

2. *Diversis iudiciis magisterii ecclesiastici praestandus est assensus congruus.* Ratio est evidens. Cum enim diversa sit auctoritas istorum iudiciorum, diversus quoque assensus sit oportet.

Quare a. omnia, quae ab Ecclesia tamquam *dogmata* divinitus revelata proponuntur, credi debent *fide divina et catholica* i. e. assensu super omnia firmo propter auctoritatem Dei revelantis.

---

constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologiam mereantur censuram.» (Denzinger 1684) Etiam conc. Vaticanum in Constitutione supra (464) allegata docet servanda esse *decreta s. Sedis*. Hoc nomine autem non solum immediatae emanationes R. Pontificum, sed etiam decreta sacrarum *Congregationum*, quae nomine Pontificis eduntur, intelligi debent.

<sup>1)</sup> De Trad. thes. 12 Schol., pg. 128 (ed. 3).

b. Ea, quae per *infallibilem* definitionem Ecclesiae proponuntur ut *vera*, non tamen ut revelata, credi debent propter auctoritatem revelatam Ecclesiae proponentis. Hic assensus *fides ecclesiastica* seu *mediate divina* dicitur, ac plane absolute certus esse debet cum exclusione omnis dubii voluntarii. Infallibilitas Ecclesiae enim in auctoritatem divinam resolvitur, ideoque omne id, quod infallibiliter ab Ecclesia proponitur, absolute certum et irreformabile est. Veritati autem absolute certae etiam assensus absolute certus cum exclusione omnis dubii voluntarii respondere debet. — Opponitur:  $\alpha$ ) Non est de fide, Ecclesiam infallibilem esse in definiendis veritatibus, quae non sunt revelatae, ideoque tales definitiones nec absolutum valorem habent nec absolutum assensum merentur.  $\beta$ ) Et revera id, quod pro aliquo tempore certisque circumstantiis merito reprobatur, mutatis rerum adiunctis ac proficientibus scientiis tolerari vel etiam approbari meretur. Sic in causa Galilei contigit, et contingere poterit circa propositiones «Syllabi», quae certe non omnes absolute immutabiles et irreformabiles sunt. Opportunum quoque est, si quaedam doctrinae capita quasi levioris momenti, praetermittantur aut molliantur.<sup>1)</sup>  $\gamma$ ) Se-

---

<sup>1)</sup> Praefatae obiectiones aliaeque similes apud assecclas sic dicti «Americanismi» et «Catholicismi reformatorii» (Reform-Katholizismus) passim occurrunt. Leo XIII. in ep. ad Card. Gibbons (22. Ian. 1899) scribit: «Novarum igitur, quas diximus, opinionum (scil. Americanismi) id fere constituitur fundamentum: quo facilius qui dissident ad catholicam sapientiam traducantur, debere Ecclesiam ad adulti saeculi humanitatem aliquanto propius accedere, ac veteri relaxata severitate, recens invectis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrina etiam, quibus *fidei depositum* continetur, intelligendum esse multi arbitrantur. Opportunum esse contendunt, ad voluntates discordium alliciendas, si quaedam doctrinae capita quasi levioris momenti praetermittantur aut molliantur ita, ut non eundem retineant sensum quem constanter tenuit Ecclesia.» (Denzinger 1967). Falsitatem huius opinionis demonstrat Pontifex tum ex conc. Vaticano (const. de fide cath. cap. 4): «is sensus s. dogmatum perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Ecclesia»; tum ex eo, quod omnium veritatum auctor est Deus; tum ex verbis Christi: docete eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis (Matth. 28, 20). Unde concludit: «Absit igitur ut de tradita divinitus doctrina quidpiam quis detrahât vel consilio quovis praetereat: id enim, qui faxit, potius

dulo denique observandum est, propositiones ab Ecclesia damnatas non eo tendere, ut «integram ac plenam doctrinam catholicam» circa certam materiam exhibeant, sed ut errores certo tempore vigentes patefaciant. Quare huiusmodi decreta non ut definitiones dogmaticae et immutabiles considerari debent.<sup>1)</sup>

---

catholicos seiungere ab Ecclesia, quam qui dissident ad Ecclesiam transferre volet.»

<sup>1)</sup> Ehrhard in opere «Der Katholizismus und das zwanzigste Jahrhundert» (4.—8. Aufl. 4. Absch. S. 218—290) tamquam principium statuit, solum dogma catholicum absolutum valorem habere, absolute ligare ac immutabile esse; alia decreta magisterii ecclesiastici etiam supremi nec absolute obligare nec simpliciter irreformabilia esse. «Für den Katholiken hat die Unfehlbarkeitserklärung ihre *befreiende Wirkung*, die jeder großen Wahrheit eignet, dadurch erwiesen, daß sie die Grenzen, innerhalb welcher die Tätigkeit des Papstes als des Oberhauptes der katholischen Kirche einen absoluten Wahrheitsinhalt besitzt, genau umschrieben und sehr eng gezogen hat. Denn es ist damit zugleich festgestellt, daß ihre Tätigkeit außerhalb dieser Grenzen den Anspruch auf göttliche Wahrheit und Heiligkeit nicht erhebt, und daraus folgt, daß päpstliche Aussprüche und Verfügungen der Vorzeit, die den höchsten Idealen des Christentums, der Religion, der Gerechtigkeit, der Menschlichkeit nicht entsprachen, der katholischen Kirche nicht zur Last gelegt werden können. Was aber vom Papste gilt, das trifft noch viel mehr zu für die römischen Prälaten und Kongregationen sowie für alle übrigen Vertreter der kirchlichen Autorität» (pg. 265 sqq). Postea subiungit (pg. 267): «Es muß mit aller Entschiedenheit betont werden, daß nicht das maßgebend ist für *die wesentliche Würdigung der kathol. Kirche*, was von irgend einer kirchlichen Persönlichkeit, mag sie noch so hoch gestellt gewesen sein, als von einer historisch bedingten und in zeitgeschichtlichen Verhältnissen festgebannten Person getan, gesprochen oder verfügt wurde; maßgebend sind einzig und allein die dogmatischen Grundsätze, nach welchen die Personen sich zu richten haben.» Quare etiam «Syllabus» non habet vim dogmaticam et absolutam, sed relativam et historicam: «Den Charakter einer dogmatischen Entscheidung besitzt der Syllabus absolut nicht» (pg. 256). «Die Tragweite des Syllabus als solcher ist vorwiegend eine historische, zeitgeschichtliche» (pg. 257). — Mirum non est, quod plures auctores optimae notae (Braun, Einig, Blötzer, Fuchs, Rößler, Hofmann etc.) huiusmodi assertiones iudicaverint ut ambiguas, periculosas ac «Liberalismo» et «Catholicismo reformatorio» faventes; ea maxime de causa, quia obiectum et extensio magisterii ecclesiastici nimis obscurata et ferme ad definitiones dogmaticas coarctata esse videantur. Ehrhard eis respondit in opere

Resp. α) Ecclesiae infallibilitas in iis, quae revelata non sunt, sed cum revelatione necessario cohaerent, de fide quidem non est, at theologice certissima ac fidei proxima (329). Hoc autem sufficit, ut veritas tali modo definita absolute irreformabilis sit atque assensum absolute firmum mereatur. β) Concedimus *decreta disciplinaria* Ecclesiae reformabilia esse, negamus autem decreta *doctrinalia* aliquando mutari posse; quod enim semel verum est, semper verum erit nulloque scientiarum progressu ut falsum demonstrari poterit. In causa Galilei nullum editum fuit decretum definitivum infallibile ipsius R. Pontificis; sed tantummodo decretum R. Congregationis, quod utique nec infallibile nec irreformabile est. Propositiones «Syllabi», qui iuxta senten-

«Liberaler Katholizismus, ein Wort an meine Kritiker». In his vindi-  
ciis utique nonnulla melius explicat ac tantisper emollit, praesertim  
sincere fatetur subiectionem decretis etiam non dogmaticis Ecclesiae  
debitam; ipsum tamen principium, sola dogmata esse immutabilia  
(unabänderliche, also eigentliche Dogmen) sustinet ac defendit. Ita  
pg. 166, et pg. 287, ubi docet, solum dogma stricte dictum, sive  
solemni iudicio sive ordinario magisterio definitum, absolute obli-  
gare; ea vero, quae relativum tantum valorem habent, quibus nimi-  
rum elementum humanum se immiscet (sobald der menschliche Ein-  
schlag sich einstellt), non obligare absolute. Quare etiam extensio  
magisterii ecclesiastici generatim et infallibilitatis pontificiae specia-  
tim, eo quod nihil desuper a conc. Vaticano definitum fuerit, non  
est veritas absoluta et divina, sed est obiectum inquisitionis theo-  
logicae (theologischer Ermittlungen, pg. 290). — Haec autem  
sustineri nequaquam possunt, ac saltem admodum ambigua ac peri-  
culosa sunt. Profecto, ipse Ehrhard fatetur (pg. 258), plures in  
«Syllabo» contineri errores, qui licet non damnati sint tamquam hae-  
reses, a Catholico tamen teneri nequeunt. Fatetur insuper, doctrinam  
his erroribus oppositam non quidem esse dogmaticam, at *veram* et  
catholicam (wahr und katholisch). Iamvero id quod verum et catholi-  
cum est, praesertim si definitioni ex cathedra innititur, certe ab-  
solute obligat non quidem ad fidem *divinam*, quia non agitur de veri-  
tate divinitus revelata; utique vero ad fidem *ecclesiasticam*, quia agi-  
tur de veritate cum revelatione necessario connexa. Ergo ipse Ehr-  
hard concedere debet, non dogmata tantum, sed multas alias veritates  
absolutum valorem habere, ac plane irreformabiles esse. Profecto  
sicut omnis sincerus Catholicus duplex admittere debet obiectum  
infallibilitatis Ecclesiae, primum et secundarium (328—336): ita  
etiam consequenter duas classes veritatum, quae sunt infallibiliter  
verae, ac duas species assensus absoluti, qui diversis Ecclesiae de-  
finitionibus praestandus est, agnoscere debet.

tiam probabiliorē haberi debet ut definitio ex cathedra, certe eodem semper sensu falsae remanebunt, quo ab Ecclesia damnatae sunt. γ) Concedimus, in parte contradictoria alicuius propositionis damnatae non contineri integram doctrinam catholicam circa materiam respondentem. Exinde vero minime sequitur, huiusmodi decreta non habere valorem absolutum, sed mere relativum ac historicum, eaque mutatis adiunctis temporum abrogari vel immutari ullo modo posse.

c. Ea omnia, quae *authentice* quidem, sed *non sententia definitiva et infallibili* supremae potestatis proponuntur, a sincero Catholico teneri quidem debent, at non assensu super omnia certo, sed *assensu religioso*. In hoc ultimo censu non solum definitiones conciliorum provincialium, sed etiam Congregationum Rom. habendae sunt. Eae enim infallibiles non sunt, nisi ex omnibus adiunctis clare constet, Pontificem decretum s. Congregationis non solum *approbasse*, sed omnino *suum* fecisse. «Quod summus Pontifex, ita merito scribit card. Franzelin,<sup>1)</sup> sententias ss. Congregationum ratas habet et sua etiam suprema auctoritate confirmat, id non efficit definitionem ex cathedra, nisi ipse suum faciat atque ex sese edat decretum cum necessariis signis intentionis *definiendi doctrinam ab universa Ecclesia tenendam*, ita ut sententia non amplius sit Congregationis tamquam iudicantis, sed per modum dumtaxat consulentis.»

At *quaeritur*, in quo consistat ille *religiosus* assensus, qui praefatis decretis praestandus est. — Resp. Consistit ante omnia in *externa subiectione* seu in *reverentiali silentio*, ita ut nihil scribatur aut dicatur contra talia decreta. Hoc concedunt sinceri Catholici omnes. Immo exigitur etiam mentis obsequium seu assensus *internus*, ita ut doctrina in tali decreto contenta iudicetur non quidem ut infallibiliter vera vel falsa, sed ut segura vel simpliciter vel pro praesentibus rerum adiunctis et propter auctoritatem magisterii authentici tenenda. Haec est sententia saltem probabilior,

<sup>1)</sup> L. c. pg. 129. Sed lege totum Scholion pg. 114—152; cf. Suar., De fid. disp. 5 s. 6 n. 8. Cf. etiam Scheeben, Dogmatik Bd 1 § 34 n. 564 sqq.

immo ut nobis videtur, unice vera. Nam  $\alpha$ ) Pius IX. (Litter. ad archiep. Monac. 21. Dec. 1863)<sup>1)</sup> expresse exigit, ut omnes Catholici «*ex conscientia*» se subiiciant decisionibus, quae «ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur». Idem postulatur in ep. eiusdem Pontificis ad archiep. Colon. (d. 15. Iunii 1857) et ex decreto Congreg. Indic. (13. Aug. 1866) in causa traditionalistarum. —  $\beta$ ) Ad firmum assensum alicui propositioni praebendum non requiritur impossibilitas absoluta erroris, sed sufficit eius improbabilitas. Saepissime aliquid firmiter tenere possumus immo debemus, quod non est absolute, sed tantum moraliter certum ac prudenter credibile (439). Iamvero decreta R. Congregationum certe talia sunt, quippe quae a viris gravissimis et doctissimis ac nonnisi post longas disquisitiones, nomine et auctoritate ipsius Pontificis edantur. Talia decreta ergo, saltem pro eo tempore, quo fiunt, semper praesumptionem veritatis pro se habent assensumque sincerum merentur. Hoc confirmatur ex ipsa causa Galilei, quae semper obiici solet. Cum enim Congregationes eius sententiam proscriberent, neque Copernicus neque ipse Galilei argumenta concludentia pro suo systemate astronomico protulerant; ideoque praesumptio veritatis tunc temporis stabat pro sensu obvio et traditionali textus Scripturae, quem Congregationes defendebant (251). —  $\gamma$ ) Manifestum denique est, custodiam depositi fidei ferme irritam impossibilemque redditum iri, si de omnibus emanationibus magisterii authentici, quae stricte infallibiles non essent, dubitare liceret.<sup>2)</sup>

## SECTIO II.

### De intellectu fidei (*γνώσις*).

Fides est *rationis* obsequium, ut conc. Vaticanum (cap. 3)<sup>3)</sup> dicit. Non esset autem obsequium rationale, nisi fide-

<sup>1)</sup> Denzinger 1684.

<sup>2)</sup> Cf. Egger, Streiflichter über die freiere Bibelforschung VIII n. 57—64; Hurter n. 516.

<sup>3)</sup> Denzinger 1789.

lis intelligeret, *quid* et *cur* credendum sit. Quare cum fide necessario coniunctus est *intellectus fidei*, qui tamen varios gradus habere potest. Alius namque est *simplex* intellectus fidei omnibus fidelibus communis, alius intellectus *scientificus*, per studium theologicum *acquisitus*, alius intellectus *mysticus* per gratiam contemplationis divinitus *infusus*.<sup>1)</sup> Hoc loco de prioribus dumtaxat gradibus agimus, scilicet de simplice intellectu fidei et de scientia fidei; cognitio contemplativa enim ad Theologiam mysticam pertinet. Manifestum porro est, hanc tractationem praecipue circa quaestionem verti, *quid ratio valeat, quid non valeat in negotio fidei*; unde hoc caput ab auctoribus passim «de habitu rationis et fidei» inscribi solet. Tria igitur ad complementum Theologiae fundamentalis explicanda supersunt:  $\alpha$ ) *Valor rationis per se spectatae*;  $\beta$ ) *valor et munus rationis in negotio fidei*;  $\gamma$ ) *valor et munus rationis in scientia theologica*. Breves tamen nos esse oportet et licet, cum plura huc spectantia alibi iam exposita fuerint.

## CAPUT I.

### De valore rationis in se spectatae.

Doctrina de valore rationis est quidem philosophica, sed *non mere philosophica*: tum propter relationem huius doctrinae ad fidem supernaturalem, tum propter emanationes explicitas magisterii ecclesiastici desuper factas. Exponemus igitur breviter praecipuos errores, tum eorum, qui valorem rationis nimis deprimunt, tum eorum qui eum nimis extollunt; deinde doctrinam catholicam eisdem opponemus.

#### 1. *Rationis valorem depresserunt:*

- 467 a. *Novatores* saec. 16., qui commenti sunt, per peccatum originale ipsam naturam humanam in se vitiatam, liberum arbitrium extinctum rationemque ita obscuratam fuisse, ut homo sine lumine fidei ad cognoscendum Deum prorsus impar sit. Notum est, quantum *Lutherus* debaccha-

<sup>1)</sup> Cognitio perfecta fidei a Clemente Alex. γνῶσις, ab Augustino (Ep. 120 ad Consent. n. 4 et De Trin. l. 13—15) *intellectus fidei*, a Scholasticis *scientia fidei* nuncupatur. Cf. Scheeben l. c. § 48.

tus fuerit contra Philosophiam. *Calvinus* quoque negavit, verum Deum sine gratiae auxilio cognosci.<sup>1)</sup> *Baiani* et *Ianseniani* eundem errorem docuerunt, ut constat ex propositionibus 41 et 48 damnatis in Bulla *Unigenitus*.<sup>2)</sup> — **b.** Alia via rationem impetebant *Sensistae* et *Critici*, qui *Humii*, *Lockii* et *Kantii* vestigia sequentes docebant, nihil aliud a nobis cognosci praeter rerum phaenomena, ipsam vero rerum essentiam atque obiectivam veritatem quasi terram incognitam esse, in quam mens appellere non valet; item *Neo-Sceptici*, qui vel generatim vel saltem in Philosophia a dubio exordiendum esse docuerunt (Descartes, Hermes); vel qui, quod peius est, comminiscuntur, ipsam veritatem non esse quid stabile et immutabile, sed expressionem mutabilium opinionum humanarum (Cousin, Jouffroy, Comte). — **c.** Rationis valorem implicite saltem impugnant *Sentimentalistae* et *Pietistae*; iuxta quos veritates religiosas corde tantum et caeco quodam instinctu, non autem ratione apprehendi possunt et debent (Reid, Iacobi). — **d.** Maxime huc referendi sunt, qui veritates, praesertim religiosas non aliunde, quam per traditionem, cui respondeat fides, cognosci posse autumant, unde *Fideistae* et *Traditionalistae* appellantur. *Lamennais* enim docuit, omnem veritatum religiosarum notitiam e primitiva revelatione, hanc ipsam vero ex consensu generis humani esse repetendam, quae proinde unicum veritatis criterium existat.<sup>3)</sup> Similiter *Bonald* existimavit, cognitionem omnem loquela gigni, per quam revelatio primitiva nobis communicetur. Eius sequaces appellantur *Traditionalistae rigidi* vel *Fideistae*, eo quod proprie dictam revelationem et fidem divinam ad omnes ideas religiosas, praesertim ad ideam Dei, postulant. *Ventura*, *Ubaghs* alique hanc doctrinam varie emolliiebant, dicentes: ad acquirendam ideam divinam non requiri revelationem et fidem divinam, sed sufficere *institutionem* in societate et *fidem humanam*; praeterea concedunt Deum, licet ex creaturis nequeat cognosci, posse tamen *recognosci* ab eo, qui ideam di-

<sup>1)</sup> Cf. Döllinger, Reformation Bd 1 S. 437; Bellarm., Controv. de grat. et lib. arb. l. 4 c. 2.

<sup>2)</sup> Denzinger 1391. 1398.

<sup>3)</sup> Essai sur l'indifference en matière de religion.

vinam iam ex fide habet. Immo concedunt Deum ab homine, qui per institutionem in societate ad *plenum* usum rationis pervenerit, etiam ex rebus creatis certo cognosci posse. Hoc est systema *Traditionalismi mitigati*.<sup>1)</sup> — e. Denique huc pertinet *Modernismus*. Fundamentum enim huius systematis est *Agnosticismus*, qui a Kantianismo originem habet; licet Modernismus ex altera parte ipsam revelationem et fidem rationi subiiciat.<sup>2)</sup>

468      2. *Valorem rationis nimis extollit:*

a. Systema *Ontologismi*, cuius principium fundamentale est, Deum in hac vita per naturale lumen rationis *immediate videri*; non quidem per visionem beatificam ut Deum trinum, sed per intuitum immediatum entis absoluti et exemplaris creaturarum. Ita sub variis tamen modificationibus, sentiebant *Malebranche, Gioberti, Fabre, Ubaghs, Rosmini* etc. — b. Systema *Rationalismi* seu *Naturalismi*, et *Progressismi* rationem humanam unicam normam omnis veri cognoscendi esse docet, et naturam unicum fontem omnis boni assequendi. Nulla ergo in hac theoria revelatio, nullum mysterium, gratia nulla; sed homo ex sese ad omnis veri et boni possessionem pervenit (vide, quae in tractatu de religione et revelatione scripsimus n. 44 sqq et 58 sqq). — c. *Semirationalismus* revelationem quidem admittit, sed mysteria proprie dicta negat omnesque veritates revelatas, postquam historice innotuerunt, philosophice demonstrari posse affirmat (59 sq). — Exhibito conspectu synoptico systematum, primo rationis valorem in tuto collocabimus; deinde errores hodie magis grassantes breviter refellemus.

469      **Thesis 122.** *Homo non solum veritates profanas, sed*

<sup>1)</sup> Lege relationem ep. Gasser ad cap. 2 schem. Const. de fid. (Coll. Lacens. pg. 129 sq. 148. 286 sqq); Kleutgen, Instit. theol. n. 114—125; Egger, Propaed. n. 133. 163. 167. 189. Aliquam similitudinem cum Traditionalismo habet opinio quorundam virorum doctorum in Germania, qui putant argumenta ex rebus creatis petita ad *demonstrandam* existentiam Dei non sufficere, nisi ratio speciali aliquo adiumento divinitus dato augeatur, sive hoc adiumentum ut *idea innata* vel ut adumbratio seu *πρόληψις* quaedam Dei concipiatur. Cf. Granderath, Constit. dogm. conc. Vatic. pg. 39 sq.

<sup>2)</sup> Cf. Encycl. „Pascendi“, Denzinger 2072 sqq; Gisler, Der Modernismus, 3. Aufl. S. 322 ff (Einsiedeln 1912).

*etiam religiosas et morales, ipsumque Deum rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognoscere potest.*

Propositio quoad rei summam certe *de fide* est ex conc. *Vaticano* (cap. 2 de rev.)<sup>1)</sup>: «Eadem s. mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*» (Rom. 1, 20). Et can. 1: «Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit.»<sup>2)</sup> Docet ergo concilium, Deum ab hominē etiam in statu naturae lapsae (de hoc enim sermo est) cognosci posse, potentia utique non mere passiva, sed activa. Scilicet **a. subiectum** proximum huius cognitionis est *ipsum naturale rationis lumen*, ut contradistinguatur a supernaturali lumine fidei. — **b. Medium** eiusdem est consideratio creaturarum, ut distinguatur a revelatione et traditione. — **c. Obiectum** est Deus, rerum omnium principium et finis. Cognoscuntur ergo veritates religiosas et *morales*: quia, ut ep. *Brixinensis* ait,<sup>3)</sup> «quum dicimus posse hominem cognoscere Deum rerum omnium principium et finem, utique etiam simul enuntiamus, posse hominem intelligere et cognoscere officia principaliora moralia; nam nemo potest tendere in Deum tamquam finem suum utique naturalem qua auctorem naturae, nisi etiam cognoscat officia saltem principaliora erga Deum». Si autem homo veritates religiosas et morales naturaliter cognoscere potest, multo magis veritates profanas cognoscere valebit, quippe quae non adeo remotae sint ab homine terreno, quam veritates religiosas. — **d.** Denique istae veritates *certo* cognosci possunt.<sup>4)</sup> — **e.** Nihil dicitur

<sup>1)</sup> Denzinger 1785. 1806.

<sup>2)</sup> De vi huius definitionis vide relationem Vincentii Gasser et «adnotationes» Theologorum super schema propositum (Coll. Laccens. pg. 127 sqq et 520).

<sup>3)</sup> L. c. pg. 133.

<sup>4)</sup> In schemate positum erat «certo cognosci et demonstrari» posse. Posterior vox in canone eliminatur. «Quamvis enim, inquit ep. Brixinensis (pg. 132), aliquatenus certo cognoscere et demonstrare

autem de modo, quo homo *ad usum rationis* perveniat, sed hic usus supponitur. Neque concilium loquitur de *facto*, utrum singuli homines primam suam cognitionem hauriant ex illa naturali manifestatione, an non potius per revelationem iis propositam excitentur ad quaerendum Deum. Neque demum *ambitus* determinatur, quousque se extendat cognitio veritatum naturalium.

*Demonstratio*<sup>1)</sup> thesis petitur 1. ex s. Scriptura: Sap. 13, 1 sqq et praesertim Rom. 1, 19 sqq; 2, 12 sqq. In his locis enim sermo est α) de cognitione *Dei: invisibilia eius, sempiterna virtus et divinitas*; β) de cognitione *certa: scientia Dei, cognoscibiliter ἀναλόγως* videre, *notum Dei, intellecta conspiciuntur*; γ) de cognitione *naturali*, tam *subiective* i. e. lumine rationis, quam *obiective* i. e. ex speculo huius

sit unum idemque, tamen phrasim mitiorem deputatio de fide sibi eligendam censuit, et non istam duriolem.» Ratio huius mitigationis non alia fuisse videtur, quam ut viris catholicis, qui in hac re lapsi fuerant, phrasi mitiore aliquatenus parceretur. Reale enim discrimen nullum est. Cognitio certa enim, quae fit per conclusionem ab effectu ad causam, omnibus fatentibus est *demonstrativa*; iuxta concilium autem Deus lumine naturali ex effectibus cognoscitur. Ergo haec cognitio est demonstrativa. Praeterea definitio huius doctrinae, ut aiunt patres deputati in folio schemati adiecto, necessaria visa est non solum propter Traditionalismum, sed etiam propter errorem late serpentem, Dei existentiam nullis firmis argumentis probari, *nec proinde* a ratione certo cognosci posse. Eatenus ergo ex mente patrum existentia Dei certe cognoscitur, quatenus firmis argumentis probatur. Quapropter vix dubium esse videtur, concilium, dum naturalem potentiam cognoscendi Deum definit, eo ipso etiam potentiam demonstrandi definire; sicut iam a. 1855 Bonnetty hanc propositionem subscribere iussus fuerat: «Ratiocinatio Dei existentiam... cum certitudine *probare* potest» (Denzinger 1650). Denique cognitio Dei certe ad fidei fundamenta pertinet: sed iuxta Vaticanum (cap. 4) «recta ratio fidei fundamenta *demonstrat*». (Denzinger 1799.) Cf. *Civiltà Cattolica* 1. April. 1893. Quaderno 1027 pg. 57—71 in recensione operis Granderath, *Constit. dogm.* pg. 40. Nuperrime Pius X. in iuramento praescripto iubet confiteri: «Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, *adeoque demonstrari etiam posse, profiteor*.» (Denzinger 2145). Cf. Schultes, *Was beschwören wir im Antimodernisteneid?* (Mainz 1911) S. 14 ff.

<sup>1)</sup> Argumenta, quae hic breviter innuimus, uberius exposuimus in *Theol. dogm. spec.* (n. 3) et in *Propaedeut.* (n. 133 sqq. 305 sqq.).

mundi: *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter creator horum poterit videri*; δ) de cognitione Dei non solum ut principii ordinis physici, sed etiam ut principii ordinis *moralis ac finis ultimi*, ita ut sint *inexcusabiles*, qui Deum *non glorificant, nec gratias agunt nec legem eius implent*; ε) *denique de cognitione omnibus obvia: si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum; quomodo huius Dominum non facilius invenerunt?*

2. Patres frequenter et disertis verbis hanc Dei cognitionem docent, animamque propter hanc causam «naturaliter christianam» appellant.<sup>1)</sup>

3. Accedit praxis Ecclesiae. Omnes quippe Apologetae christiani omnesque Doctores scholae catholicae ad nostra usque tempora veritates religiosas et morales ordinis naturalis argumentis ex ratione petitis demonstrarunt, atque adeo actu exercito persuasionem de valore rationis manifestarunt. Ecclesia autem hanc doctrinam non solum tacite, sed etiam expresse approbavit; et cum nostris temporibus Traditionalismus contrarium doceret, eum statim proscripsit.<sup>2)</sup>

4. Ratio pariter evidenter thesim commonstrat. Argumenta enim, quibus ex ordine physico et morali existentia

<sup>1)</sup> Cf. Athanas., Or. c. gent. n. 34; Greg. Naz., Or. 28 al. 34; Tertull., Adv. Marc. l. 1 c. 10; Cypr., De idol. vanit. c. 5 n. 9. Cf. Franzelin, De Deo Uno thes. 6.

<sup>2)</sup> Sic conc. Lateranense V. (Sess. VIII ap. Labb. t. 19 col. 338, Venet. 1732) praescripsit: «Omnibus et singulis *philosophis* in universitatibus studiorum generalium et alibi publice legentibus, districte praecipiendo mandamus, ut cum philosophorum principia aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint aut explanaverint, quale hoc est de animae *mortalitate aut unitate et mundi aeternitate ac alia huiusmodi*, teneantur eisdem veritates religionis christianae omni conatu manifestas facere, et persuadendo pro posse docere, ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere.» — Vide etiam propositiones a Bautain subscriptas d. 8. Sept. 1840 (Denzinger 1622—1627, nec non propositiones, quae ex decreto s. Congr. Indicis, a Pio IX. d. 15. Iunii 1855 approbato, Bonnetty subscribere debuit (ib. 1649—1652; praesertim 2am: «Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest.»

causae primae, artificis sapientissimi et legislatoris supremi infertur, tanta evidentia fulgent omnibusque tam obvia sunt, ut homo sanae mentis ea, saltem modo initiali et confuso, non possit non percipere.<sup>1)</sup> Neque aliter quam ex naturali et facili cognoscibilitate existentiae Dei explicari valet factum historicum, nimirum quod eius idea nunquam et nullibi inter gentes etiam maxime barbaras penitus obliterari potuerit (49).

470 **Thesis 123.** *Traditionalismus sive rigidus sive mitigatus, maxime post concilium Vaticanum, nullo pacto amplius sustineri potest.*

In decreto modo exposito implicite omnia condemnantur systemata, quibus ratione naturali certam Dei cognitionem comparari posse negatur, ut tum ex tenore decreti tum ex declaratione patrum liquet. Praecipue vero concilium *Traditionalismum* ferire intendit, ita tamen ut secundum verba relatoris *Gasser* *Traditionalismus* crudior *directe impugnaretur*, mitior vero *tangeretur*. Id patet:

1. Ex ipsissimis verbis decreti. Si enim Deus lumine naturali e rebus creatis certe cognosci potest, ante omnia falsum est, Deum nonnisi fide supernaturali per revelationem proprie dictam cognosci valere; prout *Traditionalismus* crudior statuit. At simul falsus esse consequitur etiam *Traditionalismus* mitior, eo quod et ipse docet, Deum non ex rebus creatis, sed tantum per traditionem, neque per ratiocinationem, sed per fidem dumtaxat, utique humanam, certo cognosci posse.

2. Idem patet ex historia decreti. Deputatio de fide enim, ut ep. Brixinensis ait,<sup>2)</sup> certum principium statuere voluit, «quod directe impugnatur *Traditionalismum* crudiolem,» sed simul «tangit *Traditionalismum* mitiolem.» Hoc principium est: «in hominis natura rationali potentiam esse, Deum per res creatas certo cognoscendi. Iam vero qui diceret, fieri prorsus non posse, ut homo, etsi expeditam habeat facultatem ratiocinandi, *sine positiva de Deo tradita doctrina* ad Dei certam notitiam perveniat, is illud principium negaret.» Atqui quamvis «hi mitiores *Traditionalistae*, proxime qui-

<sup>1)</sup> Cf. Theol. dogm. spec. n. 8 sq; Propaedeut. n. 305 sqq.

<sup>2)</sup> Coll. Licens. pg. 130.

dem derivent ideam Dei solummodo ex communicatione per societatem humanam, tamen vix non fieri potest, quod illam ultimo in primo suo fonte derivent ex institutione Dei primaeva communicata generi humano». Itaque «etiam Traditionalismus mitior certe periculis obsitus est».

3. Eodem concilio docente (cap. 2)<sup>1)</sup> revelatio divina necessaria quidem fuit, ut ea, quae in rebus divinis per se rationi impervia non sunt, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognoscerentur; *absolute* tamen necessaria non fuit, nisi quia Deus ordinavit hominem ad participanda bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant. Atqui a Traditionalistis etiam mitioribus revelatio divina, saltem primitus data, ad omnem cognitionem divinam *absolute* necessaria dicitur.<sup>2)</sup>

**Obiectio 1.** Cum Scriptura et Patres docent, hominem e rebus creatis Deum cognoscere posse, loquuntur de hominibus in societate degentibus, qui proinde etiam imbuti sunt idea Dei ope educationis. Ergo idea Dei ex operibus innititur traditioni, atque in ultima analysi revelationi. — Resp. Nego *suppositum* cum relatore concilii ep. Gasser,<sup>3)</sup> qui allatis verbis *Tertulliani* contra Marcionem: «Nos definimus, Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum, natura ex operibus, doctrina ex praedicationibus,» subdit: «luxta hanc Tertulliani sententiam res ergo ita se habet: Deus potest quidem cognosci natura duce ex operibus; sed ut haec cognitio Dei sit salutaris, Deus non solummodo debet *naturaliter cognosci*, sed debet *per doctrinam et praedicationem recognosci*... Iam Traditionalistae sententiam Tertulliani invertunt et dicunt: nos definimus, Deum *primum doctrina cognoscendum* et *dehinc natura recognoscendum*, doctrina ex praedicationibus, natura ex

<sup>1)</sup> Denzinger 1786.

<sup>2)</sup> Inter propositiones Gerardi Ubaghs, quae ex mandato s. Officii (21. Sept. 1864) emendari debuerunt, haec fuit: «Haud posse nos in cognitionem cuiusvis externae metaphysicae veritatis venire absque alterius instructione, ac in ultima analysi absque *divina revelatione*.» Fusiolem Traditionalismi refutationem vide, si placet, in mea Propaedeutica n. 133 sqq.

<sup>3)</sup> Coll. Lacens. pg. 129.

operibus.» — Praeterea, ut scite observat *Kleutgen*,<sup>1)</sup> verba Scripturae iuxta Traditionalistas ita exponenda essent: «Qui verum Deum nesciunt, non excusantur. Quoniam enim homines cuncti ex primaeva revelatione aliquam Dei veri notitiam habent, iam ex magnitudine et specie creaturae creator cognoscitur et invisibilia eius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.» Talis interpretatio autem nedum gratuita, sed inepta est. Item in testimoniis paene innumerabilibus Patrum, qui de facultate menti insita cognoscendi Deum loquuntur, addendum esset: «Dummodo prius traditione cognitus sit.» Ecquis hunc interpretandi modum ferat? qui fieri potuisset, ut cum multi idem repeterent, ne unus quidem conditionem illam, quam subaudire iubemur, enuntiasset? Immo Patres etiam positive hanc conditionem excludunt. Sic Augustinus:<sup>2)</sup> «Unde illi impii veritatem detinent? numquid Deus ad quemquam illorum locutus est? numquid legem acceperunt, sicut Israelitarum populus per Moysen? . . . Audi, quomodo (illis Deus) manifestavit: *Invisibilia eius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Interroga mundum, ornatum caeli; fulgorem dispositionemque siderum, . . . et vide, si non sensu suo tamquam tibi respondeant: Deus nos fecit.»

- 472      **Obiectio 2.** Doctrina concilii de potentia naturali Deum cognoscendi supponit *plenum usum rationis*; hic autem obtineri non potest, nisi homo in societate instituat, ac primas ideas religiosas ab ea accipiat. — Resp. *Conc. mai.*, et *Neg. min.* et *consequentiam*. Concilium enim ex dictis statuit principium, «in hominis natura rationali potentiam esse, Deum per res creatas certo cognoscendi». Si autem plenus usus rationis sine revelatione divina saltem mediata obtineri nequit, iam implicite negatur naturalis potentia rationis Deum cognoscendi. Ergo etiam mitior Traditionalismi forma cum concilii doctrina conciliari nequit.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Instit. theol. n. 121 sq.

<sup>2)</sup> De verb. Dom. s. 141 al. 55; cf. De spir. et lit. 12; Chrysost., Hom. 9 ad pop. Antioch.; Origen., Theodor. aliosque in Rom. 1, 20.

<sup>3)</sup> Cf. relationem ep. Gasser (Coll. Lacens. pg. 130 et 209). De relatione loquela ad ideas vide Tertull., De testim. anim. c. 5;

**Obiectio 3.** Potentia, quae *nunquam* deducitur ad actum, potius dicenda est *impotentia*, et quidem non solummodo moralis, sed *physica*. At potentia ista Deum lumine naturali cognoscendi, est talis, quae nunquam ad actum deducta est. Nullus etenim philosophorum certe cognovit Deum rerum omnium principium et finem. Ergo. — Ad hanc difficultatem, quae in ipso concilio proposita fuit, respondet ep. *Brixinensis* nomine deputationis:<sup>1)</sup> «Quid dicam de hoc syllogismo? Quoad maiorem dico *transeat*, quamvis si responsio integra danda esset, certe etiam haec maior bene esset distinguenda. Sed mitto maiorem et nego minorem, scilicet quod nullus unquam philosophorum Deum omnium rerum principium et finem certo cognoverit.» Et deinde perdocte ex scholiis graecis in Aristotelem (a Brandisio ex academia Borussica editis), nec non ex «*Ethicis Eudemiis*» Aristotelis ostendit, eum revera hanc notitiam Dei habuisse.<sup>2)</sup>

Athanas., in vita s. Antonii; August., De magistro c. 11; Thom., Opusc. 13. Cf. Franzelin, De Tradit. App. c. 3 pg. 526—543.

<sup>1)</sup> Coll. Lacens. pg. 237.

<sup>2)</sup> Verba scholiastae sunt: «Aristotelem omnem de principiis physicis institutionem in eminentem Theologiam tamquam in apicem reduxisse, demonstrando omnem physicam et corporalem constitutionem dependere ab incorporali et intellectuali bonitate, quae supra naturam posita est, et Deum esse non solummodo causam finalem, sed efficientem totius mundi et etiam caeli.» — In l. 8. Ethic. vero legitur: «Nam Deus et futura cernit, et rerum naturam veram intuetur, et ea, quae se huic nostrae humanae rationi subducunt eique recondita sunt, perspecta habet.» In fine Ethic. virtus ita describitur: «Omnibus numeris absolutam honestatem hominis seu virtutem in eo consistere, ut omni respectu naturae suae rationalis mandatis Dei gubernatoris et principis pareat; bona vero externa, opes, amicos, bona corporis et reliqua id genus ita expetat hisque ita utatur, ut his iuvet et augeat contemplationem Dei.» Et in fine: «Qui vero aut parum aut immodice quaerit bona externa, eoque efficit ut in Dei cultu atque in Dei contemplatione impediatur, huius pravam est studium.» «Ergo iuxta Aristotelem, ita concludit Gasser, omnes virtutes hominis tum intellectuales tum morales referuntur ad Deum; et quidem intellectuales referuntur ad contemplationem Dei, morales vero ad cultum Dei. Quis haec intuendo negare poterit, Aristotelem cognovisse certo Deum omnium principium et finem? Quoad Platonem utique notissimum est, quod ipse finem hominis posuerit in imitatione Dei; quantum fieri potest.»

474 **Thesis 124.** *Deus in hac vita per naturale lumen rationis videri non potest; falsus ergo est Ontologismus.*<sup>1)</sup>

Prob. 1. Doctrina s. Scripturae<sup>2)</sup> haec est: α) Deum in hac vita non videmus, sicuti est, sed *per speculum in aenigmate*. — β) Deus etenim *lucem inhabitat inaccessibilem*, ideoque nullus homo eum vidit, immo (naturaliter) eum ne videre quidem potest. γ) Solus *Filius* (et *Spiritus Dei*) Patrem videt ac *profunda* i. e. essentiam Dei novit. δ) Nihilominus in altera vita Deum videbimus *facie ad faciem, sicuti est*. At ε) haec visio non fit lumine naturali, sed *in lumine divino*, postquam in similitudinem Dei transformati fuerimus. — Atqui cum hac doctrina s. Scripturae Ontologismus componi nullatenus potest.

2. Patres contra Eunomianos uno ore immediatam intuitionem Dei negant, ac docent, hanc visionem nonnisi «per quandam condescensionem (*συγκατάβασις*)»<sup>3)</sup> et per singularem coniunctionem cum Deo» (*διὰ τὸ πλησίον εἶναι Θεοῦ*)<sup>4)</sup> et «secundum dilectionem et humanitatem» (*φιλανθρωπίαν*)<sup>5)</sup> Dei possibilem esse. Ratio est, quia «mensuram nobis datam (i. e. connaturalem modum cognoscendi) praetergredi non possumus»<sup>6)</sup> ideoque Deum nonnisi *ἀναλόγως* in speculo creaturarum attingimus.

3. Ratio multiplex assignatur a Doctoribus: α) *Eminentia* divinae essentiae: «Divina lux, inquit *Bonaventura*,<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> De his egimus etiam in Theol. dogm. spec. nn. 5 et 702 sq, praesertim in Propaedeutica n. 136—140. Ceterum consule s. Thom. p. 1 q. 12 a. 4; De verit. q. 18 a. 1; Kleutgen, Philos. d. Vorzeit Bd 1 n. 378 f, Instit. theol. n. 125 sqq et ‚Beilagen‘ Heft 1: Verurteilung des Ontologismus durch den Hl. Stuhl; Franzelin, De Deo Uno thes. 10. 14—17.

<sup>2)</sup> Ioan. 1, 18; 6, 46; Matth. 11, 27; I. Cor. 2, 11; I Tim. 6, 16; I Ioan. 3, 2; Ps. 35, 10.

<sup>3)</sup> Chrysost., Or. 3 de incomprehens.

<sup>4)</sup> Greg. Naz., Or. 34.

<sup>5)</sup> Iren., Adv. haer. l. 4 c. 20 n. 4. 5.

<sup>6)</sup> Greg. Nyss., C. Eun. l. 1. Similia habent Basilius, Cyrillus Alex., Fulgentius etc. Vide Petav., De Deo l. 7 c. 5.

<sup>7)</sup> In II. sent. dist. 3 p. 2 a. 2 q. 2; cf. dist. 23 a. 2 q. 3 (ed. Quaracchi t. 1 pg. 70), ubi docet in solo statu gloriae Deum immediate videri; «in statu vero innocentiae et naturae lapsae videtur Deus mediante speculo, sed differenter, quia in statu innocentiae videbatur

propter sui eminentiam est inaccessibilis viribus omnis creaturae.»  $\beta$ ) *Debilis nostris intellectus*, qui ut iam Aristoteles dicit,<sup>1)</sup> ita se habet, «quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent», atque ideo infinitam lucem divinae essentiae directe intueri non valet.  $\gamma$ ) *Experientia* tum psychologica, quae de visione Dei in nobis prorsus silet, tum historica, quae loco ideae intuitivae et clarae Dei innumeros et absurdissimos errores circa divinitatem hominum mentes obtenebrasse testatur.

4. Merito ergo Ecclesia Ontologismum iterato damnavit.<sup>2)</sup>

**Thesis 125.** *Ratio humana essentialiter limitata est, ita ut neque omnem veritatem ex se invenire, neque omnem intelligere valeat. Falsus ergo est Rationalismus et Semirationalismus.* 475

*Rationalismus* ex dictis nullos limites rationis humanae agnoscit; sed eam ceu unicam normam et fontem omnis veri cognoscendi declarat. Nulla ergo est veritas, quam ratio humana successu temporis non ex seipsa mediis naturalibus *invenire* ac adaequate intelligere valeat. Contra vero *Semirationalismus* agnoscit quidem rationis humanae limites ea-tenus, quatenus ipsa per se non omnes veritates *invenire*

---

Deus per speculum clarum, nulla enim erat in anima peccati nebula; in statu vero miseriae videtur per speculum in aenigmate.» Cf. Zigliara, Della luce intellettuale II c. 14—18.

<sup>1)</sup> Metaph. I. 2 c. 1.

<sup>2)</sup> Iam conc. Viennense (Clement. 5 tit. 3 c. 3) damnavit errorem Beguardorum proscribendo propositionem 5, «quod anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante ad Deum videndum». Congreg. s. Off. (18. Sept. 1861) doceri prohibuit 7 propositiones Ontologismi; denique Leo XIII (14. Dec. 1887) damnavit has *Rosminii* propositiones: «In ordine rerum creaturarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, huiusmodi nempe, quod ad divinam naturam pertineat.» In prop. 2 et 3 dicitur, hoc *divinum* non esse per participationem, neque sensu figurato sed proprio intelligendum esse. Prop. 4: «Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud, quod homini in natura manifestatur.» Prop. 5: «Esse, quod homo intuetur, necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium: atque hoc est Deus.» Cf. Denzinger 475. 1659—1665. 1891 sqq.

valeat; unde etiam revelationis possibilitas, immo etiam existentia a Semirationalistis non negatur. Contendunt vero, omnes veritates, ipsis mysteriis non exceptis, tandem aliquando ab homine *intelligi* posse. — Ea, quae desuper sparsim scripsimus (nn. 44 sq, 62 sqq), synoptice hoc loco colligimus ac probamus.

1. Fides Ecclesiae, praesertim a concilio *Vaticano* proposita, haec est: α) Homo non potest «*ex seipso* ad *omnis veri* possessionem iugi profectu pertingere» (Sess. III de revel. can. 3).<sup>1)</sup> — β) Causa praecipua talis impossibilitatis est, quia «praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria, quae nisi revelata divinitus innotescere non possunt» (ib. cap. 4 de fide et ratione).<sup>2)</sup> Excluditur ergo Rationalismus. — γ) Verum etiam post revelationem mysteria «quadam quasi caligine obvoluta manent» (l. c.), ideoque haereticum est dicere, «universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari» (de fide et ratione can. 1).<sup>3)</sup> — δ) Hinc ulterius sequitur, fidei doctrinam non esse «velut philosophicum inventum» humanis ingeniis perficiendum, sed «tamquam divinum depositum» ab Ecclesia custodiendum et infallibiliter declarandum. Sequitur etiam, Ecclesiam ius habere, falsi nominis scientiam proscribendi; neque dogmata aliter unquam intelligi debere, quam intellexit Ecclesia (II. cc.).<sup>4)</sup> — ε) Immo «in praesenti generis humani conditione» (per peccatum originale inducta) mens non solum limitata est, sed ita obscurata fuit, ut ea etiam «quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt», non aliter quam per revelationem «ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint» (cap. 2, de revel.).<sup>5)</sup>

2. Scriptura ex una parte extollit magnitudinem, magalia ac profunda Dei, quae omnem intellectum transcen-

<sup>1)</sup> Denzinger 1808.

<sup>2)</sup> Ibid. 1795.

<sup>3)</sup> Ibid. 1816.

<sup>4)</sup> Ibid. 1800. 1798.

<sup>5)</sup> Ibid. 1786. Cf. Syllabi propositiones 3. 4. 8. 9. Denzinger 1703 sq, 1708 sq.

dunt;<sup>1)</sup> ex altera parte imbecillitatem mentis humanae necessitatemque divinae illuminationis ad expellendas eius tenebras identidem et graphice describit.<sup>2)</sup> His veritatibus autem superbia rationalistica manifesto redarguitur.

3. Analogia fidei docet, per peccatum originale lumen rationis non quidem extinctum, utique vero debilitatum et obtenebratum fuisse usque adeo, ut homo sine gratia medicinali etiam veritates religiosas ordinis naturalis nonnisi valde imperfecte, non vero omnes et sine errore cognoscere valeat. Quanto ergo minus veritates ordinis supernaturalis ab homine inveniri atque mere scientificè explicari poterunt.<sup>3)</sup>

4. Ipsa ratio philosophica probat:  $\alpha$ ) omnem intellectum creatum essentialiter limitatum esse, atque ideo nunquam omnem veritatem cognoscere posse;  $\beta$ ) multo magis id de intellectu humano dicendum, quippe qui a potentia ad actum, a sensibilibus ad intellectualia progrediatur, ideoque res spirituales nonnisi sub involucro phantasmatum cognoscat.  $\gamma$ ) Haec omnia tam conscientia quam historia confirmant, cum a saeculo notum sit, quantis tenebris ignorantiae, quantis anfractibus dubiorum quantisque scopulis errorum mens humana exponatur. Quo magis homo de seipso praesumit, eo profundius labitur; idque in ipso Rationalismo cernere licet, qui primo in Pantheismum, mox in Scepticismum et Materialismum deflexit.

<sup>1)</sup> Eccli. 18, 3 sqq: «Quis enim investigabit magnalia eius? Virtutem autem magnitudinis eius quis enuntiabit?... Cum consummaverit homo, tunc incipiet; et cum quieverit, aporiabitur»; et (43, 32 sqq): «Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis; super-valebit enim adhuc, ... ne laboretis, non enim comprehendetis» (cf. Rom. 11, 33).

<sup>2)</sup> Sap. 9, 14 sqq: «Cogitationes enim mortalium timidae et incertae providentiae nostrae. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile aestimamus, quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt, quis investigabit?» et (Ps. 17, 29): «Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus illumina tenebras meas.» Cf. Ps. 12, 4.

<sup>3)</sup> Cf. Alloc. Pii IX. 9. Dec. 1854 (Denzinger 1645, cf. 1634, et praesertim epist. ad archiepiscopum Monac. d. 11. Dec. 1862 (Denzinger 1669 sqq)).

## CAPUT II.

**De valore et munere rationis in negotio fidei.**

476 **Thesis 126.** *Fides et ratio α) essentialiter quidem differunt; at β) nunquam sibi opponuntur.*

Fidem et rationem confundunt *Traditionalistae* et *Rationalistae*; ex ratione tamen inversa. Illi enim ex dictis fidem ut unicum principium et normam omnis cognitionis intellectualis statuunt, isti rationem. — Dicimus itaque:

**A.** *Fides et ratio essentialiter differunt.*

Proponere sufficiat doctrinam conc. *Vaticani* (cap. 4 de fide et rat.)<sup>1)</sup>: «Perpetuus Ecclesiae cath. consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: *principio* quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; *obiecto* autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est, pronuntiat: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: .... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (I Cor. 2, 7. 8. 10). Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis.»

Cognitio fidei ergo a cognitione rationali Dei differt:

- a.** *Principio*, quod in illa est lumen fidei, in hac lumen rationis. —
- b.** Differt *obiecto* tum formali tum materiali; obiectum siquidem *formale* fidei est auctoritas Dei, rationis vero evidentia rei; obiectum *materiale* fidei praecipue in mysteriis consistit, dum ratio circa veritates sibi pervias versatur. —
- c.** Differt *medio*, quod in cognitione rationali est creatura mundi, in cognitione fidei est revelatio. —
- d.** Differt certitudine, quippe quae in fide sit libera, super-

<sup>1)</sup> Denzinger 1795.

naturalis, et omnium maxima; in cognitione rationali est plerumque necessaria, naturalis et ex motivo minus nobili minusque firmo. — e. Denique differt *fine*, cum una ad beatitudinem naturalem, altera ad visionem Dei beatificam dirigatur.<sup>1)</sup>

**B. Fides et ratio nunquam sibi opponuntur.**

477

*Pomponatius* ac *Neoperipatetici* saec. 15. et 16. affirmabant, aliquid *philosophice verum* et simul *theologice falsum* esse posse. Eorum errorem damnavit *Leo X.* in conc. *Lateranensi V.*<sup>2)</sup>: «Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus; et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus, omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhaerentes velut damnatissimas haereses seminantes . . . vitandos et puniendos fore decernimus.» — Longius progressi sunt nostro tempore homines impii, quos re-  
tundit *Pius IX.* (in litteris encyclicis 9. Nov. 1846) eo, quod «audacissime blaterant, fidem humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest».<sup>3)</sup> Idem error reprobat in «*Syllabo*» prop. 6<sup>4)</sup> et in conc. *Vaticano* (l. c.)<sup>5)</sup>: «Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem seipsum negare non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus.»<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. s. Thom., Prolog. ad II. sent. q. 1 a. 3 sol. 3; Sum. p. 1 q. 1 a. 4.

<sup>2)</sup> Constit. *Apostolici regiminis*, Denzinger 738.

<sup>3)</sup> Ib. 1635.

<sup>4)</sup> Ib. 1706.

<sup>5)</sup> Ib. 1797.

<sup>6)</sup> Cf. Thom., C. gent. l. 1 c. 7; Franzelin l. c. pg. 608 sq; Hettinger, Fundam.-Theol. p. 2 § 49.

His verbis etiam *ratio* continetur, cur inter fidem et rationem dissensio esse nequeat.<sup>1)</sup>

478 **Thesis 127.** *Fides et ratio opem sibi mutuam ferunt.*

Ita totidem verbis conc. *Vaticanum* (l. c.)<sup>2)</sup>: «Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed *opem quoque sibi mutuam ferunt*, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat.» Ut haec distinctius explicentur, dico:

**A. Ratio iuvat fidem.** Sane: 1. Imprimis omnis fides sive humana sive divina, necessario praesupponit *usum rationis*, iuxta illud notum *Augustini* dictum<sup>3)</sup>: «Etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus»; et illud aliud<sup>4)</sup>: «Nullus credit aliquid, nisi prius cogitet esse credendum.»

2. Fidei divinae praecedere debet (saltem prioritate naturae) cognitio *praeambulorum fidei* et *motivorum credibilitatis*. Ratio etenim Deo credere non posset, nisi existentiam, sapientiam et veracitatem Dei ac factum revelationis cognosceret.

3. *In ipso actu fidei* ratio apprehendere debet sensum dogmatum: «Credimus, inquit *Augustinus*,<sup>5)</sup> Iesum Christum natum de Virgine, quae Maria vocabatur. Quid sit autem virgo, quid sit nasci, quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus.» — Triplex hoc adiutorium seu munus rationis ad *fidem simpliciter* necessarium est. At in *scientia fidei* seu in sacra Theologia rationi amplius adhuc munus incumbit; cum ad rationem spectet, fundamenta fidei

<sup>1)</sup> Longe aliam, utique falsissimam causam, cur fides et scientia sibi opponi nequeant, affert Modernismus (Encycl. «Pascendi», Denzinger 2084): «Scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, *inter fidem et scientiam nunquam posse esse discidium*: si enim suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem nunquam poterunt, atque ideo nec contradicere.»

<sup>2)</sup> Denzinger 1799.

<sup>3)</sup> Ep. 120 ad Consent. n. 3.

<sup>4)</sup> De praedest. sanct. c. 2 n. 5.

<sup>5)</sup> De Trin. l. 8 c. 8.

apologetice demonstrare, singula dogmata ex fontibus fidei eruere, eorum intelligentiam excolere, conclusiones exinde deducere ac dogmata ipsa contra adversarios defendere. De hoc munere in sequente capite sermo erit.

**B. Fides rationem iuvat.** Efficit enim: 1. ut ea, quae «in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint» (conc. Vatic. de revel. cap. 2).<sup>1)</sup>

2. In ipsis scientiis naturalibus, praesertim in Philosophia, fides est veluti «*rectrix stella*», «qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant.»<sup>2)</sup> Sic e. g. ipsae notiones philosophicae: *natura, persona, hypostasis, substantia, accidens, causa* et *principium* aliaeque plures nonnisi praelucente revelatione a pluribus imperfectionibus, ut parum dicam, purificari et adaequate explicari coeperunt.

3. Maxime vero fides rationem «multiplici cognitione instruit,» quam homo propriis viribus nunquam sibi comparare potuisset. Angelorum existentia enim, natura, numerus, elevatio et lapsus eorumque relatio ad hominem; tempus et modus, quo Deus mundum et speciatim hominem creavit, et elevavit; hominis lapsus et reparatio, uno verbo tota divina oeconomia ac supernaturalis providentia: haec omnia, inquam, rationi humanae sine revelatione et fide plane incognita remansissent.

4. Denique dignitas rationis humanae maxime in cognitione Dei consistit; haec enim, ut iam Aristoteles perspexit, est «divinissima et maxime honorabilis scientia.»<sup>3)</sup> Atqui Deus nonnisi per fidem perfecte cognoscitur, quippe quae etiam «profunda Dei» (I Cor. 2, 10) nobis revelaverit. Quapropter ipsa ratio Deo gratias agere debet, quod per fidem *vocavit nos Deus de tenebris in admirabile lumen suum* (I Petr. 2, 9).

<sup>1)</sup> Denzinger 1786.

<sup>2)</sup> Ita Pius IX., Ep. «Tuos libenter» d. 21. Dec. 1863 (Denzinger 1681).

<sup>3)</sup> Metaph. I. 1 c. 2.

## CAPUT III.

**De valore et munere rationis in scientia theologica.**

479. Relatio rationis ad scientiam theologicam tum ex eiusdem relatione ad fidem tum ex natura Theologiae consequitur. Ante omnia vero fundamenti loco ostendendum est, Theologiam revera *scientiam* esse. Non desunt enim, qui hoc negant; neque sine aliqua specie veritatis. Nam  $\alpha$ ) *scire*, inquit, et *credere* sibi opponuntur; si ergo Theologia est doctrina fidei, eo ipso non erit scientia.  $\beta$ ) Praeterea praecipuum Theologiae obiectum sunt mysteria; at mysteria non sciuntur, alioquin non essent mysteria.  $\gamma$ ) Denique scientiae ex principiis evidentibus conclusiones evidentes deducunt; fides autem ab Apostolo appellatur *argumentum non apparentium* (Hebr. 11, 1). — Nihilominus esto:<sup>1)</sup>

**Thesis 128.** *Theologia est veri nominis scientia, alterius tamen naturae et altioris ordinis quam scientiae rationales.*

Sane 1. *est veri nominis scientia*. Multipliciter enim scientia dicitur:  $\alpha$ ) late quaevis cognitio certa;  $\beta$ ) stricte cognitio per causas, cum scilicet non solum cognoscitur, *quod* res ita sit, sed etiam *cur* sit;  $\gamma$ ) complexus talium cognitionum certarum in corpus systematicum redactus; denique  $\delta$ ) scientia non solum subiective pro cognitione mentis, sed etiam obiective pro veritatibus cognitis usurpatur.<sup>2)</sup> Quo posito ita arguo: Quaevis complexio veritatum, quae circa commune subiectum versantur, ex principiis certis deducuntur atque in systema ordinatum rediguntur, est et dicitur ab omnibus veri nominis scientia. Atqui Theologia est complexio systematica veritatum ex fontibus certis revelationis demonstratarum. Ergo. Confirmatur ex usu biblico et ecclesiastico, qui huic doctrinae nomen scientiae absolute tribuit.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. s. Thom. p. 1 q. 1 art. 2. 5 et 6.

<sup>2)</sup> Cf. Egger, Propaed. n. 85.

<sup>3)</sup> Cf. Sap. 10, 10; Prov. 2, 5; I Cor. 12, 8; August., De Trinit. 1. 14 c. 1. Vide s. Thom. 1. c.; Melch. Canum, De loc. theol.

2. *Est scientia alterius naturae et altioris ordinis.* Scientia enim, quae principiis essentialiter diversis et altioribus utitur, essentialiter differt ab aliis scientiis iisque superior est. Theologia autem a principiis lumine divino fidei cognitis progreditur. Ergo essentialiter differt atque eminet prae omnibus scientiis naturalibus, quae principiis lumine naturali dumtaxat cognitis innituntur.

Ad obiectiones supra positas haud difficulter respondetur. Scilicet ad  $\alpha$ ): *Scire* et *credere* utique sibi opponuntur. Sed Theologia non simpliciter credit, alioquin fides et Theologia idem essent; sed theologus supposito habitu fidei ex iis, quae fide tenentur, ad alia cognoscenda progreditur. Talis progressus autem est operatio scientifica.<sup>1)</sup>

Ad  $\beta$ ): Mysteria utique non sciuntur scientia naturali, attamen ex revelatione divina *demonstrantur, declarantur, ordinate tractantur*, et variae iterum ex iisdem conclusiones *derivantur*. Ergo etiam circa mysteria scientia esse potest.

Ad  $\gamma$ ): Adverto cum *Melch. Cano* (l. c.), ideo Aristotelem in scientiis evidentiam postulare, ut propositio necessitatem, assensus firmitatem et securitatem habere possit. Quodsi absque evidentia haec necessitas et certitudo haberi queat, nihil ad scientiam desideratur. Hoc autem ex dictis in Theologia contingit. Praeterea ad objectionem respondere possumus cum s. *Thoma*:<sup>2)</sup> «Duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria et huiusmodi. Quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmetica notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superi-

I. 12 c. 1; Gregor. de Valentia, dist. 1 dub. 1 q. 1 p. 3; et Scholasticos communiter.

<sup>1)</sup> Kleutgen, Instit. theol. n. 2: «per fidem nobis divinitus infusam inhaeremus Deo, primae veritati tamquam principio cognoscendi, credentes vera esse, quae a Deo dicuntur. Quum igitur ex iis, quae hac fide percepimus, ad alia cognoscenda nostro modo, ratiocinando scilicet, progredimur, scientia efficitur, quae *Theologia sacra* vel *supernaturalis* vocatur.»

<sup>2)</sup> L. c. a. 2.

oris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum. Unde sicut musicus credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.»

- 481 **Corollarium.** Si *Theologiam cum fide* comparamus, manifeste apparet: **a.** Eas convenire *objective*, quatenus utraque pro obiecto habet veritates revelatas, licet fides magis respiciat dogmata in seipsis, Theologia vero in eorum nexu scientifico. Praeterea haud paucae sunt conclusiones theologicae, quae cohaerent quidem cum revelatione, at revelatae non sunt. Unde Theologiae obiectum simpliciter latius patet quam fidei. — **b.** Etiam *subjective* Theologia et fides partim conveniunt, partim discrepant. Conveniunt, quia habitus tum fidei tum scientiae theologicae postulat assensum mentis propter auctoritatem Dei loquentis; sine tali assensu supernaturali enim potius erit Philosophia religionis seu Theodicaea quam Theologia. Discrepant, quia Theologia ad fidem, cui tamquam fundamento innititur, addit habitum scientiae (*γνώσιν*); scientiae autem proprium est, assentiri propter demonstrationem. Theologia igitur dogmata, quae fides credit, etiam ex verbo Dei demonstrat, explicat, eorum nexum patefacit, novasque exinde conclusiones deducit. Inde patet, assensum theologicum semper esse distinctiorem quam assensum fidei, non vero firmiorem. Immo assensus theologicus etiam cum formidine oppositi coniunctus esse potest, quando non versatur circa ipsa dogmata, sed circa argumenta, quibus dogmata probantur, vel circa conclusiones, quae ex iis deducuntur.<sup>1)</sup>

**Thesis 129.** *Munus rationis in Theologia α) ex relatione scientiae theologicae ad fidem consequitur; β) apteque axiomate „Philosophia ancilla Theologiae“ exprimitur.*

- 482 **A.** Prima pars non tam probatione, quam declaratione indiget. Sane ex dictis Theologia est *scientia fidei*. Ea ergo est relatio Theologiae ad simplicem fidem, ut Theologus id, quod fideles simpliciter credunt, etiam ex suis fontibus demonstrare, systematice ordinare profundiusque in-

<sup>1)</sup> Cf. Franzelin, De Deo Uno, prolog. pg. 11 sq; De trad. et Script., append. de habitud. rat. hum. ad fid. c. 6 II pg. 728 (ed. 3). Cf. etiam Kleutgen I. c. n. 10.

telligere, contra adversarios defendere variasque conclusiones ex dogmatibus deducere conetur. Isti quippe actus certe actus scientifici sunt. Atqui ex hac relatione manifesto apparet, quid sit, quid non sit munus rationis in Theologia. Videlicet:

1. Ratio ante omnia ipsa *fundamenta fidei*, revelationem eiusque fontes examini subiicit; examini utique confirmativo, non dubitativo. Munus namque Theologi *non est*, ut a dubio ad fidem perveniat, quemadmodum *Hermesius* docuit (449), sed ut fidem, quam iam tenet, confirmet ac demonstret: argumentis quidem philosophicis et historicis contra incredulos, argumentis etiam theologicis pro fidelibus. Neque in hoc est ullum inconveniens. Licet enim scientiae inferiores non probent sua principia, scientia tamen suprema etiam ipsa sua principia examinare eorumque veritatem illustrare ac defendere potest ac debet.<sup>1)</sup> — Hoc munus perficit illa pars scientiae sacrae, quam Theologiam *fundamentalem* appellant (22).

2. Secundum munus rationis erit, ut singula dogmata ex fontibus revelationis eruat atque argumentis e locis theologicis petitis (8) demonstret. Et hoc praestat Theologia, quam *positivam* vocant.

3. Tertium munus erit, veritates revelatas in ordinem systematicum redigere, penitiorum intelligentiam quaerere conclusionesque theologicas exinde deducere. Ut enim conc. *Vaticanum* (cap. 4)<sup>2)</sup> ait: «ratio fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo.» Munus rationis autem *non est*, mysteria «perspiciendi ad instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt»; prouti Semirationalismus docet. Mysteria enim, etiam revelatione tradita, «fidei velamine contexta et quadam quasi caligine obvoluta manent». — Hoc tertium munus rationis ad Theologiam *speculativam* pertinet.

<sup>1)</sup> Cf. s. Thom. p. 1 q. 1 a. 8.

<sup>2)</sup> Denzinger 1796

4. Necesse est, ut ratio tum revelationem ipsam tum singulas veritates revelatas contra incredulos et haereticos defendat: quod ad Theologiam *apologeticam* et *polemicam* spectat.

5. Sicut fides, ita etiam Theologia non solum ad cognoscendam veritatem, sed etiam ad vitam recte instituendam dirigitur. Quare rationi in Theologia etiam munus incumbit, ut consequentias practicas ex veritatibus fidei deducat. Hoc munus praestat Theologia *practica* cum diversis suis disciplinis (17).

6. Denique ratio, ut praefatis muneribus satisfaciatur, etiam *subsidio scientiarum naturalium* indiget. Critica enim, Philologia, Hermeneutica, scientiae historicae, maxime vero Philosophia ubique fere in usum veniunt. «Quodsi, ut scite observat *Franzelin*,<sup>1)</sup> in prioribus illis defectus propriae scientiae a Theologo aliquatenus alienis oculis potest suppleri, in Philosophia non potest.»

Haec sunt munera rationis in Theologia, prouti ea ex relatione huius scientiae ad fidem consequuntur, et prouti ab Ecclesia semper intellecta sunt.<sup>2)</sup>

**Corollarium 1.** Ex dictis apparet, quid in Theologia sibi velint et quomodo differant argumenta, ut aiunt, ex «*ratione theologica*» et ex «*ratione philosophica*». Ratio quippe

<sup>1)</sup> L. c. pg. 620.

<sup>2)</sup> Aequè pulchre ac concinne s. Bonaventura munus scientiae theologicae ita describit (Prooem. in I sent. q. 2 concl.): «Modus inquisitivus valet primo ad *confundendos adversarios*. Unde Augustinus primo de Trinitate (cap. 2): „Adversus garrulos ratiocinatores elatiores quam capaciores rationibus catholicis et similitudinibus congruis *ad defensionem et assertionem fidei* est utendum.“ Secundo valet ad *fovendum infirmos*. Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent, rationes ad fidei probabilitatem deficere et ad oppositum abundare, nullus persisteret. Tertio valet *ad delectandum perfectos*. Miro enim modo anima delectatur in intelligendo, quod perfecta fide credit. Unde Bernardus (l. 5 de consid. c. 3): Nihil libentius intelligimus, quam quod iam fide credimus.» — Mutuam relationem inter rationem et fidem ac scientiam fidei praeclare exponit s. Augustinus, in Ps. 118 serm. 18 n. 3 et Ep. 120 ad Consent., cuius expositio iuxta Franzelin (append. l. c.) «potest dici tractatus de relatione fidei ac scientiae theologicae.»

theologica ex una vel duabus praemissis revelatis conclusionem ad fidem spectantem deducit; ratio philosophica ex duabus veritatibus naturalibus aliam veritatem naturalem deducit. Hoc posito in primis per se liquet, argumenta ex ratione theologia petita in Theologia sedem sibi propriam habere, cum unum ex praecipuis muneribus scientiae theologiae in eo praecise consistat, ut huiusmodi conclusiones ex dogmatibus deducat. At ratio etiam philosophica a Theologo adscisci potest:  $\alpha$ ) ut tum ipsum *factum revelationis* tum singulae veritates revelatae, quae *lumini naturali* per se imperviae non sunt, contra incredulos defendantur;  $\beta$ ) ut ipsa *mysteria* non quidem ex ratione demonstrantur, sed ex analogia cum veritatibus naturalibus illustrentur (conc. Vatic. cap. 4)<sup>1)</sup>; mysteria quippe libentius et suavius creduntur, si eorum congruentia cum ratione perspicitur.<sup>2)</sup>

**Corollarium 2.** Apparet etiam, quid sibi velint argumenta ex *analogia fidei* et *rationis*. Quando nimirum dogma aliquod ex eius connexionem vel affinitate cum alio dogmate probamus vel illustramus, est argumentatio «ex analogia fidei». Sic dogma de distinctione, consubstantialitate, processione ac missione divinarum personarum ex dogmate incarnationis confirmamus et illustramus. Cum vero dogma aliquod ex eius congruentia et connexionem cum veritatibus naturalibus suademus, erit argumentum non quidem demonstrativum, sed probabile «ex analogia rationis». Sic Dogmatica specialis vestigium et imaginem ipsius Trinitatis in creaturis, praesertim in anima humana detegit; et relationes harmonicas inter dogma incarnationis, ac reliqua attributa divina invenit.<sup>3)</sup>

**B.** Probatur secunda pars. Sane axioma «*Philosophia ancilla Theologiae*» 483

1. occurrit non solum apud Scholasticos, sed etiam apud Patres, qui frequenter in *Sara* eiusque ancilla *Agar* allegoriam reperiunt relationis inter Theologiam et Philosophiam: «Quemadmodum liberales disciplinae, inquit *Cle-*

<sup>1)</sup> Denzinger 1796.

<sup>2)</sup> Cf. s. Thom. p. 1 q. 32 a. 1 ad 2.

<sup>3)</sup> Cf. Egger, Ench. dogm. spec. n. 105. 278.

*mens Alex.*,<sup>1)</sup> inserviunt Philosophiae, quae est earum domina; ita etiam ipsa Philosophia inservit ad parandam sapientiam (Theologiam) ... Est enim sapientia domina Philosophiae, sicut haec domina est propaedeuticarum disciplinarum.» *Similiter Origenes*,<sup>2)</sup> *Gregor. Naz.*,<sup>3)</sup> *Hieronym.*,<sup>4)</sup> *Damascenus*.<sup>5)</sup> — Verum etiam in documentis magisterii ecclesiastici nostrum axioma occurrit. Sic *Pius IX.* statuit<sup>6)</sup>: «Humanam rationem et Philosophiam in religionis rebus non dominari, sed ancillari debere.» Et iam saec. 13. *Gregorius IX.* conqueritur de illis, «qui doctrinis variis et peregrinis abducti, redigunt caput in caudam et ancillae (Philosophiae) cogunt famulari reginam (Theologiam)».<sup>7)</sup>

2. Analogia praefata est etiam opportunissima. Nam

a. Theologia revera praeeminet omnibus scientiis naturalibus veluti domina ancillae. Eminent enim, ut saepe vidimus, ratione obiecti *materialis*, quod est Deus unus et trinus; ratione obiecti *formalis*, quod est infinita auctoritas Dei; ratione *certitudinis*, quae tum obiective tum subiective est omnium maxima; ratione *finis*, qui est ipsa visio Dei beatifica, cuius initium et radix existit fides. Theologia ergo regina est inter scientias, et *sapientia* per eminentiam.<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Strom. I p. 284.

<sup>2)</sup> Ep. ad Greg. n. 5.

<sup>3)</sup> Ad Seleuc. carm. 8 v. 240.

<sup>4)</sup> Ep. 70 al. 84 n. 2 ad Magn.

<sup>5)</sup> Dialect. c. 1.

<sup>6)</sup> In litt. ad Card. Colon. d. 15. Iunii 1867.

<sup>7)</sup> Epist. ad magistr. Theol. Paris. dd. 7. Iulii 1228 (Denzinger 442).

<sup>8)</sup> Thom. p. 1 q. 1 a. 6: «Haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et iudicare, iudicium autem per altiore causam de inferioribus habeatur; ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis: ut in genere aedificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens; et architecton respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna et lapides, vel qui parant coementum. Unde dicitur I Cor. 3 10: 'Ut sapiens architectus fundamentum posui.' Et rursus in genere totius humanae vitae prudens sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem. Unde dicitur Prov. 10, 23: 'Sapientia est viro prudentia.' Ille igitur qui considerat simpliciter

b. Sicut ancilla dominam semper comitatur eique famulatur, ita *ratio* individua et necessaria comes est fidei; quippe quae sine usu et multiplice cognitione rationis plane impossibilis esset (478). *Philosophia* vero et *scientiae naturales* ad fidem simpliciter non quidem necessariae sunt, utique vero ad *scientiam fidei* i. e. ad Theologiam requiruntur. «Est quidem, inquit *Clemens Alex.*,<sup>1)</sup> per se perfecta et nullius indiga Salvatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca Philosophia non veritatem facit potentiolem, sed debilem adversus eam facit sophisticam argumentationem, et propulsans dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes ac vallum.»

c. Ancilla, quum opus fuerit, dominae praecedit eique viam sternit ac facem praefert. A pari ratio *praeambula* est fidei, Philosophia *propaedeutica* Theologiae. Hoc sensu *Clemens Alex.* (l. c.) fatetur, philosophiam «esse disciplinam praeiviam hominis gnostici» i. e. theologi (*προπαιδείαν τοῦ γνωστικοῦ*).

d. Quemadmodum nefas est, ut famula obloquatur dominae, etsi forte praeceptum istius non arrideat sensui aut

---

altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur. Unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio (ut patet per Augustinum, I. XII. de Trin.). Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa: quia non solum quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile (quod Philosophi cognoverunt, ut dicitur Rom. I: „Quod notum est Dei, manifestum est illis“), sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.» Lege etiam prologum Aquinatis in I. sent.

<sup>1)</sup> Strom. I p. 318 sq; cf. Thom. l. c. a. 5 ad 2: «Haec scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quae in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicae utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex his, quae per naturalem rationem (ex qua procedunt aliae scientiae) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra rationem, quae in hac scientia traduntur.»

gustui illius: ita nefas quoque est, ut ratio fidei, Philosophia Theologiae *contradicat*, quamvis dogma aliquod captum rationis superet ac placitis scientiarum apparenter contradicat. Merito ergo docet conc. *Vaticanum* (l. c.),<sup>1)</sup> quod «Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per Philosophiam et inanem fallaciam». Et postea: «Nec sane ipsa (Ecclesia) vetat, ne huiusmodi disciplinae (humanae) in suo quaque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent.» Merito quoque proscripta fuit prop. 10 *Syllabi*: «Cum aliud sit philosophus, aliud Philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at Philosophia neque potest neque debet alii sese submittere auctoritati.»<sup>2)</sup>

Concludimus verbis sapientissimis *Leonis XIII.* (Encycl. *Aeterni Patris*): «Cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro libitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem *ancillae et pedissequae*, famulari caelestibus doctrinis easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere.»<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Denzinger 1798 sq.

<sup>2)</sup> Ib. 1710.

<sup>3)</sup> Cf. Scheeben, Handbuch d. kath. Dogmat. Bd 1 § 53, ubi aliae analogiae relationis inter fidem et rationem proponuntur, scilicet analogia *sponsi ad sponsam*, *Spiritus sancti ad b. Virginem*, *naturae divinae ad humanam in Christo*. De controversia inter *Clemens* et *Kuhn* circa sententiam Scholasticorum, Philosophiam esse ancillam Theologiae, vide Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 4 n. 315 ff.

**Thesis 130.** *Scientia theologica intra suos limites veri progressus capax est verumque progressum fecit.* 484

Ita conc. *Vaticanum* (l. c.): «Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.»<sup>1)</sup> — Sane:

1. *Scientia theologica progressus capax est.* Id patet: **a.** ex ipso progressu dogmatum, de quo in tractatu de traditione locuti sumus (199 sqq). Si enim revelatio obiective spectata non est ad instar thesauri materialis, sed similis grano sinapis in arborem crescentis, profecto etiam intelligentia et scientia revelationis subiective in Ecclesia et in singulis hominibus crescere poterit. — **b.** Patet ex munere rationis in scientia theologica, quod est: revelationem et singula dogmata probare, explicare, defendere. At quis non videt, quam immensus campus inquisitionis et ampla occasio profectus scientifici praesto sit humanae rationi in rimandis fontibus revelationis (Scriptura et traditione), in eruendo et penetrando sensu dogmatum, in deducendis conclusionibus, et maxime in defensione depositi fidei contra innumeros adversarios, qui nova semper facie novisque armis contra illud insurgunt? — **c.** Denique patet tum ex perfectibilitate rationis humanae tum ex divina providentia, quae in ordine supernaturali aequae ac in naturali successiva incrementa disposuit, ut Ecclesia crescat *in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (Eph. 4, 13).

2. *Intra suos limites progredi debet.* Videlicet **a.** non sensu *rationalistico*, qui omnes religiones etiam absurdissimas ut legitimum progressum declarat (42); neque **b.** sensu *pseudomystico*, qui novas revelationes exspectat (194); neque **c.** sensu *semirationalistico*, qui dogmata placitis Philosophiae cuiusque temporis accommodat (200); sed **d.** sensu *catholico* i. e. intra limites tum a natura revelationis divinae, tum ab Ecclesia revelationis custode positos (201 sqq).

3. *Scientia theologica revera decursu temporis profecit.*

---

<sup>1)</sup> Vincent. Lir., Common. n. 28. Denzinger 1800.

Re sane vera, qui scripta Patrum magnorumque magistrorum scholae catholicae vel obiter gustaverit, fateri cogetur, sacram scientiam per s. *Augustinum* aliosque Patres, per *Angelicum Doctorem* aliosque Scholasticos magnum progressum fecisse.<sup>1)</sup> Post conc. *Tridentinum* vero certe Theologia positiva et polemica per *Bellarminum* aliosque doctores laeta incrementa sumpsit. Nostris temporibus vero praesertim *historia ecclesiastica* et *studium biblicum* atque generatim disciplinae *subsidiariae*, non sine successu, coluntur et excoluntur. Quamvis ergo non semper aequalis fuerit progressus scientiae theologicae, immo licet, sicut in humanis fieri adsolet, aliquando etiam regressus non quidem obiectivus, sed subiectivus in aliquibus partibus Ecclesiae concedi debeat: simpliciter tamen loquendo profectus scientificus Theologiae in dubium vocari nequit. Verum de his ex professo tractat *historia dogmatum*.<sup>2)</sup>

485     **Thesis 131.** *In determinanda methodo, qua tractari debet Theologia, tam natura huius scientiae quam exigentiae temporum attendi debent.*

In abstracto spectata propositio vix a quopiam negabitur. Methodus siquidem nil aliud est, quam *ordo et modus*, quo scientia aliqua tractatur. Evidens autem est, hunc ordinem prae primis a *natura scientiae* pendere. Quis enim non videt, aliter e. g. Mathematicam, quae tota formalis est, aliter Physicam, quae circa corpora realia, aut historiam, quae circa facta contingentia versatur, tractari debere? At non minus evidens est, in scientiis, praesertim realibus et practicis, etiam ad varias exigentias personarum et temporum attendi oportere. Theologia autem, licet primario sit scientia idealis et speculativa, simul tamen est *realis et practica*; quia eius subiectum Deus tum primum principium tum ultimus finis est, quem non solum cognoscere, sed ad quem etiam tendere debemus.<sup>3)</sup> — Regula generalis igitur

<sup>1)</sup> Cf. Leonis XIII. Encycl. *Aeterni Patris*, ubi de Apologetis, Patribus et Doctoribus scholae loquitur: «Contra vero primi Ecclesiae Patres et Doctores» etc.

<sup>2)</sup> Vide Scheeben bene de hac materia disserentem a §§ 55—60; Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 537—660.

<sup>3)</sup> Cf. Thom. 1. c. a. 4; Kleutgen, Instit. theol. n. 20 sqq.

patet omnino. Quaestio potius circa *applicationem regulae* vertitur: *qualis* proinde methodus in Theologia adhibenda sit. Ad eius solutionem in antecessum praecipuae methodi, quae hic in considerationem veniunt, indicari debent. Igitur:

a. Ratione *originis* methodus distingui potest *biblica*, *historica* seu *genetica* et *systematica*; quatenus nimirum doctrina sacra tractatur secundum nexum intrinsecum dogmatum, vel secundum historicam eorum explicationem, vel secundum ordinem, quo in s. Scriptura proponuntur. Primis saeculis aerae christianae praevaluit methodus biblica, medio aevo inde a *Ioanne Damasceno* et *Anselmo* et praesertim a *Petro Lombardo* invaluit methodus systematica;<sup>1)</sup> nostro tempore a multis, praecipue in Germania, adamatur methodus historica (genetica).

b. Ratione *finis* seu *muneris* Theologiae distinguitur methodus *positiva*, *speculativa*, *polemica* et *apologetica*; quae divisio ex superius dictis intelligitur (482). Methodus speculativa praecipue a *Scholasticis* colebatur, unde etiam scholastica dicitur; dum methodus positiva, polemica et apologetica post exortam reformationem diligentius adhiberi coepit. Ex eo tempore enim paulatim ipsa fides in Christum labefactari, s. Scriptura mythis accenseri, ac tandem late nimis per orbem vagari coepit Rationalismus et Naturalismus; unde multorum mens in Pantheismi, Materialismi et Atheismi barathrum prolapsa est (prooem. conc. Vaticani). Hinc est, quod nostris temporibus non solum singula dogmata, sed ipsa quoque revelatio revelationisque praeambula sollicitius probari ac defendi debent.

c. Ratione *modi argumentandi* commemoranda est vulgatissima divisio in methodum *analyticam* et *syntheticam*, quae ita describuntur a s. *Thoma*:<sup>2)</sup> «Est duplex via procedendi ad cognitionem veritatis. Una quidem per modum *resolutionis* (analysis), secundum quam procedimus a compositis ad simplicia, et a toto ad partem . . . Et in hac via perficitur cognitio veritatis, quando pervenitur ad singulas

<sup>1)</sup> Cf. Grabmann, Die Geschichte der scholastischen Methode (Freiburg i. Br. 1909 ff).

<sup>2)</sup> In l. 2 Metaph. lect. 1; cf. meam Propaedeut. (n. 89), ubi fuse et non sine respectu ad Theologiam has methodos exposui.

partes distincte cognoscendas. Alia est via *compositionis* (synthesis), per quam procedimus a simplicibus ad composita, qua perficitur cognitio veritatis, cum pervenitur ad totum.» Methodus analytica ex factis particularibus leges universales *inquiri*t, atque ab effectibus ad causam, ab attributis ad essentiam, ab operationibus ad naturam concludit; unde etiam methodus *heuristica* appellatur. Contra vero methodus synthetica ex legibus et causis universalibus phaenomena particularia explicare, atque ex rerum natura et essentia earum proprietates et operationes deducere et illustrare contendit. Hinc ad *tradendas* scientias aptissima est.<sup>1)</sup>

486 d. Denique ratione *formae technicae*, si ita loqui fas est, distinguitur methodus *acroamatica* et *erotematica* vel *socratica*; quatenus magister solus loquitur, reliqui audiunt, vel quatenus veritas per mutuam collationem aptasque interrogationes traditur. Item distinguitur methodus *sylogistica* et *academica*, quatenus doctrina in stricta forma dialectica vel in oratione magis lata et oratoria proponitur. Denominatur autem methodus sylogistica non exclusive, sed a parte potiore. — His praestitutis circa methodum in Theologia adhibendam haec notamus:

1. Ante omnia *generatim loquendo methodus systematica praeferenda est methodo biblicae et historicae*. Sane:

a. Ordo scientificus, qui ex nexu *intrinseco* veritatum desumitur, ceteris paribus longe praestat ordini, qui ex rationibus *extrinsecis* petitur. Cum enim veritates in suo nexu intrinseco perspiciuntur, mutuo sibi lucem affundunt, ita ut melius intelligantur et facilius addiscantur. Atqui hunc ordinem intrinsecum sequitur methodus systematica, dum e contrario methodus biblica ad seriem Scripturae, methodus historica ad successionem factorum respicit. Quodsi igitur generatim in scientiis speculativis methodus systematica omnium optima est, eadem quoque in Theologia eligenda erit, sub iusta utique cautela, ne scilicet nexus ac ordo veluti a priore et philosophice aut ex principio aliquo praeconcepto, sed ex principiis revelationis desumantur.<sup>2)</sup> Hoc

<sup>1)</sup> Adverte tamen, voces «analytica et synthetica methodus» a nonnullis sensu omnino opposito sumi.

<sup>2)</sup> Exemplum principii falsi, quod totum systema veluti *πρῶτον*

etiam indigitare videtur ipsum conc. *Vaticanum* dum docet (cap. 4)<sup>1)</sup>, quod «ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, *tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo*».

b. Praeterea methodo systematicae proprium est, ut statum quaestionis accurate exponat, ut essentialia ab accidentalibus secernat, superflua et ad rem non pertinentia eliminat, ut obscura ex clarioribus, consectaria ex principiis deducat vel illustret, atque argumenta nonnisi optima adhibeat. Contra vero, methodus biblica et historica his commodis magna ex parte carent: neque fieri potest, quin superflua necessariis, clara obscuris, priora posterioribus immisceantur, ac proluxae digressiones extra ambitum Dogmaticae vel saltem illius dogmatis, de quo agitur, identidem fiant. Manifesto ergo ad addiscendam intelligendamque doctrinam sacram opportunior est methodus systematica.

*Nota.* Loquimur de tota Theologia dogmatica, non de quaestionibus particularibus, quae *monographice* tractantur. Loquimur insuper de methodo, quae generatim loquendo et praecipue pro *institutione theologica* praeferenda sit. Non negamus enim, ex scopo particulari etiam alias methodos iure merito adhiberi, neque parum utilitatis scientiae theologiae accrescere, si nonnulla capita s. doctrinae etiam biblice et genetice seu historice explicentur. Quapropter libenter quidem concedimus, studium historicae explicationis dogmatum haud parum conferre ad ipsam scientiam dogmatum; at cavendum etiam est, ne Dogmatica cum historia dogmatum veluti identificetur ac confundatur.

2. Si quaeritur, utrum Theologia magis *positive*, an *speculative* vel *polemice* tractanda sit, respondemus:

a. Sub hoc respectu maxime *ad exigentias temporum* attendi debet, ut per se liquet. Iure merito ergo post exortam reformationem Theologia tractari coepit magis *positive*

---

πεῦδος pervadit, Hirscher nobis praebet, ut videre est apud Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 327.

<sup>1)</sup> Denzinger 1796.

et polemica quam aera elapsa, ubi fidelibus pacifica revelationis possessione frui licuit. Nihilominus

b. finis principalis scientiae sacrae semper est ac manebit *dogmatum intelligentia*, atque ad vitam christianam applicatio; magis etiam, ut s. *Thomas* dicit,<sup>1)</sup> respici debet «ad fidelium exercitium et solatium,» quam «ad adversarios convincendos». Quare Theologia speculativa cum positiva et polemica ita coniungenda est, ut primae partes semper «*intellectui fidei*» dentur.<sup>2)</sup>

3. Si ulterius quaeritur, utrum methodus analytica an synthetica eligi debeat, *absque haesitatione syntheticam praeferimus*; cum ea, quae superius in laudem methodi systematicae generatim diximus, prae primis syntheticae congruant. Obiectum namque Theologiae non est aliquid quaerendum, sed *traditum*; non problema, sed *depositum*. Quare in hac scientia manifesto methodus traditionis praeferenda est methodo inventionis.<sup>3)</sup> Aliter utique esset, si aut cum

<sup>1)</sup> C. gent. l. 1 c. 9.

<sup>2)</sup> «Quilibet actus, inquit idem s. Doctor (Quodlib. 4 a. 18), exequendus est, secundum quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur . . . Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire quomodo sit verum, quod dicitur; alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est; sed nihil scientiae vel intellectus acquireret, sed vacuus abscedet.» Cf. Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 329.

<sup>3)</sup> Ad rem cl. Perrone, Prael. theol. vol. 3 Methodol. n. 347 sqq: «Accedunt ingentia commoda, quae ex hac methodo synthetica proveniunt. Nam dum tota rerum exponendarum series probe in antecessum explorata supponatur, possunt singulae res suo quaeque loco atque ordine apte disponi, ut mutuus inde nexus, et scientifica quasi compago exurgat. Principia necessaria conclusionibus praeiaciuntur; accurate definiuntur notiones; quae insequentibus lucem affundunt, praemittuntur; propriis unaquaeque res argumentis firmatur. Atque ita cum brevitati, tum praesertim perspicuitati ac soliditati tractationis apprime consulitur. Contra vero plura analytica methodus secum ferret incommoda. Siquidem praeterquam quod difficile tunc quaestiones omnes ita disponi possent, ut strictus ordo,

Protestantibus dogmata sibi quisque ex Scriptura eruere, aut si cum Hermesio a dubio exordiri deberet. Nil mirum, quod isti methodum analyticam tantopere depraedicent. — *Excessus tamen in usu synthesis vitari oportet*, ne scilicet nimis artificiose vel arbitrarie atque per innumeras minutasque divisiones compago systematis aedificetur; quemadmodum nonnullis Scholasticis sequioris aetatis contigit. Neque ullo modo reprehendendum, sed commendandum potius est, si methodo syntheticae quandoque in particularium rerum tractatione analysis veluti in subsidium adhibeatur.

4. Ratione denique *formae externae* pro prima institutione in scientia sacra ea methodus prae ceteris se commendat, quae exacto, brevi ac simplice sermone utitur, quaeque a parte potiore *sylogistica* nonnunquam dicitur. Talis forma enim manifeste aptissima est, ut discipuli notionibus claris et exactis imbuantur solidumque fundamentum scientiae ponant.<sup>1)</sup> Ex eadem ratione etiam terminos *technicos*

---

nexus ac dependentia, saltem quantum rei patitur natura, inter unam atque aliam veritatem constituerentur; mirum quot per eam methodum ambagibus innodaretur theologica disceptatio! Quodvis enim obiectum, de quo analytice inquirendum esset, num aliquid et quidnam revelatio doceat, prius in omnes suas partes ac relationes disperdiri oportet; dein circa omnes istas partes relationesque novam singillatim instituere quaestionem; rationes pro et contra singulas illarum ex propriis revelationis fontibus expendere; difficultates omnes superare; videre utrum conclusio alii veritati opponatur, utrum principium aliquod exploratum rationis eidem obsistat, ac demum decernere, num aliquid certi ex tota hac inquisitione ratio colligere queat. Iam vero quis non videt, quam difficile ac salebrosum sit, per tot tantasque ambages ad argumenti demum exitum pervenire? Quam facilis in adeo perplexa et multiplici inquisitione erroris illapsus! Quam latus campus subtilitatibus ac tricis pateret, a quibus nonnisi aegre te expedias! Quid vero magis inopportunum iuvenum theologorum mentibus informandis?»

<sup>1)</sup> Perpendi merentur, quae Angelicus Doctor in Prologo ad Summam Theologicam de methodo scribit: «Quia Catholicae veritatis Doctor non solum profectos debet instruere, sed ad eum etiam pertinet incipientes erudire (secundum illud Apostoli I ad Corinth. 3, 1: «Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam»), propositum nostrae intentionis in hoc opere est, ea quae ad Christianam religionem pertinent, eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium. Consideravimus namque, huius doctrinae novitios in iis, quae a diversis scripta sunt, plurimum

longo usu consecratos, quibus conceptus mentis firmis fixisque cancellis circumscribuntur, negligere aut spernere non licet. Maxime id valet de terminis ab ipsa Ecclesia consecratis, a quibus discedere piaculum esset, iuxta illud: *devitans profanas vocum novitates* (I Tim. 6, 20). Hinc est etiam, cur in tradenda Theologia dogmatica lingua *latina* vernaculis longe antecellat. «Habent enim, inquit cl. *Per-rone*,<sup>1)</sup> christiana dogmata cum ratos firmosque conceptus suos, quos immutare nefas est, tum locutiones illas perpetua traditione atque usu consecratas, quae conceptus illos rite efferunt, perpetuoque integros servant. Atqui si haec omnia cuique e vernaculis linguis committantur, quae variae ac mutabiles sunt, et quas quisque scriptor pro ingenio suo inflectere potest, ac aliam aliis vocabulis significationem tribuere, quis non videt, quot inde in dogmata ipsa varietates, ambiguitates, persiones etiam dimanent?» Addi possent pro usu linguae latinae aliae rationes obviae, quas idem auctor late prosequitur.

Sed de his hactenus. Concludimus iam verbis pulcherrimis, quibus s. *Anselmus*<sup>2)</sup> munus rationis ad fidem ac Theologiam paucis complectitur: «Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere, ut credam; sed credo, ut intelligam: nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam.»

impediri; partim quidem, propter multiplicationem inutilium quaestionum, articulorum et argumentorum; partim etiam, quia ea, quae sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum ordinem disciplinae, sed secundum quod requirebat librorum expositio vel secundum quod se praebebat occasio disputandi; partim quidem, quia eorundem frequens repetitio et fastidium et confusionem generabat in animis auditorum. Haec igitur et alia huiusmodi evitare studentes, tentabimus cum confidentia divini auxilii, ea quae ad sacram doctrinam pertinent, breviter ac dilucide prosequi, secundum quod materia patietur.»

<sup>1)</sup> L. c. n. 358. Cf. de methodo etiam Kleutgen, Theol. d. Vorzeit Bd 5 n. 327 ff; Schwetz, Theologia generalis § 49 (ed. 6 Vienna 1864).

<sup>2)</sup> Proslog. c. 1.

# INDEX.

---

|                     |             |
|---------------------|-------------|
| Praefatio . . . . . | Pag.<br>III |
|---------------------|-------------|

## INTRODUCTIO.

### De Theologia generatim spectata.

|                                                                                              |    |
|----------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| I. Theologiae nomen et definitio . . . . .                                                   | 1  |
| II. Subiectum et obiectum Theologiae . . . . .                                               | 2  |
| III. Principia Theologiae . . . . .                                                          | 4  |
| IV. De locis theologicis (Elenchus conciliorum, Pontificum, Patrum et Theologorum) . . . . . | 6  |
| V. Theologiae divisio . . . . .                                                              | 14 |
| VI. Dispositiones animi ad studium theologicum . . . . .                                     | 18 |

---

## Theologia generalis seu fundamentalis.

|                                           |    |
|-------------------------------------------|----|
| Divisionis et tractationis ratio. . . . . | 20 |
|-------------------------------------------|----|

---

## TRACTATUS I.

### De revelatione.

#### SECTIO I.

#### De religione generatim.

|                                         |    |
|-----------------------------------------|----|
| Religionis etymon et definitio. . . . . | 24 |
|-----------------------------------------|----|

#### CAPUT I.

#### De religionis origine, obligatione, natura et proprietatibus.

|                                                                                                                                                                                                                       |    |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| Articulus I. De religionis origine et obligatione . . . . .                                                                                                                                                           | 26 |
| Thesis 1. Religio in ipsa natura humana fundatur, ita ut omnis homo naturaliter et absolute ad religionem obstrictus sit . . . . .                                                                                    | 28 |
| Corollarium. Falsae de religionis origine opiniones . . . . .                                                                                                                                                         | 31 |
| Thesis 2. Eadem veritas theologice demonstratur . . . . .                                                                                                                                                             | 33 |
| Articulus II. De religionis natura . . . . .                                                                                                                                                                          | 34 |
| Thesis 3. Subiectum religionis est totus homo, tam singuli quam societas; elementa essentialia religionis subiective spectatae sunt actus externi et interni, privati et publici; elementa religionis obiective spec- |    |

|                |                                                                                                          |            |
|----------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------|
|                | tatae sunt veritates theoreticae, praecepta moralia<br>et cultus externus . . . . .                      | Pag.<br>35 |
| Corollarium.   | «Religio est res privata» . . . . .                                                                      | 36         |
| Articulus III. | De proprietatibus religionis . . . . .                                                                   | 37         |
| Thesis 4.      | Religio debet esse vera . . . . .                                                                        | 37         |
| Thesis 5.      | Vera religio una tantum esse potest . . . . .                                                            | 39         |
| Thesis 6.      | Religio de iure et de facto universalis est . . . . .                                                    | 39         |
| Thesis 7.      | Religio est absolute necessaria, necessitate medii<br>et praecepti, pro societate aequae ac pro singulis | 41         |

## CAPUT II.

### De paganismo eiusque relatione ad revelationem christianam.

|                |                                                                                                                                                                |    |
|----------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| Articulus I.   | Conspectus paganismi. Errores circa eius na-<br>turam et originem . . . . .                                                                                    | 43 |
| Articulus II.  | Refutatio progressismi religiosi . . . . .                                                                                                                     | 47 |
| Thesis 8.      | Variae formae paganismi non fuerunt totidem le-<br>gitima stadia seu formae conscientiae religiosae,<br>sed totidem gravissimi errores hominis lapsi . . . . . | 48 |
| Thesis 9.      | In negotio religionis homo non fecit continuum<br>progressum, sed regressum; ut non solum ex hi-<br>storia sacra, sed etiam profana constat . . . . .          | 52 |
| Articulus III. | De reliquiis veritatis in paganismo . . . . .                                                                                                                  | 56 |
| Thesis 10.     | Historice constat, inter errores paganorum ideam<br>veri Dei aliasque veritates religiosas, quantumvis<br>obtenebratas, delituisse . . . . .                   | 57 |
| Thesis 11.     | Eadem veritas theologice demonstratur . . . . .                                                                                                                | 60 |
| Articulus IV.  | Quomodo paganismus ad praeparandum Evan-<br>gelium inservivit . . . . .                                                                                        | 63 |
| Thesis 12.     | Extrema miseria, in qua totum genus humanum<br>gembat, illud ad suscipiendum Salvatorem nega-<br>tive disposuit . . . . .                                      | 63 |
| Thesis 13.     | Reliquiae veritatis, quae in paganis supererant,<br>praeparationi Evangelii positive haud parum in-<br>serviebant . . . . .                                    | 65 |

## SECTIO II.

### De religione revelata.

#### CAPUT I.

##### Prolegomena de revelatione.

|      |                                         |    |
|------|-----------------------------------------|----|
| I.   | Revelationis notio et divisio . . . . . | 67 |
| II.  | Mysterii notio . . . . .                | 69 |
| III. | Adversarii revelationis . . . . .       | 70 |

#### CAPUT II.

##### De revelationis possibilitate et convenientia.

|              |                                                                      |    |
|--------------|----------------------------------------------------------------------|----|
| Articulus I. | De possibilitate et convenientia revelationis<br>generatim . . . . . | 73 |
|--------------|----------------------------------------------------------------------|----|

|                                                                                                                                                                                                       | Pag. |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| Thesis 14. Quamvis Deus per ea, quae facta sunt, naturali rationis lumine cognosci valeat, nihilominus fieri potest, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur . . . . . | 73   |
| Thesis 15. Revelatio supernaturalis generatim spectata conveniens et homini perutilis est . . . . .                                                                                                   | 75   |
| Articulus II. De possibilitate et convenientia revelationis mysteriorum in specie . . . . .                                                                                                           | 75   |
| Thesis 16. Existunt mysteria, quae adeo captum rationis humanae excedunt, ut naturaliter ab ea cognosci non possint . . . . .                                                                         | 75   |
| Thesis 17. Revelatio mysteriorum possibilis est . . . . .                                                                                                                                             | 80   |
| Thesis 18. Revelatio mysteriorum est convenientissima . . . . .                                                                                                                                       | 81   |

### CAPUT III.

#### De revelationis necessitate.

|                                                                                                                                                                              |    |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| Articulus I. Status quaestionis . . . . .                                                                                                                                    | 82 |
| Articulus II. Necessitas moralis revelationis demonstratur . . . . .                                                                                                         | 85 |
| Thesis 19. Summa difficultas cognoscendi veritates religiosas adiutorium aliquod speciale moraliter necessarium reddebat . . . . .                                           | 86 |
| Thesis 20. Philosophia seu sapientia humana, ad quam Rationalistae provocant, impar fuit sublevandae miseriae religiosae generis humani . . . . .                            | 87 |
| Thesis 21. Corruptio religiosa inter omnes populos revelatione destitutos est factum tam universale et constans, ut necessitatem revelationis evidenter demonstret . . . . . | 88 |
| Articulus III. Difficultates . . . . .                                                                                                                                       | 90 |

### CAPUT IV.

#### De criteriis revelationis.

|                                                                                                                                                                        |     |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. Status quaestionis . . . . .                                                                                                                              | 93  |
| Articulus II. De revelatione immediata nec non de criteriis mere negativis et internis . . . . .                                                                       | 97  |
| Thesis 22. Non est necessarium ad credendum, ut fidei obiectum per ipsum Deum immediate singulis proponatur . . . . .                                                  | 97  |
| Thesis 23. Quamvis criteria mere negativa et positiva interna non careant suo pretio, tamen necessarium et adaequatum motivum credibilitatis non constituunt . . . . . | 99  |
| Articulus III. De miraculis . . . . .                                                                                                                                  | 101 |
| I. Miraculorum notio, divisio, gradus et causa . . . . .                                                                                                               | 101 |
| II. Miraculorum possibilitas . . . . .                                                                                                                                 | 106 |
| Thesis 24. Miracula non solum fieri possunt, sed divinis attributis aequae ac indoli humanae optime congruunt . . . . .                                                | 106 |

|                                                                                             |          |
|---------------------------------------------------------------------------------------------|----------|
| III. De ratione criterii, quae miraculis inest . . . . .                                    | Pag. 110 |
| Thesis 25. Miracula sunt aptissima criteria divinae revelationis . . . . .                  | 110      |
| Articulus IV. De vaticiniis seu de prophetia . . . . .                                      | 116      |
| I. De vaticinii notione . . . . .                                                           | 116      |
| II. De ratione criterii, quae inest prophetiis . . . . .                                    | 120      |
| Thesis 26. Prophetia possibilis est aptissimumque divinae revelationis argumentum . . . . . | 121      |

### SECTIO III.

#### De revelatione christiana.

##### QUAESTIO PRAEAMBULA.

##### De revelatione divina ante Christi adventum.

|                                                                                                                                                                                                                      |     |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| I. Revelatio protoparentibus data ante lapsum Adae . . . . .                                                                                                                                                         | 126 |
| Propositio. Deus statim ab initio generi humano revelationem dedit . . . . .                                                                                                                                         | 126 |
| II. Revelationis innovatio post Adae lapsum . . . . .                                                                                                                                                                | 128 |
| Propositio. Deus statim post hominis lapsum revelationem instauravit . . . . .                                                                                                                                       | 128 |
| III. De revelationis primitivae conservatione et incremento in aera patriarchali . . . . .                                                                                                                           | 129 |
| Propositio. Deus revelationem primitivam in aera patriarchali conservavit novisque incrementis auxit . . . . .                                                                                                       | 129 |
| IV. Revelatio mosaica . . . . .                                                                                                                                                                                      | 131 |
| Thesis 27. Revelationi patriarchali successit lex mosaica, quae omnibus characteribus revelationis divinae insignita est . . . . .                                                                                   | 133 |
| Thesis 28. Licet revelatio mosaica esset vera revelatio, tamen<br>α) perfecta nondum fuit, sed perficienda per revelationem christianam, β) ideoque quadantenus erat abroganda, et γ) revera abrogata fuit . . . . . | 137 |

### CAPUT I.

#### De Christo auctore religionis christianae.

|                                                                                                                                                                                                        |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. De fontibus, ex quibus notitia de Christo haurienda est . . . . .                                                                                                                         | 142 |
| Propositio. Libri novi Testamenti authentici sunt . . . . .                                                                                                                                            | 143 |
| Corollarium: De auctoritate librorum ant. foederis . . . . .                                                                                                                                           | 147 |
| Testimonia ecclesiastica, profana . . . . .                                                                                                                                                            | 147 |
| Corollarium 1. De hypothesebus recentiorum Rationalistarum . . . . .                                                                                                                                   | 150 |
| Corollarium 2. De hypothesi «evolutionis» . . . . .                                                                                                                                                    | 151 |
| Articulus II. De vaticiniis messianis . . . . .                                                                                                                                                        | 153 |
| Thesis 29. Inde ab exordio Deus homini lapso Salvatorem (Messiam) promisit, ipsius ideam saeculorum decursu magis magisque delineavit eiusque adventum ita praeparavit, ut universalis esset non solum |     |

|                | Pag.                                                                                                                                                                                                                             |
|----------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
|                | Iudaeorum, sed et gentium exspectatio futuri Salvatoris . . . . . 153                                                                                                                                                            |
| Scholion.      | De typis messianis . . . . . 162                                                                                                                                                                                                 |
| Thesis 30.     | Praedicta vaticinia messiana nec alio tempore quam tempore Christi, nec in alia persona quam in Christo, utique vero in Iesu Christo ad amussim impleta, et sic ipso eventu ut vera vaticinia comprobata sunt . . . . . 162      |
| Articulus III. | De ipsa Christi persona . . . . . 167                                                                                                                                                                                            |
| Thesis 31.     | Christus $\alpha$ ) seipsum ut legatum divinum ipsumque Messiam perhibuit, testimoniique veritatem $\beta$ ) admiranda sapientia, ac $\gamma$ ) sanctitate probavit, $\delta$ ) eiusque Pater caelestis approbavit . . . . . 168 |
| Articulus IV.  | De miraculis Christi . . . . . 172                                                                                                                                                                                               |
| Thesis 32.     | Christus patravit $\alpha$ ) innumera miracula omnis generis, $\beta$ ) quae sunt historice certissima, $\gamma$ ) philosophice verissima, $\delta$ ) signaque evidentissima divinae suae missionis . . . . . 172                |
| Articulus V.   | De vaticiniis Christi . . . . . 178                                                                                                                                                                                              |
| Thesis 33.     | Vaticinia a Christo edita divinam eius missionem evidenter demonstrant . . . . . 178                                                                                                                                             |
| Articulus VI.  | De resurrectione Christi . . . . . 182                                                                                                                                                                                           |
| Thesis 34.     | Praecipuum missionis Christi argumentum ac veluti sigillum est ipsius resurrectio a mortuis, quae et positive invictis argumentis probatur et negative absurdis adversariorum hypothesibus mire illustratur . . . . . 182        |
| Scholion.      | De ascensione Christi et missione Spiritus sancti 187                                                                                                                                                                            |

## CAPUT II.

### De opere Christi.

|               |                                                                                                                                           |
|---------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Articulus I.  | Indoles religionis christianae . . . . . 188                                                                                              |
| Thesis 35.    | Veritas religionis christianae ex praecellentia sui dogmatis legitime infertur . . . . . 188                                              |
| Thesis 36.    | Veritas religionis christianae eodem iure $\alpha$ ) ex regula morum, atque $\beta$ ) ex motivis mediisque salutis infertur . . . . . 191 |
| Articulus II. | Religionis christianae propagatio, conservatio et fructus mirabiles in martyribus et renovatione generis humani . . . . . 194             |
| Thesis 37.    | Religionis christianae propagatio et conservatio naturaliter explicari nequit, sed divinae gratiae adscribi debet . . . . . 194           |
| Thesis 38.    | Fructus mirabiles, quos religio christiana in mundo produxit, eius originem divinam invicte demonstrant . . . . . 201                     |

|                                                                                            |             |
|--------------------------------------------------------------------------------------------|-------------|
| Thesis 39. Martyrium christianum veritatem religionis christianae invicte probat . . . . . | Pag.<br>205 |
| Articulus III. Difficultates . . . . .                                                     | 209         |

## TRACTATUS II.

### De Traditione.

|                       |     |
|-----------------------|-----|
| Prolegomena . . . . . | 218 |
|-----------------------|-----|

#### CAPUT I.

##### De existentia traditionis divinae.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                |     |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. De existentia traditionis active spectatae seu de organo propagandae et conservandae revelationis . . . . .                                                                                                                                                                       | 221 |
| Thesis 40. Christus instituit magisterium authenticum tamquam organum stabile, ordinarium et necessarium ad propagandam et conservandam religionem ab ipso revelatam. Existit ergo traditio divina active spectata . . . . .                                                                   | 222 |
| Thesis 41. Quamvis ex ipsa ordinatione divinae providentiae Apostoli s. Scripturas conscripserint ut fontem, ex quo revelatio hauriri possit, ideo tamen magisterium authenticum non fuit abrogatum; neque Scriptura ut unicus atque independens fons revelationis considerari debet . . . . . | 229 |
| Articulus II. De traditionis obiective spectatae veritate ac amplitudine . . . . .                                                                                                                                                                                                             | 234 |
| Thesis 42. Revelatio divina incorrupte et integre per magisterium authenticum quasi per manus ad nos usque tradita est. Existit ergo traditio divina obiective spectata . . . . .                                                                                                              | 234 |
| Thesis 43. Verbum Dei traditum latius patet, quam verbum Dei scriptum. Praeter inhaesivas igitur et declarativas admitti etiam debent traditiones constitutivae . . . . .                                                                                                                      | 238 |

#### CAPUT II.

##### De criteriis traditionis divinae.

|                                                                                                                                                                                                        |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. De criterio generali . . . . .                                                                                                                                                            | 243 |
| Thesis 44. Criterium generale et princeps traditionis divinae est consensus successorum Apostolorum inter se et maxime cum successore b. Petri, quocunque tempore existens . . . . .                   | 243 |
| Articulus II. De criteriis specialibus . . . . .                                                                                                                                                       | 250 |
| Thesis 45. Sanctorum Patrum a) consensus unanims in rebus fidei et morum est argumentum certum traditionis divinae. β) Necessarius non est universalis consensus Patrum directe et explicite probatus, |     |

|                                                                                                                                                                                                                                 |     |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| sed paucorum saepe Patrum testimonium ad traditionem alicuius dogmatis probandam sufficit.                                                                                                                                      |     |
| γ) Singulorum Patrum per se spectata auctoritas est quidem veneranda, sed non infallibilis. δ) Dissensio igitur Patrum, si quando occurrit vel occurrere videtur, secundum haec principia diiudicari et componi debet . . . . . | 250 |
| Scholion 1. De interpretatione Patrum . . . . .                                                                                                                                                                                 | 259 |
| Scholion 2. De diversa auctoritate Patrum . . . . .                                                                                                                                                                             | 261 |
| Thesis 46. Scholae catholicae seu Theologorum consensus circa fidei dogma certis sub conditionibus pariter infallibile, licet indirectum, traditionis divinae argumentum constituit . . . . .                                   | 261 |
| Scholia circa auctoritatem Theologorum, praesertim s. Thomae                                                                                                                                                                    | 265 |
| Thesis 47. Etiam consensus fidelium in dogmate fidei est criterium infallibile traditionis divinae . . . . .                                                                                                                    | 267 |
| Corollarium circa naturam consensus fidelium . . . . .                                                                                                                                                                          | 269 |

### CAPUT III.

#### De christianae revelationis perfectione et progressu.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                         |     |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Errores . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                       | 270 |
| Articulus I. De obiectiva revelationis christianae perfectione                                                                                                                                                                                                                                          | 272 |
| Thesis 48. Oeconomia christiana est perfectissima et novissima . . . . .                                                                                                                                                                                                                                | 272 |
| Thesis 49. Nulla post mortem Apostolorum novi dogmatis revelatio data fuit aut exspectanda est . . . . .                                                                                                                                                                                                | 274 |
| Corollarium. De revelationibus privatis . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                       | 275 |
| Articulus II. De organica revelationis christianae explicatione . . . . .                                                                                                                                                                                                                               | 276 |
| Thesis 50. Quamvis morte Apostolorum conclusa fuerit revelatio catholica, nihilominus verus aliquis progressus non solum in fide subiectiva fidelium, sed etiam in obiectiva revelationis explicatione et propositione admitti debet . . . . .                                                          | 276 |
| Thesis 51. Praefata revelationis explicatio non consistit in immutatione vel evolutione sensus dogmatum, ut docet Güntherus ac Modernismus; sed reponenda est in eo, ut veritates revelatae per doctores authenticos aptis formulis circumscribantur, exponantur, definiantur ac praedicentur . . . . . | 278 |

### TRACTATUS III.

#### De sacra Scriptura.

|                       |     |
|-----------------------|-----|
| Prolegomena . . . . . | 286 |
|-----------------------|-----|

**CAPUT I.****De s. Scripturae auctoritate.**

|                              |                                                                                                                                                                                                                                                                                    |            |
|------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------|
| <b>Articulus I.</b>          | <b>De s. Scripturae inspiratione . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                     | <b>290</b> |
| Thesis 52.                   | Dogma catholicum est, integram s. Scripturam cum omnibus suis partibus, Spiritu sancto inspirante conscriptam, Deum habere auctorem . . . .                                                                                                                                        | 290        |
| Thesis 53.                   | Ex doctrina catholica inspiratio non solum ad res fidei et morum, sed etiam ad res profanas, immo ad omnes et singulos textus extenditur . . . .                                                                                                                                   | 295        |
| <b>Articulus II.</b>         | <b>De immunitate sacrae Scripturae ab omni errore . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                    | <b>299</b> |
| Thesis 54.                   | Ex divina universae Scripturae inspiratione sequitur eius immunitas a quovis errore . . . . .                                                                                                                                                                                      | 299        |
| Thesis 55.                   | Veritas s. Scripturae non est tantum relativa, sed absoluta . . . . .                                                                                                                                                                                                              | 304        |
| <b>Articulus III.</b>        | <b>Inspirationis divinae natura . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                      | <b>306</b> |
| Status quaestionis . . . . . |                                                                                                                                                                                                                                                                                    | 306        |
| Thesis 56.                   | Ad rationem inspirationis, quam de libris divinis tenere debemus, neque mera assistentia Dei negativa ad praecavendos errores, neque sola directio concomitans, neque subsequens Dei aut Ecclesiae approbatio sufficiunt . . . . .                                                 | 311        |
| Thesis 57.                   | Ad inspirationem non requiritur α) revelatio stricte dicta, β) nec privatio libertatis; γ) nec elevatio ecstasica; δ) nec conscientia influxus divini; ε) nec demum suggestio omnium et singulorum verborum materialium . . . . .                                                  | 314        |
| Thesis 58.                   | Inspiratio s. Scripturae active spectata α) consistit in positivo antecedente simul et concomitante influxu Dei, quo hagiographum illuminat, ad scribendum movet ac continuo dirigit, ut per apta verba ea omnia et sola conscribat, quae Spiritus sanctus scribi voluit . . . . . | 318        |
| Corollarium . . . . .        |                                                                                                                                                                                                                                                                                    | 321        |
| <b>Articulus IV.</b>         | <b>Obiectiones praecipuae contra inspirationem et inerrantiam s. Scripturae . . . . .</b>                                                                                                                                                                                          | <b>322</b> |

**CAPUT II.****De canone s. Scripturae.**

|                     |                                                                                                                                        |            |
|---------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------|
| <b>Articulus I.</b> | <b>De criteriis inspirationis . . . . .</b>                                                                                            | <b>329</b> |
| Thesis 59.          | Canon s. Scripturae neque αὐτόπιστος est, neque ex criteriis Protestantium singillatim vel collective sumptis probari potest . . . . . | 332        |
| Thesis 60.          | Integer canon ex sola traditione divina certe cognoscitur, infallibiliterque ab Ecclesia proponitur . . . . .                          | 337        |
| Corollarium.        | De origine apostolica alicuius libri . . . . .                                                                                         | 338        |

|                                                                                                                                                         |                 |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------|
| <b>Articulus II. Criterii applicatio ad canonem Tridentinum</b>                                                                                         | <b>Pag. 340</b> |
| Thesis 61. Traditio inde ab Apostolis incepta, nunquam interrupta ac iugiter crescens, originem apostolicam canonis Tridentini invicte probat . . . . . | 342             |
| Scholion. An liber inspiratus perierit . . . . .                                                                                                        | 347             |

### **CAPUT III.**

#### **De authentia Vulgatae.**

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                |            |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------|
| <b>Articulus I. Status quaestionis . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                                                                               | <b>348</b> |
| <b>Articulus II. Authentia Vulgatae vindicatur et determinatur</b>                                                                                                                                                                                                                                                                             | <b>352</b> |
| Thesis 62. Versio vulgata tamquam authentica credi debet                                                                                                                                                                                                                                                                                       | 352        |
| Thesis 63. Authentia Vulgatae vi decreti Tridentini non est credenda: $\alpha$ ) absolute perfecta; neque $\beta$ ) exclusiva respectu textus primitivi versionumque antiquarum, quae semper in Ecclesiae usu erant; sed $\gamma$ ) credenda est in eo gradu perfecta, ut Scripturam quoad substantiam in omnibus fideliter exprimat . . . . . | 353        |

### **CAPUT IV.**

#### **De s. Scripturae interpretatione.**

|                                                                                                                                                                                                                                                                                        |            |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------|
| <b>Articulus I. De authentico interprete s. Scripturae . .</b>                                                                                                                                                                                                                         | <b>358</b> |
| Thesis 64. Scriptura non est tam aperta, ut interpretatione non indigeat . . . . .                                                                                                                                                                                                     | 359        |
| Thesis 65. Infallibilis s. Scripturae interpretatio neque $\alpha$ ) ab immediata Spiritus sancti illuminatione, neque $\beta$ ) a subsidiis scientificis exspectanda est . . .                                                                                                        | 360        |
| Thesis 66. Ecclesia est authentica interpres ac iudex de vero sensu Scripturae in rebus fidei et morum . . .                                                                                                                                                                           | 362        |
| Thesis 67. Ecclesia ius habet, determinandi sensum Scripturae in rebus fidei et morum positive, $\beta$ ) in rebus profanis saltem negative . . . . .                                                                                                                                  | 364        |
| <b>Articulus II. De interpretationis principiis . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                          | <b>368</b> |
| <b>I. De principiis dogmaticis . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                           | <b>369</b> |
| Thesis 68. Si sensum alicuius textus vel ipsa Scriptura per se interpretatur; vel si Ecclesia solemni iudicio aut magisterio ordinario illum definit; vel si speciatim Patres unanimi consensu textum dogmaticum exponunt: hunc sensum omnis fidelis pro vero amplecti debet . . . . . | 369        |
| Thesis 69. Etiam singulorum Patrum sententia in interpretandis Scripturis circa res fidei et morum generatim magni aestimanda est . . . . .                                                                                                                                            | 371        |
| <b>II. De principiis scientificis . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                        | <b>372</b> |
| Thesis 70. Distinctione facta inter sensum litteralem, typicum, consequentem et accommodatum. dicimus: $\alpha$ ) Ex sensu typico aequae ac litterali argumentum                                                                                                                       |            |

|             |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                          |             |
|-------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------|
|             | dogmaticum derivari potest illudque argumentum Scripturae est. β) Ex sensu consequente etiam argumentum dogmaticum deduci potest, at tale non est argumentum Scripturae, sed rationis theologicae. γ) Ex sensu accommodato autem per se certum argumentum dogmaticum colligi non potest . . . . .                                                                                                        | Pag.<br>372 |
| Thesis 71.  | Ea omnia, quae s. Scriptura in persona auctoris inspirati dicit, divinam auctoritatem habent. Si autem alia persona loquens inducitur, verbis eius tunc solum canonica auctoritas inest, si haec verba vel ex dignitate et indole personae, vel ex approbatione hagiographi, vel ex aliis circumstantiis et maxime ex authentica interpretatione Ecclesiae in Deum tamquam in auctorem refunduntur . . . | 377         |
| Scholion 1. | De lectione s. Scripturae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      | 384         |
| Scholion 2. | Comparatio traditionis cum Scriptura . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                           | 385         |

## TRACTATUS IV.

### De Ecclesia Christi.

|                       |     |
|-----------------------|-----|
| Prolegomena . . . . . | 388 |
|-----------------------|-----|

#### SECTIO I.

#### De Ecclesia christiana, seu an et qualem Christus instituerit Ecclesiam.

##### CAPUT I.

##### De institutione Ecclesiae christianae.

|               |                                                                                                                                                                                                                                                                     |     |
|---------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I.  | Quomodo Christus Ecclesiam instituerit . . .                                                                                                                                                                                                                        | 397 |
| Thesis 72.    | Factum institutionis cum omnibus suis adiunctis perpensum manifeste docet, Christum suam Ecclesiam non per modum scholae religiosae aut collegii, sed tamquam veram et perfectam societatem tam a synagoga quam a societate civili distinctam instituisse . . . . . | 397 |
| Corollarium.  | De tempore institutionis Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                        | 402 |
| Articulus II. | De fine Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                         | 402 |
| Thesis 73.    | Christus Ecclesiam eum in finem instituit, ut in ea et per eam tamquam per sponsam suam dilectam et per corpus sibi ut capiti unitum oeconomiam salutis, quam in vita mortali inauguraverat, ad finem mundi usque continuaret omnibusque applicaret . . . . .       | 403 |
| Scholion.     | Ecclesia et prosperitas temporalis . . . . .                                                                                                                                                                                                                        | 407 |

## CAPUT II.

## De essentia Ecclesiae.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                       |     |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. De essentia Ecclesiae generatim . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                | 408 |
| Thesis 74. Ecclesia est societas divino-humana . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                              | 408 |
| Thesis 75. Haud incongrue Ecclesia ex anima et corpore<br>constare dicitur; dummodo haec analogia rite in-<br>telligatur . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                    | 410 |
| Articulus II. De principio materiali seu de membris Eccle-<br>siae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                          | 412 |
| Thesis 76. Ad rationem membri Ecclesiae simpliciter dicti<br>nec praedestinatio, nec iustitia requiritur. Quare<br>etiam non praedestinati et peccatores occulti et<br>publici ad Ecclesiam pertinere possunt et revera<br>pertinent . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                        | 415 |
| Thesis 77. Ad rationem membri Ecclesiae simpliciter dicti<br>requiritur et sufficit triplex vinculum, symboli-<br>cum, liturgicum et hierarchicum. Requiritur vi-<br>delicet et sufficit, ut homo professione verae fi-<br>dei, communione sacramentorum et obedientia<br>hierarchica cum Ecclesia connectatur. Quare hae-<br>retici publici, catechumeni, schismatici et excom-<br>municati simpliciter loquendo Ecclesiae membra<br>non sunt; haeretici occulti vero adhuc illius mem-<br>bra dici debent . . . . . | 419 |
| Articulus III. De hierarchia divina ut principio formali<br>Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                       | 427 |
| I. Notio hierarchiae divinae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                | 427 |
| II. Sacrae potestatis existentia et proprietates . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                            | 430 |
| Thesis 78. Christus Ecclesiae contulit verum imperium cum<br>potestate: α) legifera, β) iudiciaria, et γ) coactiva,<br>poenis non solum spiritualibus, sed δ) etiam tem-<br>poralibus iniungendis . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                           | 430 |
| Corollarium. De potestate possidendi et administrandi bona<br>temporalia . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                    | 435 |
| Thesis 79. Sacra potestas his praecipue gaudet praerogati-<br>vis: α) Est iuris divini non humani, β) est indepen-<br>dens, γ) suprema, δ) universalis, ε) necessaria,<br>ac ζ) perpetua . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                    | 435 |
| III. De sacrae potestatis subiecto . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                          | 439 |
| Thesis 80. Vi institutionis divinae Ecclesia non est societas<br>aequalium sed inaequalium; neque subiectum im-<br>mediatum potestatis sacrae est plebs fidelium, sed<br>clerus; unde essenziale discrimen est inter clericos<br>et laicos . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                  | 440 |
| Thesis 81. In ipso clero ex divina ordinatione sunt tres gra-<br>dus hierarchici: episcopi, presbyteri et diaconi . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                           | 443 |

|                                                                                                                                                                                    | Pag. |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| Thesis 82. Constitutio Ecclesiae $\alpha$ ) nec democratica nec aristocratica, sed monarchica est; $\beta$ ) et quidem simpliciter monarchica; $\gamma$ ) simul vero paterna . . . | 447  |
| IV. De relatione inter potestatem ecclesiasticam et civilem . . .                                                                                                                  | 450  |
| Thesis 83. Relatio inter sacerdotium et imperium: $\alpha$ ) ad mutuam independentiam ac $\beta$ ) ad concordiam merito revocatur . . . . .                                        | 450  |
| Thesis 84. Ecclesia est societas perfecta . . . . .                                                                                                                                | 452  |
| Corollarium. Falsitas doctrinae Modernismi circa naturam Ecclesiae . . . . .                                                                                                       | 453  |

### CAPUT III.

#### De proprietatibus Ecclesiae.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                        |     |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. De Ecclesiae visibilitate . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                       | 457 |
| Thesis 85. Ecclesia Christi formaliter, in se et essentialiter visibilis est . . . . .                                                                                                                                                                                                                                 | 459 |
| Articulus II. De unitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                           | 462 |
| Thesis 86. Una est vera Christi Ecclesia, unitate numerica tam simultanea quam successiva . . . . .                                                                                                                                                                                                                    | 464 |
| Thesis 87. Una est vera Christi Ecclesia unitate fidei, non solum circa articulos fundamentales, sed in omnibus, quae ab infallibili magisterio credenda proponuntur. Quaevis ergo haeresis ab unitate Ecclesiae separat . . . . .                                                                                     | 465 |
| Thesis 88. Necessaria quoque est unitas regiminis, cui omnes fideles in universa Ecclesia se subiicere debent. Quodlibet schisma ergo ab Ecclesia separat . . . . .                                                                                                                                                    | 468 |
| Articulus III. De sanctitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                       | 471 |
| Thesis 89. Ecclesia semper et necessario sancta est, et quidem sanctitate physica, morali et manifestativa . . . . .                                                                                                                                                                                                   | 472 |
| Articulus IV. De infallibilitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                   | 477 |
| I. Notio infallibilitatis . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                    | 477 |
| II. Veritas infallibilitatis . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                 | 480 |
| Thesis 90. Ecclesia in custodia depositi fidei infallibilis credenda est . . . . .                                                                                                                                                                                                                                     | 480 |
| Scholion. De infallibilitate synagogae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                       | 484 |
| III. Extensio infallibilitatis . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                               | 485 |
| Thesis 91. Infallibilitas Ecclesiae se extendit ad triplex munus: testis, doctoris et iudicis in controversiis fidei . . . . .                                                                                                                                                                                         | 485 |
| Thesis 92. Obiectum, ad quod Ecclesiae infallibilitas se extendit, est duplex: $\alpha$ ) primarium seu directum, nimirum omnes et singulae veritates revelatae; $\beta$ ) secundarium seu indirectum i. e. omnes veritates, quae licet in se revelatae non sint, cum revelatione tamen necessario cohaerent . . . . . | 486 |
| Thesis 93. Ecclesia speciatim infallibilis est: $\alpha$ ) in factis dogmaticis, $\beta$ ) in rebus disciplinae ecclesiasticae,                                                                                                                                                                                        |     |

|                 |                                                                                                                                                                                                                                                                                                 |             |
|-----------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------|
|                 | γ) in canonizatione sanctorum, δ) in approbatione ordinum religiosorum, ε) nec non in conclusionibus theologicis, in quaestionibus scientificis cum revelatione connexis atque in ferendis censuris theologicis . . . . .                                                                       | Pag.<br>490 |
| Articulus V.    | De apostolicitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                           | 500         |
| Thesis 94.      | Vera Christi Ecclesia necessario apostolica est: α) origine, β) doctrina, ac γ) successione ab Apostolis, maxime a principe Apostolorum Petro derivata; nec δ) ulla praetensa missio extraordinaria successionis apostolicae defectum supplere potest . . . . .                                 | 502         |
| Articulus VI.   | De catholicitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                            | 505         |
| Thesis 95.      | Vera Ecclesia α) est et dicitur catholica; β) eo quod una eademque manens, amplitudine absolute magna et relative maiore quavis ecclesia falsa per totum orbem statim ab initio diffundi coepit, et usque ad finem diffusa erit . . . . .                                                       | 507         |
| Articulus VII.  | De indefectibilitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                        | 511         |
| Thesis 96.      | Ecclesia in ea forma, quam a Christo accepit, usque ad finem mundi perenniter et immutabiliter durabit . . . . .                                                                                                                                                                                | 512         |
| Articulus VIII. | De necessitate Ecclesiae . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                              | 514         |
| Thesis 97.      | Ecclesia non solum ius habuit ac habet apud omnes gentes se dilatandi et propagandi; sed omnibus insuper hominibus absolutum officium incumbit in Ecclesiam intrandi: Ecclesia ergo societas est non solum legalis, sed etiam necessaria, ita ut extra illam nemo salvus fieri possit . . . . . | 514         |
| Thesis 98.      | Hinc α) indifferentismus religiosus, tolerantia item ac libertas religiosa sunt intrinsece et absolute mala; β) tolerantia vero politica per se quidem illicita est, at per accidens licita fieri potest . . . . .                                                                              | 518         |

## SECTIO II.

### De Ecclesia catholica, seu quaenam sit vera Ecclesia Christi.

#### CAPUT I.

#### De notis, quibus identitas Ecclesiae catholicae cum Ecclesia a Christo instituta prae reliquis sectis demonstratur.

|              |                                                                                                                                                                                                                                          |     |
|--------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Articulus I. | Utrum unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas sint notae Ecclesiae a Christo institutae . . . . .                                                                                                                               | 526 |
| Thesis 99.   | α) Reiectis notis Protestantium et Graecorum statuimus: β) Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas non solum proprietates, sed simul verae notae sunt, quibus Christus Ecclesiam suam omnibus manifestam fieri voluit . . . . . | 526 |

|                                                                                                                                                                 | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>Articulus II.</b> Cuinam ex coetibus, qui se christianos dicunt, istae notae convenient . . . . .                                                            | 531  |
| Thesis 100. Notae, quibus Christus Ecclesiam suam signavit, in sectis acatholicis non reperiuntur. Nulla ergo ex his sectis est vera Ecclesia Christi . . . . . | 531  |
| Thesis 101. Notae, quibus Christus Ecclesiam suam manifestam esse voluit, in Ecclesia catholica reperiuntur. Ipsa ergo est Ecclesia Christi . . . . .           | 536  |

## CAPUT II.

### Quomodo Ecclesia per se ipsa sit divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

|                                                                                                                                       |     |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Articulus I.</b> De characteribus divinis Ecclesiae catholicae . . . . .                                                           |     |
| tum singillatim tum synthetice in primatu consideratis . . . . .                                                                      | 541 |
| Thesis 102. Characteres Ecclesiae catholicae a concilio Vaticano enumerati etiam per se divinam eius legationem demonstrant . . . . . | 541 |
| Scholion. Cathedra Petri nota centralis verae Ecclesiae . . . . .                                                                     | 545 |
| <b>Articulus II.</b> Difficultates contra notas Ecclesiae catholicae . . . . .                                                        | 547 |

## SECTIO III.

### De Ecclesia catholica romana vel de primatu, seu ubi sit vera Ecclesia.

## CAPUT I.

### De apostolici primatus in b. Petro institutione.

|                                                                                                                                                                                                                                                                    |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Praenotanda</b> . . . . .                                                                                                                                                                                                                                       | 554 |
| <b>Articulus I.</b> Primatus institutio probatur et vindicatur . . . . .                                                                                                                                                                                           | 555 |
| Thesis 103. Ex indubiis Evangelii testimoniis Christus b. Petro primatum non tantum honoris, directionis et inspectionis, sed verae propriaeque iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam promisit ac contulit; et quidem uni Petro directe et immediate . . . . . | 555 |
| Thesis 104. Munus confirmandi fratres Petro commissum, varia praecellentiae signa in Evangeliiis relata, ipsaque agendi ratio Petri post ascensionem Domini: illustrant simul locos classicos de primatu Petri et illustrantur ab eis . . . . .                    | 561 |
| Thesis 105. Eadem veritas ex traditione probatur . . . . .                                                                                                                                                                                                         | 564 |
| <b>Articulus II.</b> De fine, ob quem institutus est primatus. Difficultates contra institutionem primatus . . . . .                                                                                                                                               | 567 |
| Thesis 106. Christus in b. Petro primatum instituit tamquam perpetuum unitatis principium ac visibile fundamentum . . . . .                                                                                                                                        | 567 |

- Thesis 107. Contra primatum Petri nihil desumi potest: α) Ex Patribus, qui nomine «petra» Christum vel fidem in Christum vel professionem huius fidei vel omnes Apostolos intelligunt. Neque β) ex iis locis Scripturae, in quibus potestas eadem idemque munus Petri ac reliquorum Apostolorum esse dicitur. Neque γ) ex iis testimoniis, in quibus Apostoli et praesertim Paulus Petro aequales fuisse dicuntur . . . . . 569

## CAPUT II.

### De perpetuitate primatus b. Petri in Romanis Pontificibus.

- Articulus I. De successione R. Pontificum in primatu Petri 577  
 Thesis 108. Ex institutione Christi b. Petrus in primatu successores habere debuit . . . . . 577  
 Thesis 109. Solus R. Pontifex est successor legitimus b. Petri in primatu . . . . . 579  
 Articulus II. Quo iure R. Pontifices primatum teneant. Difficultates contra primatum R. Pontificum . 587  
 Thesis 110. R. Pontifices primatum ex Christi institutione ideoque iure divino tenent . . . . . 587  
 Thesis 111. Ipsa connexio primatus cum sede romana α) absolute insolubilis est; β) sive ea ex iure stricte divino, sive ex iure divino ecclesiastico derivetur . 588  
 Thesis 112. Irrito conatu adversarii primatum R. Pontificis negare vel saltem extenuare, ac causis naturalibus explicare contendunt . . . . . 595

## CAPUT III.

### De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

- Articulus I. Plenitudo potestatis R. Pontificis demonstratur 602  
 Thesis 113. Primatus R. Pontificis α) quoad naturam non tantum consistit in officio inspectionis vel directionis, sed in potestate iurisdictionis; β) quoad qualitatem est potestas ordinaria, episcopalis et immediata; γ) quoad intensitatem totam plenitudinem supremæ potestatis ecclesiasticae, non tantum potiores partes complectitur; δ) quoad obiectum non solum ad fidem et mores, sed etiam ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinet; ε) quoad extensionem denique pastores et fideles, tam seorsum singulos quam simul omnes, ad hierarchicam subordinationem veramque obedientiam obstringit. ζ) Papa ergo est supra concilium neque a Papa ad concilium appellare licet . . . . . 602  
 Articulus II. Plenitudo potestatis pontificiae contra obiectiones vindicatur . . . . . 607

|                                                                                                                                        | Pag. |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>CAPUT IV.</b>                                                                                                                       |      |
| <b>De Romani Pontificis infallibili magisterio.</b>                                                                                    |      |
| Articulus I. Dogmatis declaratio . . . . .                                                                                             | 613  |
| Articulus II. Dogmatis demonstratio . . . . .                                                                                          | 619  |
| Thesis 114. Iisdem s. Scripturae locis infallibile R. Pontificis<br>magisterium, quibus primatus demonstratur . . .                    | 619  |
| Corollarium. Infallibilitas non tantum in sede Rom., sed in se-<br>dente; nec solum in decisis, sed etiam in deci-<br>dendis . . . . . | 622  |
| Thesis 115. Infallibile magisterium R. Pontificis ex traditione<br>invicte probatur . . . . .                                          | 624  |
| Articulus III. Dogmatis defensio . . . . .                                                                                             | 630  |

|                                                                                                                                                                                                                          |     |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>CAPUT V.</b>                                                                                                                                                                                                          |     |
| <b>De relatione R. Pontificis ad concilia, ad episcopos et potestatem<br/>saecularem.</b>                                                                                                                                |     |
| Articulus I. De relatione summi Pontificis ad concilia . . . . .                                                                                                                                                         | 640 |
| Thesis 116. Solus Pontifex vi primatus potestate pollet, con-<br>cilia oecumenica convocandi, eis praesidendi ea-<br>que confirmandi, Nullum ergo concilium sine<br>Pontificis auctoritate legitimum esse potest . . . . | 645 |
| Articulus II. De relatione R. Pontificis ad episcopos ac<br>potestatem saecularem . . . . .                                                                                                                              | 653 |
| Scholion. An duo vel unum subiectum infallibilitatis et su-<br>premae potestatis sit in Ecclesia . . . . .                                                                                                               | 662 |

## TRACTATUS V.

### De fide et intellectu fidei.

|                                                                                                                       |     |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>SECTIO I.</b>                                                                                                      |     |
| <b>De fide.</b>                                                                                                       |     |
| Praenotiones . . . . .                                                                                                | 666 |
| <b>CAPUT I.</b>                                                                                                       |     |
| <b>De natura fidei.</b>                                                                                               |     |
| Articulus I. De conditionibus ad fidem praerequisitis . . . . .                                                       | 670 |
| Thesis 117. Revelatio divina α) non est quidem evidens, sed<br>β) evidenter credibilis, et γ) credenda . . . . .      | 670 |
| Thesis 118. Ex parte intellectus ad rationabile fidei obsequi-<br>um certa revelationis cognitio requiritur . . . . . | 676 |
| Thesis 119. Ad fidem requiritur insuper pius credulitatis af-<br>fectus, adiutus a gratia divina . . . . .            | 678 |

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                   |                     |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------|
| <b>Articulus II. De ipso actu fidei . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                                                                 | <b>Pag.<br/>681</b> |
| Thesis 120. Si natura actus fidei consideretur: α) eius subiectum immediatum et principium eliciens est intellectus, β) subiectum secundarium et principium imperans est voluntas, γ) principium supernaturale est gratia divina, δ) obiectum formale auctoritas Dei revelantis, ε) obiectum materiale revelatio divina . . . . . | 681                 |
| Thesis 121. Ex natura fidei divinae sequuntur eius proprietates, quarum praecipuae sunt: libertas, obligatio, honestas, supernaturalitas, veritas et certitudo super omnia . . . . .                                                                                                                                              | 687                 |
| Corollaria. Fides haereticorum — Hermesii inquisitio dubitativa — apostasia hominis catholici a fide . . . . .                                                                                                                                                                                                                    | 691                 |
| <b>Articulus III. Quaestiones . . . . .</b>                                                                                                                                                                                                                                                                                       | <b>693</b>          |
| Quaestio 1. An de uno eodemque obiecto possit simul esse fides et scientia . . . . .                                                                                                                                                                                                                                              | 693                 |
| Quaestio 2. Quomodo in actu fidei cognoscatur auctoritas Dei et factum revelationis . . . . .                                                                                                                                                                                                                                     | 694                 |
| Quaestio 3. Utrum assensus fidei sit conclusio logica ex duabus praemissis, quarum una divinam veracitatem, altera factum revelationis enuntiat . . . . .                                                                                                                                                                         | 699                 |
| Quaestio 4. Quomodo actus fidei resolvatur . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                              | 700                 |

## CAPUT II.

### De regula fidei.

|                                                                                                                                                                                                   |            |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------|
| <b>Articulus I. Explicatio terminorum regulam fidei concernentium . . . . .</b>                                                                                                                   | <b>701</b> |
| <b>Articulus II. Quid fide divina et catholica credi debeat . . . . .</b>                                                                                                                         | <b>707</b> |
| Regula 1. Homo fide divina et catholica credere tenetur id omne et solum, quod Deus revelavit et Ecclesia ad credendum proponit . . . . .                                                         | 707        |
| Regula 2. Quod explicite et evidenter in s. Scriptura continetur, est dogma catholicum . . . . .                                                                                                  | 707        |
| Regula 3. Quidquid solemni iudicio Ecclesiae ut divinitus revelatum credendum proponitur, est dogma catholicum; sive id fiat decreto positivo, sive per modum canonis anathemate muniti . . . . . | 708        |
| Regula 4. Quidquid ordinario et universali magisterio Ecclesiae tamquam divinitus revelatum credendum proponitur, est dogma catholicum . . . . .                                                  | 710        |
| Regula 5. Quidquid sancti Patres vel doctores catholici unanimi consensu ut doctrinam revelatam tradunt, est dogma catholicum . . . . .                                                           | 713        |
| Regula 6. Quidquid in duabus praemissis revelatis, vel in una revelata et altera naturali formaliter et evi-                                                                                      |            |

|                |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |          |
|----------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------|
|                | denter continetur, fide divina teneri debet. Quod autem virtualiter tantum in iis continetur, dogma non est, nisi ut tale ab Ecclesia proponatur . . .                                                                                                                                                                               | Pag. 713 |
| Articulus III. | Quid fide ecclesiastica teneri debeat . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                          | 715      |
| Regula 1.      | Praeter expressa dogmata fideles etiam alias veritates magisterii infallibilis Ecclesiae firmiter tenere debent, quae licet directe revelatae non sint, cum revelatione tamen necessario cohaerent, et ab Ecclesia fidelibus credendae proponuntur; praesertim si Ecclesia censuras in opiniones eisdem contrarias tulerit . . . . . | 715      |
| Regula 2.      | Fideles non solum definitionibus infallibilibus, sed etiam aliis iudiciis magisterii authentici convenientem assensum intellectus praestare tenentur . . . . .                                                                                                                                                                       | 717      |

## SECTIO II.

### De intellectu fidei (γνώσις).

#### CAPUT I.

##### De valore rationis in se spectatae.

|             |                                                                                                                                                                                                |     |
|-------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Thesis 122. | Homo non solum veritates profanas, sed etiam religiosas et morales, ipsumque Deum rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognoscere potest . . . . . | 726 |
| Thesis 123. | Traditionalismus sive rigidus sive mitigatus, maxime post concilium Vaticanum, nullo pacto amplius sustineri potest . . . . .                                                                  | 730 |
| Thesis 124. | Deus in hac vita per naturale lumen rationis videri non potest. Falsus ergo est Ontologismus . . . . .                                                                                         | 734 |
| Thesis 125. | Ratio humana essentialiter limitata est, ita ut neque omnem veritatem ex se invenire neque omnem intelligere valeat. Falsus ergo est Rationalismus et Semirationalismus . . . . .              | 735 |

#### CAPUT II.

##### De valore et munere rationis in negotio fidei.

|             |                                                                                           |     |
|-------------|-------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Thesis 126. | Fides et ratio α) essentialiter quidem differunt; at β) nunquam sibi opponuntur . . . . . | 738 |
| Thesis 127. | Fides et ratio opem sibi mutuam ferunt . . . . .                                          | 740 |

#### CAPUT III.

##### De valore et munere rationis in scientia theologica.

|             |                                                                                                                     |     |
|-------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| Thesis 128. | Theologia est veri nominis scientia, alterius tamen naturae et altioris ordinis quam scientiae rationales . . . . . | 742 |
|-------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|

|                                                                                                                                                                                               | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| Thesis 129. Munus rationis in Theologia $\alpha$ ) ex relatione scientiae theologiae ad fidem consequitur; $\beta$ ) apteque axiomatice «Philosophia ancilla Theologiae» exprimitur . . . . . | 744  |
| Thesis 130. Scientia theologica intra suos limites veri progressus capax est verumque progressum fecit . . .                                                                                  | 751  |
| Thesis 131. In determinanda methodo, qua tractari debet Theologia, tam natura huius scientiae quam exigentiae temporum attendi debent . . . . .                                               | 752  |



# Index nominum et verborum.

(Numerus paginam designat.)

## A.

Aërius 445.  
 Agnosticismus 726.  
 Amalricus 512.  
 Americanismus 719.  
 Anabaptistae 94, 270, 358, 512.  
 Analogia fidei, rationis, quid 747.  
 Ancilla est Philosophia Theologiae 747.  
 Anglicani 463, 531 sqq.  
 Anima et corpus Ecclesiae 410.  
 Anthropomorphismus 43.  
 Apostasis catholici 692.  
 Apostoli ad s. Scripturam provocant 292.  
 — non aequales Petro quoad potestatem 574.  
 Apostolicitas Ecclesiae, quid 500; qualis necessaria 502; non convenit sectis acatholicis 533; sed Ecclesiae catholicae 538, 545; difficultates 552.  
 Appellatio a Rom. Pont. ad concilium 606, 653.  
 Approbatio ordinis religiosi infallibilis 496.  
 Arminiani 289, 511.  
 Ascensio Christi 187.  
 Athei 28, 43, 70, 73.  
 Auctor libri, quis nominetur 308.  
 Auctoritas Dei, quomodo in actu fidei cognoscatur 694; obiectum formale fidei 682.  
 Augustini auctoritas 257.  
 Authenticae notio et divisio 348 sq; authentia Vulgatae 352.  
 Authenticum magisterium 222, 717.  
 Ἀποστολία s. Scripturae 332.

## B.

Baiani (Baius) 47, 725.  
 Bautain 729.

Beatificatio Sanctorum an infallibilis 495.  
 Beguardi 512, 735.  
 Beguinae 512.  
 Bismarck 544.  
 Böhmer 437 sq.  
 de Bonald 85, 725.  
 Bonelli 85.  
 Bonfrère 309.  
 Bonnetty 728 sq.  
 Bretschneider 72.  
 Buddhismus 53 sq.

## C.

Calvinus (Calviniani) 95, 331, 439, 458, 511, 530, 725.  
 Canon s. Scripturae 328; Tridentinus 7; vindicatur 340.  
 Canonizatio sanctorum, quid sit 493; eius infallibilitas 494.  
 Cardiognosia Christi 178.  
 Catechumeni non sunt membra Ecclesiae 424.  
 Cathari 512.  
 Cathedra, vide definitio ex cathedra.  
 Catholicismus reformationis 719.  
 Catholicitas, quid et qualis 505; est vera proprietas Ecclesiae 507; obiectio 510; est etiam nota 527; non convenit sectis acatholicis 534; sed Ecclesiae catholicae 539, 546; difficultates 551.  
 Catholicus apostata 692.  
 Celsus 174, 211.  
 Censurae 703; in iis ferendis Ecclesia infallibilis 498.  
 Centuriatores Magd. 633.  
 Certitudo, eius notio et divisio 667; certitudo fidei 689.  
 Chalcedonense conc., auctoritas

Papae in convocatione conc. 648.  
 Charismata in Ecclesia 200, 476.  
 Chrisman 67, 262, 309.  
 Christiani primi, eorum vita 201 sq.  
 Christus, eius notitia hauritur ex testimonis biblicis 142; ecclesiasticis 147; profanis 148; typi Christi 162.  
 — eius missio divina probatur ex vaticiniis messianis 153; ex caractere ipsius 168; ex eius miraculis 172; ex vaticiniis 178; ex resurrectione 182; ex opere 188.  
 — seipsum Messiam dicit 168; et hoc probat sua sapientia 169; et sanctitate 170; ad s. Scripturam provocat 291.  
 — eius unio mystica cum Ecclesia 405.  
 Clerus distinctus a laicis 440; eius gradus hierarchici 443.  
 Comma Joanneum 357, 708.  
 Communio sanctorum 389.  
 Comte 725.  
 Concilium, notio et divisio 8, 640; origo et membra 640 sq; auctoritas et infallibilitas 642; necessitas et utilitas 637, 643; condiciones ad oecumenicum 644; solus Papa oecumenicum convocat, praesidet, confirmat 645; de convocatione primorum octo conciliorum 647, 650.  
 — quo sensu imperatores conciliis praesederint eaque confirmaverint 653.  
 — oecumenicorum enumeratio 9; etiam post definitionem infallibilitatis Papae sunt necessaria et libera 637.  
 — locusologicus 8.  
 — Constantiense, difficultates contra primatum 610.  
 Conclusio theologica 497, 702.  
 Concordata 657.  
 Congregationes Pontificiae an infallibiles 663, 723.  
 Consensus successorum Apostolorum criterium traditionis 244.

Consensus Patrum 250; Theologorum 261; fidelium 267.  
 Conservatio christianae religionis 198; Ecclesiae catholicae 542.  
 Constitutio Ecclesiae 447, 452.  
 Corpus et anima Ecclesiae 410.  
 Cousin 725.  
 Criticismus quid 46; 725.

## D.

Daemones, quatenus fidem habent 681.  
 Daemonolatria 44.  
 Daille 482.  
 Danielis hebdomades 156, 163.  
 Definitio ex cathedra quid 614.  
 Deismus 46, 71.  
 Descartes 725.  
 Deus, eius idea in Paganismo 52, 65; naturaliter cognoscibilis 727 sqq.  
 Deuterocanonica quae 329.  
 Diaconatus gradus hierarchicus 443.  
 Diderot 114.  
 Disciplina ecclesiastica, quatenus Ecclesia in ea infallibilis 492.  
 Doctor Ecclesiae quid 265; quis 13.  
 Dodwell 205.  
 Dogma quid 701; regulae ad cognoscendum 707; quomodo fit 713; eius excellentia 188; progressus 276.  
 Döllinger 629, 631.  
 Dominium temporale Papae 659.  
 Donatistae 115, 393, 414, 418, 509.  
 Dotes Ecclesiae 456 sq.  
 Drews 150.  
 Dualismus 44.

## E.

Ebionitae 289.  
 Ecclesia quid 8; etymologia 388.  
 — locusologicus 8.  
 — variae formae 389.  
 — pretium et dignitas 394; institutio 397; eius finis 402; tempus institutionis 402.  
 — distincta a synagoga 399; unio cum Christo mystica 405;

Ecclesia est societas divino-humana 408; eius anima et corpus 410; membra Ecclesiae quae 412.

- eius potestas triplex 428; existentia 430; proprietates 435; subiectum 439.
- eius magisterium, ministerium, regimen 428; potestas legislativa 431; iudiciaria 431; coactiva 432; quoad temporalia 433, 435.
- est societas inaequalis 440; eius constitutio monarchica 448; ad statum politicum habitudo 450, 656; est societas perfecta 452.
- eius proprietates 456; visibilitas 457; unitas qua proprietates 462, qua nota 527; sanctitas qua proprietates 471, qua nota 527; infallibilitas 477; apostolicitas qua proprietates 500, qua nota 528, catholicitas qua proprietates 505, qua nota 528; indefectibilitas 511; necessitas 514; legalitas 515.
- quaenam sit vera 521; facile cognoscibilis et quomodo 522; eius notae, quid 524; quot 524; notae Protestantium et schismaticorum refelluntur 526.
- eius statistica 540.
- propagatio et conservatio 542; romanae omnes notae verae Ecclesiae conveniunt 536; difficultates 547.
- eius fata a Christo praedicta 181.
- est interpretes s. Scripturae 362; quomodo 364.

Ehrhard, de dominio temporali Papae 661; de regula fidei 720.

Electio popularis cleri 445.

Enthusiastae 332.

Ephesinum, ab imperatore coactum, a Papa autorizatum 647.

Episcopatus gradus hierarchicus 443.

Episcopus, relatio ad Rom. Pont. 653; an cum Pont. Rom. u-

num subiectum potestatis et infallibilitatis constituent 662.

Error theologicus quid 705.

Eudaimonistae 28.

Evidentia, quid et qualis 669.

Evolutio dogmatum 278; evolutionis hypothesis 151.

Excommunicati non sunt membra Ecclesiae 425.

Extra Ecclesiam non est salus 515.

## F.

Fabre 726.

Factum dogmaticum, quatenus Ecclesia in eo infallibilis 490.

Febronius 439, 555 sq, 589, 600.

Fetischismus 43.

Fideistae 725.

Fidelium consensus argumentum traditionis 267.

Fides quid 666; divina et ecclesiastica 701; eius subiectum et principium 681; eius obiectum formale 682; obiectum materiale 687; proprietates 687; obiectiones 690.

Fides et scientia de eodem obiecto 693.

- intellectus et fides cordis Hermesii 695.
- cognitio auctoritatis Dei et facti revelationis in eius actu 694.
- ad eam non requiritur revelatio divina evidens, sed evidenter credibilis 670; insuper requiritur certa revelationis cognitio 676; et pius credulitatis affectus adiutus gratia 678.
- in daemonibus 681.
- eius relatio ad rationem 738; differunt, sed non opponuntur 738; se mutuo iuvant 740; fidei scientia 723, 742.
- eius professio membro Ecclesiae necessaria 420.

Fratricelli 270, 462, 512.

Fredegis 253.

Fundamentalistae 463, 466.

## G.

Galilei 367; 721, 723.

Gallicani 448, 555, 600, 613, 618.  
 Gersonius 629, 636.  
 Gioberti 726.  
 Gnostici 512.  
 Graeci schismatici 577.  
 Groot Hugo 437.  
 Günther 72, 262, 270, 278, 667.

## H.

Haeresis, quid 704; haeresi proximum 705; haeresim sapiens 705; quaevis separat ab Ecclesia 421, 466; formalis et materialis 470.  
 Haereticus occultus, utrum ad Ecclesiam pertineat 423.  
 — formalis neque circa alias veritates habet fidem divinam 691.  
 Hamelius 310.  
 Harnack 101, 151, 186, 401, 558, 582.  
 Hartmann 27.  
 Hegel 46.  
 Hellwald 40.  
 Herder 72.  
 Hermes 24, 72, 262, 351, 667, 679, 682, 691, 725, 745.  
 Hierarchia, quid 427; eius existentia 430; subiectum 439; gradus 443; essentia 448; relatio ad rempublicam 450.  
 Hirscher 72, 130 sq, 262, 710.  
 Holden 309.  
 Honorius Papa 634.  
 Hug 351.  
 Hume 114, 725.  
 Hus (Husitae) 393, 414 sq, 716.  
 Hypnotismus miracula Christi non explicat 176; 112, 117, 124.

## I.

Iacob, eius vaticinium de sceptro apud Iudam permansuro 155, 162.  
 Iacobi 34, 725.  
 Iansenistae 47, 253, 262, 490, 492, 600, 725.  
 Idololatria 43 sq.  
 Ierusalem, eius eversionem Christus praedixit 180.

Imperatores, quo sensu concilia convocaverint, eis praesederint eaque confirmaverint 651, 653.

Indefectibilitas Ecclesiae 511.

Indifferentismus 28, 37, 39, 42, 518.

Inerrantia s. Scripturae 299.

Infallibilitas non in singulos successores Apostolorum transiit, sed in collegium episcoporum 244.

— synagogae 484.

— Ecclesiae 477; notio 477; veritas 480; extensio 485; obiectum primum 486; secundarium 487; 490.

— Rom. Pontificis 611; dogmatis declaratio 613; demonstratio 619; defensio 630; nec dogma novum 631; nec falsum 633; neque episcopatus iniuriosum 637; nec statui periculosum 638.

Infideles, an sint membra Ecclesiae 419, 421, 423.

Inquisitio ecclesiastica 550.

Inspiratio s. Scripturae 290; singulorum textuum 295.

— eius natura 306; non sufficit ad eam assistentia Dei negativa 311; neque directio concomitans aut approbatio subsequens Dei vel Ecclesiae 311 sq; quid non requiratur ad eam 314; in quo consistat 318; stricte verbalis reiicitur 315; obiectiones 322; criteria 329.

Inspiratio Protestantium 332.

Intellectus subiectum proximum fidei 681; intellectus fidei 723.

Interpretatio, ea indiget s. Scriptura 359; unde petenda 362; principia dogmatica 369; scientifica 372.

Intolerantia sic dicta Ecclesiae 514, 550.

Iosephus Flavius, eius testimonium de Christo 148; de libris sacris Iudaeorum 294.

Iouffroy 725.

Irvingiani 270, 512.  
 Isidorus Mercator 598.  
 Itala 350.  
 Iudaei, eorum dispersio a Christo praedicta et adimpleta 180.  
 Iülicher 151.  
 Iulianus apostata 174, 203, 210 sq.  
 Iürieu 468.  
 Iurisdictionis potestas 427.

## K.

Kant 28, 34, 106, 358, 518, 666, 725 sq.  
 Klee 26, 27.

## L.

Laicus a clerico distinctus 440.  
 Lamennais 725.  
 Lapsus primi hominis in mythologiis 58; in Scriptura 128.  
 Latitudinarii 37, 42, 463, 518.  
 Legalitas Ecclesiae 515.  
 Leibniz 550.  
 Lessing 47, 72, 310.  
 Lex mosaica vide revelatio mosaica.  
 Liber, eius notio 308; an inspiratus interire possit 347.  
 Libertas cultus 42.  
 Liebermann 17.  
 Loci theologici 6.  
 Locke 725.  
 Loisy 151, 169.  
 Lugo, de obiecto formali fidei 697.  
 Luther (Lutherani) 95, 221, 233, 253, 262, 331, 358, 399, 439, 458, 511, 530, 533 sq, 676, 724.

## M.

Macchiavelli 28.  
 Magia non explicat Christi miracula 175.  
 Magisterium authenticum, quid 222, 717; Christus instituit perpetuum, ordinarium; necessarium 222; non est abro-

gatum 229; est causa profectus religionis christianae 283.  
 Magisterium Ecclesiae 428.  
 Magnetismus non explicat miracula 176.  
 Malebranche 726.  
 Manichaei 270, 512.  
 Marcionitae 289.  
 Marsilius Patavinus 439, 576.  
 Martyrium christianum 205; difficultates 214.  
 Massiliani 512.  
 Materialismus 46, 70, 73.  
 Media salutis in religione christiana 194.  
 Membrum Ecclesiae, quid 413; quid non requiratur 415; quid requiratur ad membrum Ecclesiae 419.  
 Mesmerismus 112.  
 Messias, exspectatio eius apud gentes 59; apud Iudaeos 153.  
 — Christus se Messiam esse dixit 168.  
 Methodus in Theologia, biblica, historica, analytica, synthetica 753.  
 Michaelis 332 sq.  
 Ministerium Ecclesiae 428.  
 Miraculum, eius notio 101; divisio et gradus 103; possibilitas 106; congruentia 109; ratio criterii 110; veritas historica 111, philosophica 111, theologica 113; obiectiones 114.  
 — Christi 172; eorum multitudo, certitudo, veritas 173; ratio symbolica 177.  
 — Apostolorum 199.  
 — perdurant 200.  
 Missio divina Apostolis eorumque successoribus necessaria 504.  
 Modernismus 27, 32, 45, 72, 95, 186, 271, 278, 310, 358, 453 sqq, 512, 667, 726, 740.  
 Monarchia, quid 448; quo sensu in Ecclesia 449.  
 Monotheismus religio originaria plurimorum populorum 53.  
 Montanistae 98, 270, 512.  
 Mormones 270, 512.  
 Mosaica lex vide revelatio mosaica.

Motiva credibilitatis 93; virtutum 193.

Müller M. 39, 40.

Mysterium, eius notio et divisio 69; existentia 76; eorum revelatio possibilis 80; convenientissima 81.

## N.

Naturalismus, quid 72; 726.

Necessitas Ecclesiae 514; religionis 41.

Neoapologetae 95.

Neolutherani 233.

Neoperipatetici 739.

Nicaenum primum a Papa coactum 647.

Nota Ecclesiae, quid 524; quot 524; quas Protestantes et Schismatici statuunt, refelluntur 526; in sectis acatholicis non reperiuntur 531; sed in Ecclesia catholica 536.

## O.

Oeconomia, quid 1; christiana perfectissima et novissima 272.

Ontologismus 5, 726, 734 sq.

Ordinis potestas 427.

Ordo religiosus, quatenus Ecclesia in approbatione infallibilis 496.

Orthodoxi 525 sq, 531 sqq.

## P.

Paganismus, divisio 43; eius formae non fuerunt legitima stadia religionis 48; eius radix 48; stultitia 49; corruptio 50; reliquiae veritatis in eo 56; praeparatio ad Evangelium 63.

Palmer 468, 470.

Pantheismus 5, 28, 34, 46, 70, 73, 108.

Papa, titulus Rom. Pont. 599.

Paradisus in mythologiis 58.

Pater sanctus, quid 251; divisio 11; enumeratio 12; auctoritas 10, 253; locus theologicus 10;

eorum consensus argumentum traditionis 253; eorum dissensus componendus 257; auctoritas singulorum 256, 261.

Patriarchae, eorum religio 129.

Paulus s., quatenus aequalis s. Petro 575.

Paulus Gottlob 185, 358.

Peccator pertinet ad Ecclesiam 415.

Pelagiani 393, 414.

Pentateuchus, eius auctoritas 131.

Persona, loquens in s. Scriptura, qualem habeat auctoritatem 377.

Petrus, ei primatus collatus 555; praecellentiae signa prae ceteris Apostolis 562; habuit successores 577; qui sunt Rom. Pontifices 579; quo iure primatum teneant 587; eius munus confirmandi fratres 620.

Philosophia ancilla Theologiae 747; paedagogus ad Christum 65; religiosam miseriam sublevare non potuit 87.

Photius 636, 647.

Pietistae 34, 95, 98, 233, 332, 666, 676, 725.

Placetum regium 658.

Plinius, eius epistola ad Traianum 149.

Pomponatius 739.

Pontifex Rom. successor b. Petri 579; semper exercuerunt primatum 584; et quidem iure divino 587.

— eorum plenitudo potestatis 602; est supra concilium 606; contra plenitudinem potestatis difficultates 607.

— eius infallibilitas vide infallibilitas.

— in relatione ad episcopos 653; ad potestatem saecularem 656; eius ius liberae communicationis cum fidelibus 658; plena immunitas 659; eius dominium temporale 659.

— utrum cum episcopis duplex an unum subiectum infallibilitatis constituat 662.

— qua locus theologicus 9; series chronologica 9.

Porphyrius 174.  
 Potestas Ecclesiae, divisio 427;  
   legifera 431; iudiciaria 431;  
   coercitiva 432.  
 — clavium 429.  
 Praeambula fidei 93.  
 Praedestinatio non requiritur, ut  
   quis sit membrum Ecclesiae  
   415.  
 Presbyteratus, gradus hierarchi-  
   cus 443.  
 Presbyteriani 447.  
 Primatus, eius notio et divisio  
   554; iurisdictionis institutio  
   555; Petro collatus 560; eius  
   finis 567; difficultates 569;  
   in successores b. Petri transit  
   577; qui sunt Rom. Pontifices  
   579; iure divino 587.  
 — cum sede romana coniunctus  
   588; difficultates 595.  
 Progressismus 45; eius refuta-  
   tio 47, 462; 726.  
 Progressus revelationis verus et  
   falsus 270; revelationis in ex-  
   plicatione 276; Güntheri et  
   Modernistarum 270, 278; dog-  
   matum 278; causa est magi-  
   sterium authenticum 283; The-  
   ologiae progressus 751.  
 Propagatio religionis christianae  
   195; obstacula 196; media in-  
   sufficiencia 197; difficultates  
   209.  
 — Ecclesiae catholicae 540, 542.  
 Prophetia vide vaticinium.  
 Propositiones orthodoxae 701;  
   heterodoxae 703.  
 Proprietas, quid 456; Ecclesia  
   habet octo 457; proprietates  
   fidei 687.  
 Protestantes 34, 217, 221, 223,  
   229, 233, 240, 333, 351, 358,  
   412, 414, 462, 480, 531 sqq,  
   548, 555, 557, 570 sq, 577,  
   641.  
 Protoevangelium 154.  
 Pseudo-isidoriani decretales 598.  
 Pseudomystici 94, 97 sq, 233,  
   676, 751.  
 Pusey 468, 470.

### Q.

Quakeri 94, 98, 512.

Quesnellus 414, 512.  
 Quietistae 34.

### R.

Ratio, locus theologicus 14; qui  
   eam nimis deprimunt 724; ni-  
   mis extollunt 726; refutantur  
   illi 727; refutantur isti 735;  
   rationis valor in negotio fidei  
   738; earum discrimen 738;  
   mutuum adiutorium 740; ra-  
   tionis valor in scientia 742.  
 Rationalismus 34, 46, 71 sqq,  
   85, 87, 94, 101, 127, 131 sq,  
   134, 153, 165, 171 sq, 209,  
   233, 289, 358, 393, 397, 512,  
   666, 675, 726, 735, 738, 751.  
 Redemptio, eius continuatio in  
   Ecclesia 403.  
 Reformatores 47, 72, 220, 329,  
   331, 358, 439, 525 sq, 724.  
 Reformcatholicismus 719.  
 Regalistae 439, 600, 658.  
 Regimen Ecclesiae 428, 468.  
 Regula fidei 701; divinae catholi-  
   cae 707; fidei ecclesiasticae  
   715.  
 Reid 725.  
 Religio, etymologia 24; definitio  
   et significatio 25; eius origo  
   26; obligatio 28; natura 34;  
   subiectum 35; elementa 35;  
   proprietates 37; homo in ea  
   fecit regressum 52; veram  
   cognoscendi difficultas 86;  
   patriarchalis 129; mosaica vi-  
   de revelatio mosaica.  
 — christiana, eius indoles 188;  
   veritas, praecellentia dogmatis  
   188; regula morum 191; mo-  
   tiva et media salutis 193; ef-  
   fectus sociales 203; eius pro-  
   pagatio et conservatio 194;  
   difficultates 196; eius fructus  
   mirabiles 201; difficultates  
   211; veritas ex martyrio 205;  
   difficultates 214.  
 Religiosus assensus, quid 722.  
 Renan 150, 186.  
 Respublica; habitudo ad Ecclesiam  
   450; ad Rom. Pont. 656.  
 Resurrectio Christi, argumentum  
   divinae missionis 182; adver-

- sariorum hypotheses 185; discrepantia Evangelistarum in narratione 187.
- Revelatio, notio et divisio 67; adversarii 70; possibilitas 73; convenientia 75; necessitas 82 85; difficultates 90; non fuisset necessaria in statu naturae purae 91; immediata singulis non est necessaria 97; criteria 97; criteria negativa 94; criteria positiva 99; miracula 101; et vaticinia 116.
- data protoparentibus ante lapsum 126; post lapsum renovata 128.
  - in aera patriarchali 129.
  - mosaica, eius veritas 133; miraculosa origo 134; miraculosa conservatio 135; eius obiectum 136; imperfectio 137; abrogatio 139.
  - sine circulo ex revelatione probatur 22, 223; quomodo cognosci possit 93; quomodo cognosci possit secundum principium Reformationum 95.
  - eius progressus verus et falsus 270; progressus in explicatione 276.
  - christiana est perfecta 272; novissima 272; post mortem Apostolorum clausa 274.
  - privatae 275.
  - eius factum, quomodo in actu fidei cognoscatur 694.
  - non est evidens 670; sed evidenter credibilis 673; et credenda 674; certa cognitio eius ad fidem requiritur 676.
- Réville 40.
- Richeriani 439, 555 sq, 600, 623.
- Ritschl 151.
- Romani Pontifices vide Pontifex.
- Rosmini, Ontologismus 726, 735.
- Rousseau 193.
- S.**
- Sabaeismus 44.
- Sacramentum, eorum communio membro Ecclesiae necessaria 420.
- Sanctitas Ecclesiae 471; physica 472; moralis 473; manifestativa 476; non convenit sectis acatholicis 532, 535; sed Ecclesiae catholicae 538, 546; difficultates 548.
- Scepticismus 46, 725.
- Schamanismus 43.
- Schelling 46.
- Schisma ab Ecclesia separat 425, 468; formale et materiale 471.
- Schleiermacher 34.
- Schmidt 27.
- Schola catholica, eius consensus argumentum traditionis 261.
- Scientia et fides de eodem obiecto 693.
- Scriptura sacra, canon 7, 328; notio 286; existentia 288; pretium 289; auctoritas 289; immunitas ab errore 299; eius auctor Deus 290; etiam singulorum textuum 295; auctoritas quoad singulas personas 377; eius inspiratio 306; opiniones 309; natura 318; criteria 329; versiones 350; obscura est et interpretatione indiget 359; unde haec petenda est 362; interpretationis principia dogmatica 369; scientifica 372; eius lectio 384; cum traditione comparatio 385.
- qua locus theologicus 6; nec unicus nec independens revelationis fons 229.
  - Novi Testamenti est authentica 143; genuina 143; verax 143.
- Semirationalismus 71, 726, 735, 745, 751.
- Semler 72, 358.
- Seneca 212.
- Sensistae 725.
- Sensus s. Scripturae obscurus 359; eius interpretes 362; eius distinctio 372; argumenta ex sensu litterali et typico 373; ex consequente 375; ex accommodato 376.
- Sentimentalistae 95, 725.
- Septuaginta 350.
- Socialistae 36.
- Societas, quid 397; perfecta 398.
- Sociniani 397, 511.

Somnambulismus 112, 117, 121.  
 Spinoza 114.  
 Spiritismus miracula non explicat 176.  
 Spiritualistae 512.  
 Spiritus privatus Lutheranorum 358.  
 — sancti dona 199.  
 Stabilitas Ecclesiae catholicae 198, 543.  
 Status civilis habitudo ad Ecclesiam 450; ad Rom. Pontificem 656.  
 Staudenmaier 27.  
 Strauß 150, 186, 358.  
 Suetonius, eius testimonium de Christo 149.  
 Supernaturalismus 72, 95.  
 Swedenborgiani 270, 512.  
 Syllabus, eius valor dogmaticus 617; 721.  
 Synagoga, quid 390; distincta ab Ecclesia 399; eius infallibilitas 484.  
 Synodus vide concilium.  
 Systema episcopale 600.

## T.

Tacitus, eius testimonium de Christo et christianis 149.  
 Talmud 174.  
 Temeraria sententia 706.  
 Textus, singulorum s. Scripturae auctoritas 295.  
 Theistae 71.  
 Theologia, prolegomena 1; est scientia 742; progressus 751.  
 — scholasticae defensio 17.  
 — generalis, eius divisio 20.  
 Theologus, eorum enumeratio 14; eorum consensus argumentum traditionis 261.  
 Theosophi 95.  
 Thomas Aquinas, eius auctoritas 265.  
 Tolerantia religiosa et politica 42, 520.  
 Totemismus 43.  
 Traditio, notio 7, 218; divisio 218; doctrina catholica 220; protestantica 220.

Traditio, eius existentia (active spectatae) probatur 222.  
 — per s. Scripturam non est abrogata 229.  
 — obiective spectata existit incorrupta 234; latius patet quam Scriptura 238; obiectiones 241; eius nomina apud antiquos scriptores 243.  
 — constitutivae traditiones 238; traditionis divinae criteria 243; in genere 243; in specie 250; consensus Patrum 250; theologorum 261; fidelium 267; eius comparatio cum s. Scriptura 385.  
 Traditionalismus 27, 47, 68, 85, 725 sq, 730 sq, 738.  
 Transscendentalismus 44.  
 Typus, reales et personales Christi 162.

## U.

Ubaghs 725 sq, 731.  
 Unionistae 233.  
 Unitas, proprietas religionis 39.  
 — Ecclesiae, qualis 462; numerica 464; fidei 465; regiminis 468; nota Ecclesiae 527; non convenit sectis acatholicis 531; sed Ecclesiae catholicae 537; difficultates 470, 547.

## V.

Vaticinium, notio 116; elementa 117; possibilitas 121; est cognoscibile 123; eius nexus cum revelatione 124.  
 — messiana 153; omnia solum in Christo adimpleta 162; difficultates 166.  
 — Christi 178; demonstrant divinam missionem Christi 178.  
 Ventura 85, 725.  
 Veritas, quatenus Ecclesia in ver. naturalibus infallibilis 498; quatenus in revelatis 486; fidei 688.  
 Versio s. Scripturae 352; Vulgata alias versiones non excludit 354.

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                               |                                                                                                                                                                                                                                                   |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>Vincentius Lirinensis, eius canon 249.</p> <p>Vinculum symbolicum, liturgicum, hierarchicum membro Ecclesiae necessarium 419.</p> <p>Visibilitas Ecclesiae 457.</p> <p>Voltaire 106, 120, 122, 545.</p> <p>Voss 437.</p> <p>Vulgata, quid 350; eius approbatio a Tridentino facta 350.</p> | <p>Vulgatae authenticia 352; quo gradu 353.</p> <p style="text-align: center;"><b>W.</b></p> <p>Waldenses 414, 435.</p> <p>Wegscheider 72, 120, 185.</p> <p>Weiss 169.</p> <p>Wellhausen 132.</p> <p>Wiclif. (Wiclifitae) 393, 414, 435, 716.</p> |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|



## Corrigenda.

| Pagina | linea      | mendum                 | corrige                |
|--------|------------|------------------------|------------------------|
| 19     | 13         | Frequans               | Freuens                |
| 39     | 24         | Aqui                   | Atqui                  |
| 46     | 5          | paesertim              | praesertim             |
| 52     | 4          | potet                  | potest                 |
| 108    | 21         | impossibilitatem       | possibilitatem         |
| 124    | 6          | hynoticis              | hypnoticis             |
| 126    | 14         | Christi adventum       | lapsum Adae            |
| 134    | 2 in notis | fundamentalis          | fundamentalis          |
| 145    | ultima     | obiecta                | obiectas               |
| 150    | 16         | perrennis              | perennis               |
| 160    | 20         | cruxifixio             | crucifixio             |
| 178    | 33         | consideranda           | considerandas          |
| 228    | 1          | haereicis              | haereticis             |
| 250    | 1          | Vincentinus            | Vincentius             |
| 253    | 3 in notis | της                    | της                    |
| 265    | 10         | <i>perneccessariam</i> | <i>perneccessariam</i> |
| 292    | 7 in notis | Sybillini              | Sibyllini              |
| 316    | 26         | u                      | ut                     |
| 328    | 1          | essa                   | esse                   |
| 348    | 2 in notis | minoreve probabilitate | vertantur              |
| 359    | 22         | sensum                 | sensuum                |
| 414    | 3 in notis | Mazella                | Mazzella               |
| 422    | 2          | gegem                  | gregem                 |
| 469    | 20         | divinae                | divina                 |
| 470    | 27         | regimis                | regiminis              |
| 487    | 31         | proprius               | propius                |
| 566    | 6          | quaemadmodum           | quemadmodum            |
| 566    | 6 in notis | κοηπης                 | κοηπης                 |
| 627    | 7 in notis | cartag.                | carthag.               |
| 637    | 34         | petractandas           | pertractandas          |
| 659    | 3          | exe undum              | exeundum               |
| 713    | 16         | Ecclesia               | Ecclesiae              |

Doctoribus Ecclesiae pg. 13 nota 1 enumeratis nuperrime adiuncti sunt s. Albertus M. et s. Robertus Bellarmin.

---

100-100

100-100

100-100

1

1

1

100-100